ELENCHUS
ANTIQUITATUM
ALBIONENSIUM

Britannorum, Scotorum, Danorum, Anglosaxonum, &c. Origines & Gesta usque ad annum 449 quo *Angli* in *Britanniam* immigrârunt explicans.

Unà cum brevi Regum PICTICORUM CHRONICO.

Per *Danielem Langhornium*, S.T.B.

LONDINI,

Typis *B. G.* impensis *Ben. Took* ad insigne navis in Cœmeterio *Paulino*, 1673.

Ampliſſimo Nobiliſſimoq; Viro Guilielmo Montacutio Armigero, Sereniſſimæ *Magnæ Britanniæ* &c. Reginæ *Catharinæ* Attornato Digniſſimo,

Cum aliorum populorum Antiquitates, Vir Ornatiſſime, ſummâ cum diligentiâ induſtriàque memoriæ traditas animadverterem; cogitare mecum cœpi atque animo revolvere, unde nobis acciderit, quòd Scriptores noſtri geſtis duntaxàt nuperis ac recentioribus intenti exarandis, ſuas a Guilielmo *primo hiſtorias ùt plurimum exorſi, vetuſtos Gentium noſtrarum* Albionenſium *Conditores aut leviter tantùm ac perfunctoriè delibaverint, aut penitus inſuper habuerint. Mirabar certè quid in nos noſtri Majores deliquerant, quidve mali tantoperè commeruerant, ut adeò nos illorum diſpuderet; Immo verò noſtram ipſorum proterviam vecordiamque potius acriter coarguendam duxi, atque evibran-*

dam esse illam Poetæ querimoniam existimavi ;

Hor. Carm. lib. 4.

Vixere fortes ante *Agamemnona*,
Multi, sed omnes illacrymabiles.
Urgentur ignotique longâ.
Nocte, carent quia vate sacro.

Cùmque illorum præclara pro patriâ edita facinora quæ bineis ac blattis colluctantia in libris M. S. S. adservantur, seriò perpenderem, non potui, mihi temperare, quin irrogato tantis viris contemptui ac neglectui vehementer indolerem ; Quippe qui fortitudinis, prudentiæ, ac (post susceptam fidem Christianam) sanctitatis respectu, celebrem inter præstantissimos universi Orbis Heroas locum summo sibi jure vendicent. Quicunque autem ferè authores antiquioribus insulæ nostræ rebus tractandis aliquantulum immorati sunt, relicto aureo Medio, festinantiùs ad extrema transierunt ; dum hi translationem Galfridi monumethensis *integram cum omni ejusdem interpolatione ac mendosissimâ chronologiâ, nullâ* Romanorum & Anglosaxonicorum *Scriptorum habitâ ratione ambabus ulnis avidiùs amplexantur ; illi contrà nihil omnio recipientes nisi quod a solis* Romanis & Anglosaxonibus *prodi-*

tum

rum reperiunt totam Galfridi *hiſtoriam aecrbiùs reiiciunt, ac principes quos ille oſcitanter inſulæ monarchas facit, ne quidem toparchas eſſe patiuntur; priſcoſque reges cunctos ipſos etiam* Britonem *ac* Belinum, *duoque illa patriæ decora* & *lumina* Lucium *atque* Arturium *ex humani generis* Albo *prorſus explodunt. Et meritò ſanè reprehenditur* Monumethenſis, *a* Giraldo Cambrenſi, *quòd citra exemplaris ſui* Armoricani *ſententiam, quædam cerebelli proprii commenta inſueret; & a* Polydoro, *quòd imperatores* Romanos & *Præfectos pro regibus poſuerit, quanquam per totum* Romanæ *in* Albione *dominationis ſpatium haud deeſſent Reges Britannici qui in aliquâ ſaltem ejus parte regnaverint, ùt in hujuſce operis calce liquebit; quorum ille alios ingrato ſilentio præterivit, aliorum verò tempora confudit miſerè ac conturbavit.* Caractacum *penitus &* Galgacum *prætermiſit quos* Scoti *ſuo regum catalogo mox inſerùerunt.* Fulgentium *nullo inter reges loco dignatus*, Severum auguſtum *infercit, eique ſucceſorem in hoc regno tribuit filium* Baſianum, *abſque ullâ* Argetocoxi *mentione.* Baſſianum *fædo quidem antichroniſmo a* Carauſio *cæſum narrat, quem tamen ante* Diocletiani *imperium haudquaquam eme[illegible] conſtat. Eundem* Carauſium

Gir. Cambr. Deſcrip. Cap. 7. Pris. Hiſt. Brit. Defens Polyd. in Præmio lib. 2. Angl. Hiſt.

Caratisium *atque* Alectum *tyrannos*, & Asclepiodotum *Præfectum*; *simili errore*, Coelum *magni* Constantini *avum in regno præcessisse scribit, quem anno* 292 *cæpisse omnes consentiunt, quo tempore* Galienus *imperavit, ac* Posthumus & Victorinus *tyranni rerum in* Gallia & Britanniâ *potiti sunt.* Coeli *hujus ex filiâ* Gallâ *nepotem* Cunedam (Arturii *magni proavum*) *qui* Cambriâ Scotos *expulit, nusquam memoravit nec* Deonotum S. Ursula *patrem inter reges collocavit, pro quibus tamen* Maximum & Gratianum *municipem tyrannos substituit. At nostri non est instituti* Galfridum *sugillare*; *quin mediâ potiùs* incedens *viâ, falsis vera secernere,* Britannicosque *ac* Romanos *authores inter se conferendo errores chronologicos emendare, Nominumque discrepantias quæ in diversarum gentium historicis crebrò occurrere solent conciliare, & quæ in aliquibus desiderantur ex aliis supplere, quàm commodissimè potui conatus sum. Ipsa ubique ferè omnium quos citavi Authorum verba quo cumulatior nostro accederet tractatui authoritas sine ullâ vel exiguissimâ Phraseos immutatione exhibui. Regum quoque* Pictorum *seriem circa quos vacillare nimiùm visæ hactenus sunt historiæ* Albionenses, *ex tribus* Joannis Fordoni Scoti chronici *exemplaribus*

plaribus M.S.S. *sedulò collatis deprompsi, quæ in Collegii* Corp: Christ: Cantabrig: *ac Domini* Joannis Cottoni *& Magistri* Ricardi Smithii *bibliothecis instructissimis consului. In supputando quod a creatione ad Diluvium juxta Septuaginta interpretes effluxit spatio, Cl.* Isaaci Vossii *rationes me secutum esse fateor, quamvis ut sexennio productiorem* Alexandrini *Codicis &* Julii Africani *calculum*, Eupolemo *&* Philoni *congruentem magis amplectar, annumque mundi* 2262. *Cataclysmo assignem, secundæ cogitationes inclinant.* Africam *Targumistarum* Cyrenaicam *esse censui, quæ si minus placuerit interpretatio, dispiciant eruditi, num totus ille terrarum tractus ab* Ægypto *ad mare* Atlanticum *protensus, sub* Africæ *nomine ibi intelligendus fuerit; in quâ prater* Cyrenaicum Battiadarum *Principatum*, Atlas Hesperusque Promethei *fratres* Iapeto *orti.* Atlantidarum *&* Hesperidûm *imperia condiderunt; ac demùm* Vandali Iapeto *itidem prognati sub rege* Genserico, *regnum, Targumistarum tempore florentissimum fundârunt; cujus etiam pars haud exigua, nimirum* Tingitana, Hispanicis, *adeòque* Europæis, *Provinciis accensebatur. Quod autem Scioli quidam extranei non Gentem nos, sed Gentium variarum colluviem ac farraginem esse blaterant,*

terant, calumniam tam insulsam ineptam-que detergere, Populosque cunctos insulam nostram incolentes, unâ eâdemque, scilicet Gomeri Iopetidæ *stirpe, satos esse ostendere sategi; qui successiuè, Divino ita disponente Numine, in ultimam hanc* Europæ *plagam penetrârunt atque istic coaluerunt, quod etiam ipsum progenitores nostri haud temerè sed divinitus datum præsignificasse nomen jure credimus; Hebraicum enim* Gomeri *nomen Latini* Finientem *interpretantur, quippe cui extremi Orbis fines debebantur. Porro qui nobis illud vertunt probro, viderint velim, annon de aliis veriùs nationibus idem occinere queant. Nonne* Celtarum, Phocæensium, Romannorum, Britonum, Gothorum, Burgundionum & Francorum *soboles sunt* Galli *moderni; nonne* Iberorum, Libyum, Phænicum Romanorum, Gothorum, Vandalorum, Suevorum & Alanorum Hispani; Græcorum, Lydorum, Trojanorum, Henotorum, Herulorum, Gothorum, & Longobardorum Itali; Pæonum *sive* Pannonum, Herulorum, Rugorum, Turcilingorum, Gepidarum, Longobardorum, Hunnorum & avarium Hungari? *Longum esset omnes percurrere sed hæc impræsentiarum quæ obiter dicta sunt sufficiant, unde satis, opinor, liquidò constabit, gentes alias nihi-*

lo

lo magis ſimplices, puras atque impermiſtas eſſe quam noſtrates. Arduam profectò difficilemque me ſuſcepiſſe provinciam, ac periculoſæ plenum opus aleæ, iſthâc præſertim criticâ quâ nos ætate vivimus, jamdudum habui perſuaſum. Quum itaque patronum undique circumſpicerem cujus ope ac præſidiò tutus adverſantium cenſuras valerem eluctari, ad te Egregium Legis Juriſque Decus Atque ornamentum, Inſontiumque Patronum integerrimum, Nobiliſſimorum Montacutiorum Baronum Filium Fratremque ornatiſſimum confugere decrevi. Veſter inſigni generis claritati ac ſplendori ſuperadditus pectoris candor, & bonarum literarum amor cultuſque egregius, ſpectata in omnifariâ eruditione præſtantia, atque eximia in me meoſque benignitas, eos pavitanti animos addiderunt, ut veſtro nomini hæc noſtra qualiacunque tentamina nuncupare auderem. Quæ ſi æqui bonique conſulere dignaberis, majus quod volvo opus, uberiore cum alacritate pergam contexere; ac principum noſtrorum omnium ab Hengiſto, primo Anglorum in Britanniâ rege, hiſtoriam, Britannicis, Scoticis, Angloſaxonicis, Hibernicis, exoticiſque authoribus inter ſe diligenter collatis, uſque ad Guilielmum primum fuſiùs pleniùſque concinnare; atque inde ad Sereniſſimæ Domini Noſtri

ſtri Caroli ſecundi *Majeſtatis tempora perducere conabor. Interea verò ne ulteriùs moleſtâ noſtrâ prolixitate a veſtris grandioris momenti negotiis diſtinearis, tandem præfationi modum ſtatuens; ut diu te incolumem nobiſque faventem Deus Optimus Maximus cuſtodiat, obnixè precatur.*

Dignationis veſtræ

Obſervantiſſimus

Daniel Langhornius.

In Elenchum Antiquitatum *Albionenſium* à Reverendo doctiſſimoque Viro *Daniele Langhornio S. T. B.* in omni Hiſtoriâ & Antiquitate curioſo conſcriptum.

ANglia *quæ tacitis dudum ſubmerſa tenebris,*
Quæque diu longâ nocte ſepulta fuit,
Quæq; perobſcuri abdiderat caput æmula Nili,
Conſcia ſe veteres non habuiſſe patres;
Immemor atque olim proavitæ gentis & ævi,
Vixque olim illuſtri nomine nota ſibi;
Majorum titulos, priſcæve inſignia formæ
Non potuit texto commemorare peplo;
Quam (quaſi vipereo nata eſt de ſemine Cadmi)
Edidit è gremio terra ſoluta ſuo:
Vel, mater proleſque ſui, nullóque creante
Attigerat vitæ limina prima ſuæ:
Jam redit in veterem tandem revoluta figuram,
Induerant formas lætius ora novas.
Impoſitis circum radiis jam ſolis ad inſtar
Exilit è tenebris clarior ipſa ſuis.
Jam videt inſignes longâ de ſtirpe parentes
Et dudum è multis nobile nomen avis,
Ante oculos olim eſt procerum metuenda poteſtas,
Et videt ingentûm facta ſtupenda patrum

Aut-

Rursùs ad ingenuos antiquæ lucis honores
Sollicitæ nati reſtituere manus,
Et (quaſi jam in primas natura emiſerat auras)
Præſtituit genio feſta litanda ſuo.
Irruit, ambabus natumque amplectitur ulnis,
Imprimit & labris oſcula grata. ſuis.
Induit & faciles gaudenti pectore vultus,
Et micat abjectis frons inarata rugis.
Quæ longa annorum ſeries conſumpſerat olim,
Reſtituis matri fortius ipſe tuæ,
Quàm Medea *olim juvenes perhibetur in annos*
Æſona *gramineo reſtituiſſe foco.*
Rem tibi quamque datum eſt immunem nube tueri,
Nec pateris (major tempore) geſta mori:
Tu poteras populo ſolus retuliſſe Britanno
Nomina primævis non bene nota viris:
Te dedit Angligenis, *te jam populiſque loquendum,*
Omnibus ingenio gloria parta tuo.
Grata tuum nomen memori ſervabit in ævo.
Fama, ſub extremis non moritura rogis.
Quod peperit talem jam jam crepat Anglia *natum,*
Jactat & ingenium Terra Britanna *tuum,*
Et meritò; ſibi cùm major ſit gloria, talem
Poſt tot degeneres ſe genuiſſe viros,
Quàm longè clypeos Majorum oſtendere pictos
Pandere & ingenuas nobilitatis opes.

E. Hickes *S. T. P.*

In

In Eundem.

NOn benè nota fuit cujus (Nili inſtar) Origo
Obſcuro jacuit ſed tumulata ſitu,
Albion *ecce ſedens in Rupibus eminùs Albis*
Sic laudes ſtatuit concelebrare tuas;

Ecce vetuſtates Langhornius *eruit omnes*
Dicere quas poterit Terra Britanna *ſuas,*
Nubibus antè diù fuerant quæ condita nigris
Ipſo jam Phœbo *clarius ecce micant,*
Tam vivo Britones *depingit & ille colore,*
Jam meritò dici Gens uti Picta queant;
Incola quis primus fuerit, docet ille, Britannis
Unde vetus nomen contigit atque ſuum
Sint verè ut Minimâ contenti nocte Britanni
Ipſius illuſtris *pagina ſola facit.*

Rob. Nevil S. T. B. Colleg. Regal. in Cantabrig. olim Soc. jam verò Rector Eccleſ. paroch. de *Anſty* in Com. *Hertford.*

In

In eundem.

Discussa est Nox atra; Dies jam candidus ibit.
Fulgent Historiâ Gesta, & Origo Tua
Anglia; *Cimmeriæ non umbræ pondere pressa*
Fles, at luce tua † Candida terra nitet.
† Albion.
Dum Genus & proavi jam jam quæruntur, opacis
Dicta queror Tenebris; verba carêre Fide.
Filius inque Die patrios inquiret in Annos?
Hic licet esse sagax, jam sciat ille patrem.
Non ultro, Toto divisos Orbe Britannos
Audimus; penitus Clarior ulla Foret
Gens? & jam jungi, Te Mystâ (Candide) nostris
Connubio stabili Natio quæque cupit.
Claremus. Propior, Non amplius Ultima Thule,
Dicis abite doli; Jussi abiêre doli.
Sed, quid Ago? Vicit nostras, superatque Camænas
Res, Minimè ingenio convenit illa meo.
Laude nec exili capiunt encomia Scripta,
Authorem dignè (parcito) laudat opus.
Musa tamen Famæ (quamvis non culta) nocere
Non valuit. Laudem laus mea velle loqui.
Solis defectum Spectamus, at Orbe Coruscо,
Qui videt è multis unus & alter erit.

Gasp. Ward.

In

In Eundem

Si dextrâ obſeſſam miles protexerit urbem,
Et ſuæ pro patriis moverit arma focis.
Si vitam dederit libertatemque priorem,
Et redeunt populo, gloria, certa ſalus.
Cui dedit optatos victoria læta triumphos,
Et Placidus fuſo victor ab hoſte redit
Cinctus Apollineâ, *victricia Tempora lauru.*
Portat eum niveis currus eburnus equis.
Læta coronatas viſunt Capitolia Pompas.
Atque triumphantis Vox ſonat alma, ducis.
Sed Tibi, quòd patriæ Pugnes pro nomine terræ,
Defendaſque Tuâ regna Britanna *Manu.*
Quòd dederis longæ renovata inſignia famæ,
Et redit Angligenis *gloria prima viris.*
Quòd famæ ſenſim perituræ vindice pennâ,
Attuleris ſocias non ſine honore manus.
Quòd genus Heroum antiquo de ſemine cretum.
Cernimus, & veterum forti a geſta ducum.
Quòd videam titulos & avitæ laudis honores
Et ſuæ nobilibus debita ſigna viris,
Quòd magis immanes jàm profligaveris hoſtes,
Et domito victor tempore maj reras.
Tempora quòd primi ignorantia viceris ævi,
Submittaſque tuo ſecula priſca jugo.
Jam magis eximios Tibi decernemus honeres,
Et quæ ſunt meritis præmia digna tuis.
Tu mage Cæſareos *viſus meruiſſe triumphos.*
Et merito major jam Tibi palma datur.
Jam manibus plauſuque ferunt ad ſydera nomen,
Et nova victrici jubila voce canunt.

Te

Te dictis celebrent docti, Te consulet omnis
Turba, quasi Genium Te putat esse suum,
Teque magistratus etiam populusque patresque,
Et Te posteritas omnis in ore feret.
Nomen & immensum volat immortale per orbem,
Omnis ubique tuo nomine terra sonat.
Tot titulis illustre caput, tot honoribus auctum
Gloria magnificis aurea portat equis.
Nomen in externis longè celebrabitur oris.
Nescivet extremo tempore fama mori.
Jam sileat veterum scriptis monimenta Quiritum,
Nec crepet Annales garrula Roma *suos.*
Nec recitet lectos delirans Græcia *fastos,*
Musaque Grajorum quicquid ineptit anus.
Tu superas Tacitum *Latiâ gravitate venustum.*
Cederet et Flori *lingua diserta tuæ.*
Viceris et Crispum *nunquam sine laude loquendum,*
Et dederit victas Livius *ipse manus.*
Frustra suspicimus Tranquillum, *summa vel ipsi*
Laus est, vno Te dum minor esse potest.
Tempora præteriti reseras Falicius *ævi.*
Carminibus Bardi *quàm potuere suis.*
Gesta recensitis poteras educere fastis.
Et melius Druidis *secla priora suis.*
Te solum reliquis merito præstare videmus,
Inter & Historicos eminuisse viros.
Tu decus Historiæ, cunctisque peritior ætas,
Et Qui quæ multi singula solus habes.
Ptisca *parem haud jactent æqualem postera nullum*
Secula postgenitis exhibitura viris.
Solus Præteritis melior majorque futuris.
Ingenui tanquam numinis instar eris.

J. P.

ERRATA.

PAge 2. line 14. lege *vitæ*. p. 11. l. 28. *Comaros*. p. 17. l. 25. *diverſos*. p. 20. l. 28. *Marw*. p. 21. l. 29. *diſcendi*. p. 26. l. 13. *egreſſi*. p. 27 l. 23. *Corinia*. p. 28. l. 11. poſt *Haberet* adde, *Gonorillam*. p. 33. l. 7. *Annianos*. l. 9. *Gelyridianos*. p. 37. l. 13. poſt *legiſſe*. adde *videtur*. p. 39. l. 6. *prædictam* p. in margine pro *Cimbr* l. *Giral. in Cambr*. p. 43. l. *adv* p. 46. l. 1. *Caermaridumenſes*. l. 15. *Nouantes*. p. 86, 65. *Armatas*. p. 77. l. 12. *Nonnullæ*. p. 85. l. *pertenderent*. p. 87. l. 3. *Britannis*, p. 89. l. 21. *duce*. p. 91. l. 16. *Ovatio*. p. 94. l. 10. pro *quam*. l. *quin*. p. 171. l. 7. *Northavontenſi* l. 16. *Caractacum*. l. 25. *Illæ*. p. 193. l. 11. *naveſque*. p. 112. l. 8 *duobus*. p 113. l ult. *irritato*. p. 115. in fine dele *laboratum*. p. 116. l 26. *Vitellium*. p. 139. l. 21. *contentos*. l. ult. *adulantis*. p. 142. l. 27. *Licinius*. p. 148. l. 21. *conſtitutionum*. p. 149. l. 5. *Eutropiumque*. 152. l. 18. *Faganus*. p. 157. l. 12. *donatas*. p. 165. l. 7 *regeret*. l. 13. *vetus*. l. 9. *Celeſtiorum*. p. 166. l. *Senatus*. p. 167. l. 5. *prætorio* l. 20. *Severus* p. 168. l. ult. *adjurgendum*. p. 179. l. 3. *inuetentur*. p. 180. l. 2. *præcepiſſet*. l. 11. *recepiſſet*. p. 182. l. 1. *refragaretur*. l. 5 *Virio* l. 7 *tradite*. p. 183. l. 1. *eum*. p. 183. l. 3. *F. O*. p. 185. l. 2. *Coelus*. l 3. 4. *Teneuentii*. p. 189. l 29. *aureum*. p 20. l. ult. *tropæophorus*. p 203 l. 6 poſt. *lima*. adde. *&* p 205. l. 3 *Athanape*. p. 206. l. 17. *dictionis*. l. 18. *cæterorumque*. p. 207. l. 16. *Maximinus*. p. 208. l. ult. *Carnarvoniæ* p. 214. l. 18. *Obiit* p. 216. l 11 *flagrante*. l. 16. *renſi* p. 218 26. 27. pro *ferci* l. *ſeratum*. p. 230. l. 21. *ὑπεξώνυε*. p. 231. l. 2. *ἐποιήζαν* p. 233. l. 17. *eo*. p. 237. l. 25. *connumeratur*. p. 258. l 2. pro *habet*. l *erat*. p. 250. l. 16. *impetitus*. p 35. 7. pro *facinati*. l *ſatiegati*. l 22. *Pitſeus*. p. 252 l 18. *Placidiæ*. p. 254. l. *latrunculos*. p. 236. l. 13. *formidoloſo*. p. 258. l. 16 *Graſſationem* l. 27 *opem*. p 259. l 1 *componitur*. p. 260. l. 22 *appoſita* p. 264. l. 22. *intorquentem*. p. 274. l. 19. *Noachi*. p. 280. l. 12. *utroque*. p. 254. l. 3. *Columba*. p. 288. l. 9. *Moræa*. p 267. l. 3. 4. *docent*. l. 10. *Britannica*. p. 300. l. 29. *menſes*. p. 310 l. 19. *Nemedianos*. p. 324. l. 1. *veterum*. l. 2. *gens*. p. 333. l. 4. *Taciti*. p. 335. l 9. *Hiſpericæ*. p. 336 l. 27. *Romanorum*. p. 338. l. 4. 18. *petiit* p. 341. l. 24. *juis*. p. 34 l. 8 *Tenobteri*. l. 10. *Bellicoſiſſimam*. p. 344. l 4. *penetroſſent*.

ELENCHUS

Antiquitatum Albionenſium,

Omnium quotquot Britanniam *incoluere Gentium Origines & Primordia complectens.*

IN principio Deus Optimus Maximus *Mundum*, primoſque generis humani parentes maturâ pubertate vigentes *Adamum* & *Evam* fabricavit. Illi anno conditi Orbis primo *Cainum*, ſecundo *Abelem*, alioſque deinde liberos complures, juxta divinam creſcendi ac multiplicandi benedictionem, genuerunt. *Cainum* anno *Sethi* Nativitatem immediatè præcedente, *Abelem* fratrem trucidâſſe, illa

A. M.
1
2
Gen. cap. 1. ver. 28.
129
229

Evæ parientis verba innuunt; Alterum mihi
Geneſ. c. 4. ver. 25. ſemen ſtatuit Deus, pro *Abele* quem *Cainus* interfecit. *Sethus* autē anno mundi centeſimo triceſimo, ut Hebræus Codex habet, aut
130 ducenteſimo triceſimo, ut Septuaginta interpretes &
230 *Joſephus*, natus eſt, qui cæſi fratris vicē dolenti matri ſuppleret. Per id temporis ampla ſatis hominum ſuccreverat copia, à quibus haud immeritò ſibi metuere poterat ſceleſtus fratricida; præſertim cum &
Geneſ. c. 4. ver. 14. ipſe *Abel* (quem uxorem habuiſſe tradidere Hebræi aliique nonnulli) centeſimum (aut ducenteſimum) viceſimum ſeptimum vita annum emenſus haudquaquam improles obiiſſe videatur, (illo nimirum ævo quo jam replendus eſſet terrarum orbis,) cujus fortaſſe liberi paternam necem vindicare anniterentur. Ille igitur juſto Numinis judicio profugus, aſſumptis ſuis ſibi filiis ac nepotibus, ut tum patrata tum patranda impunè ipſi cederent ſcelera, urbem in terrâ *Naidâ* (juxta *Bactrianam*) fundare aggreditur, quam à primogeniti ſui *Enochi* nomine *Enochiam* appellavit. Iſte *Enoch Iradum* genuit, *Iradus Mahujaelem*, *Mahujael Mathuſaelem*, *Mathuſael Lamechum*, *Lamechus* ex *Adâ Jobalem* & *Jubalem*, è *Silla Tubalcainum* & *Naamam*. *Sethus* verò qui in *Abelis* locum (uti dictum eſt) ſucceſſit verus Dei Cultor & Eccleſiæ Hyperaſpiſtes

piſtes *Enoſum* procreavit, ille *Cainanem*, *Cainan Malaleelem*, *Malaleel Jaredum*, *Jaredus Enochum*, *Enochus Mathuſalam*, *Mathuſalas Lamechum*, *Lamechus Noachum*; *Noachus* anno vitæ ſuæ quingenteſimo *Japetum*, annoque abhinc altero *Semum*, atque ultimò *Chamum*. Cæterorum Antediluvianorum non meminerunt ſacræ literæ. Jamque ob horrendam atque indies augeſcentem hominum nequitiam, Sacroſancto Numini viſum eſt Cataclyſmum ultorem immittere, ac univerſum genus humanum, *Anno Mundi* juxta codicem Hebraicum 1656, juxta Septuaginta interpretes 2256, delere, exceptis *Noacho* filiiſque & eorundem uxoribus, qui Arcam Oraculi divini inſtinctu extructam ingreſſi, illic ſe continuerunt quouſque reſediſſent aquæ. Hæſiſſe demùm hanc Arcam in montibus *Caucaſiis*, proximè *Bactrianam*, & *Margianam*, (regionem vini feraciſſimam) graviſſimi prodiderunt Authores, ſententiamque ſuam rationibus minimè contemnendis ſtatuminârunt. Conſtans eorum populorum eſt traditio *Noachum* ſuam ibi vineam conſeviſſe; illic *Janus* mons fluviuſque, & Mons *Nyſæus* à *Baccho Nyſæo* vel *Noacho* nomen ſortitus. Ingentes antiquiſſimorum temporum ac ferè incredibiles in iis atque vicinis regionibus conſcripti exer-

1656
2256

citus, gentes illas, colonias ex *Armeniâ* vel *Babyloniâ* ductas non fuiſſe, ſatis ſuperq; evincunt. Quin & ipſæ ſacræ literæ primos *Babyloniæ* incolas non ex *Armeniâ*, ad *Circium* ſitâ, ſed ex oriente illò commigrâſſe teſtantur, dicentes, Evenit autem cùm ab oriente profecti eſſent, ut inventes convallem in terrâ *Schinaar*, conſiderent illic. Quod ſi in montium *Gordiæorum* editiſſimo, *Baris* ſeu *Lubaris* dicto, ſubſediſſet, uti permulti ſomniârunt, Arca, cur non in famoſiſſimâ illâ gentium de antiquitate concertatione cum *Scythis*, *Phrygibus* atque *Ægyptiis* litem etiam conteſtati ſunt *Armenii*? præcipuè ſi, ut *Joſephus* è *Beroſo* & *Nicolao Damaſceno* narrat, illiuſce navigii reliquiæ ipſorum ætate ibi ſuperfuiſſent, unde abraſum bitumen amuleti vice geſtabant incolæ. Arcam certè non modo in monte omnium editiſſimo, ut Scriptura innuit, ſed in terrâ etiam omnium editiſſimâ ſubſediſſe veriſſima ratio ſuadet. *Margianã* verò, *Bactrianam* ac *Scythiam Armeniâ* multo elatiores, monteſq; *Caucaſios Gordiæis* multò excelſiores eſſe conſtat. Neq; enim per *Ararat* ſolos illos *Armeniæ* montes *Gordiæos*, ſed perpetuam illam montium congeriem ab *Armeniâ* ad *Indiam* uſq; exporrectam deſignare velle intelligendus eſt *Moſes*. Qui plura ſuper hâc re velit, *Lutherum*,

Geneſ. c. 11. ver. 2.

rum, Becanum, Raleighum, Helenumq; coſmographũ conſulat, præter quos *Sheringhamus* ipſam terram *Ararat* non *Armeniam* eſſe ſed *Scythiam* probare ſtrenuè contendit. *Orig Gent. Angl*

Arcâ itaq; in montibus *Caucaſiis* quieſcente, egreſſi *Noachus* & filii gentibus omnibus atque adeò noſtris *Albionicis* originem dederunt. Ex his *Japetum Europæorum*, & borealium *Aſiaticorum* patrẽ exiſtimârunt veteres tàm patres quàm hiſtorici. *Japeto*, inquit *Joſephus*, filii fuerunt ſeptem. Horum ſedes à *Tauro* & *Amano* montibus incipientes in *Aſiâ* ad amnem uſq; *Tanaim*, in *Europâ* uſq; *Gades* pertingebant. *Abydenus* vetuſtus Scriptor (quẽ & *Euſebius* ſequitur) boreales atq; occidentales mundi plagas *Japeto* ejuſq; filiis tribuit à *Mediâ* uſq; ad *Gades*. *Hieronymus* in Quæſtionibus ſeu Traditionibus Hebraicis in *Geneſim*, *Japeto* filio *Noæ*, inquit, nati ſunt ſeptem filii qui poſſederunt terram, in *Aſiâ* ab *Amano* & *Tauro Syriæ Cœles* & *Ciliciæ* montibus uſque ad fluvium *Tanaim* in *Europâ* verò uſque ad *Gadira*. Identidem *Targumiſtæ*, Filii *Japheth Gomer*; & nomen provinciarum eorum *Africa*, *Germania*, & *Madai*, & *Macedonia*, & *Aſia*, & *Thracia*. Hic per *Aſiam* non tertia orbis pars intelligitur, ſed peculiaris quædam provincia, *Straboni* memorata, ab eoque in *Cimmeriâ* prope *Sindicam* collocata, cu-

jus incolæ *Ptolemæo Aſai* & *Aſiotæ* nuncupantur. *Africam Bochartus* cenſet eſſe *Phrygiam*, *Sheringhamus Ciliciam*, nos potiùs illam *Africæ* partem, *Marmaricæ* conterminam, ubi *Battus Græcus Ariſtæi* filius, *Japeto* & *Javane* oriundus, regnum erexit *Cyrenaicum*. Ad *Madai* quod attinet, pro *Æmathiâ* terram illam accipit *Joſephus Medus* in eruditâ ſuâ in quintum decimi *Geneſeôs* capitis verſum diſſertatione, quaſi Αιμαθία pro Αἶα Μαδαι diceretur; non ita veri ſimile arbitratus, ſolum ex *Japetidis Madai* inter *Semidas* in *Mediâ* ſubſtitiſſe; quo facto tamen ipſemet intra anguſtos nimis arctoſque limites inter *Javanis Thiræque* poſteros, ſeptimam Japetidarum partem coercet. At *Heideggerus* in *Sarmatiâ Madai* filios ponit, *Sarmataſque* dictos ſentit quaſi מדי reliquias *Madai*; niſi potiùs nomen hoc deducendum fuerit a שר quod principem denotat & מדי, quaſi principes *Madai* Reliqua autem, *Germania*, *Thracia*, & *Macedonia*, notiſſimæ ſunt in *Europâ* Regiones. *Iſidorus* ex antiquo Scriptore retulit, Ortas *Japeto* Gentes à monte *Tauro* versùs ſeptentrionem, *Aſiæ* dimidium poſſediſſe, totamque *Europam* uſque ad *Oceanum Britannicum*; Gentium denique inſulas inter *Japeti* poſteros fuiſſe diviſas ipſe teſtatur *Moſes*, quod de *Europæ* inſulis, peninſ-

Heideg. Exercit. 23. Sect. 1. de Japhet.

inſulis & Cherſoneſis plerique omnes interpretantur Theologi. Qui verò vocem Hebræam ים per Regiones potiùs quàm Inſulas verti debere obſtrepunt, faciunt perinde ac ſi aſſererent totum ferè mundum *Japetidis* fuiſſe habitatum; quippe qui rationem omninò nullam idoneam proferunt aut proferre poſſunt cur ſolæ *Japeti*, potiùs quàm *Chami*, *Elami*, *Aſſuris*, *Ludis*, & *Arami* provinciæ, gentium regiones nuncuparentur, cum *Moſis* tempore, Univerſi ex æquo populi, præter *Abramidas*, eâdem Gentiliſmi caligine eſſent obvoluti.

Anno nativitatis *Pelegi*, qui fuit à diluvio juxta codicem Hebraicum centeſimus primus, (juxta Septuaginta interpretes quingenteſimus triceſimus primus) facta eſt terrarum ac regionum diſtributio, & mox emiſſæ cum ducibus coloniæ. *Noachidas* omnes in Convallem *Schinaaris* confluxiſſe, ſub *Nimrodæ Chamidas*, ſub *Joctane Semidas*, ſub *Suphne* quodam *Japetidas*, ibidemque unà immanem illam Turrim ædificare cœpiſſe, atque indè in omnes mundi plagas diſperſos fuiſſe ſomniârunt plurimi. Ecquis verò crediderit *Semum* atque *Japetum*, quorum egregiam pietatem, *Noachi* precibus ac benedictione coho neſtatam, *Moſes* prædicat, cunctoſq; 101 531

eorum filios uſq; adeò à verâ religione tam citò deſciviſſe, ut hominis Chamigenæ ſuaſu adducti, tam nefario ſeſe molimini immiſcerent? Ad eorum igitur ſententiam accedo, qui *Nimbrodi* & *Chamidis* conatum hunc giganteum aſtruunt, unde ut eorum audaciam ulciſceretur, alioſque ab illiuſmodi cœptis abſterreret, Linguas ita confudit Deus, ut ſingulæ familiæ ſingulas ſortirentur linguas. Cùm autem ab Oriente huc convolâſſe iſtud Examen liqueat, habitatas etiam primò fuiſſe partes orientales pari èr erit conſectarium. A montibus itaque *Caucaſiis*, ubi ſubſedit Arca, terriſque circumjectis, petenda eſt omnium gentium origo; cumque tam *Europæorum* quàm borealium *Aſiaticorum* pater agnoſcendus ſit *Japetus*, quis porrò ex ejus filiis gentes *Britannicas* condiderit diſpiciamus. *Madai* in *Mediâ* cum ſuis conſedit, terræque nomen ſuum indidit, cujus filii maximâ ex parte in *Sarmatiam* poſteà migrârunt, ut *Diodorus Siculus* indicat, de *Scytharum* victoriis verba faciens, quos ex provinciis à ſe bello antiquitùs ſubactis colonias deduxiſſe multas ſed duas maximas narrat, alteram ex *Aſſyriis* inter *Paphlagoniam* ac *Pontum* poſitam, ex *Medis* alteram ad *Tanaim*

Diod. lib. 2. cap. 11.

naim fluvium, cujus populum *Sauromatas* appellârunt. Et *Plinius*, Dein *Tanaim* amnem, inquit, gemino ore fluentem incolunt *Sarmatæ*, *Medorum*, ut ferunt, ſoboles. Qui vero relictas eorum ſedes occupârunt *Semidæ*, regionis nomen haud immutârunt, ſed cum reſiduis coaleſcentes, *Medi* & ipſi vocati ſunt, unde qui *CYRO*, cum *Perſis* adverſus *Babylonios* militârunt, etiam *Madai* à Prophetâ nominantur. Quòd alibi quoque factitatum legimus. Eâdem quippe ratione priſcæ *Gomari*, *Aſcanis* & *Togarmæ* in *Aſiâ* minori ſedes, primorum colonorum nomina apud Prophetas retinent; Sic qui in antiquorum *Syevorum* & *Saſonum* (*Germaniam Ptolemæi* tempore incolentium) Provincias in *Scythiâ* ſucceſſere, eorum quoque nomina ſibi aſcivere, & uſque ad ejuſdem *Ptolemæi* tempora retinuere. *MOSOCh* in *Cappadocia*, ubi olim fuit urbs *Mazaca*, primò ſubſtitit; deinde in *Colchidem* tranſiit, quam ab *Armeniâ* dirimunt montes *Moſchici*, ubi etiam *Moſchi* populi, *HERODOTO* aliiſque memorati; (quos *Plinius Moſchenos* vocat;) unde ejus poſteri in remotiores *Sarmatiæ* partes, ultra *Madai* filios penetrantes, regnum *Moſchicum* ſive *Moſchoviticum*

Plin. lib. 6. cap. 7.

Herod. lib. 3. & 7.

viticum fundârunt. *Tubal* in *Iberiam* ſe contulit, à quo urbs *Thabilaca* in *Albaniâ* vicinâ à *Ptolemæo* poſita appellationem traxiſſe videtur. Ab hoc *Iberos* primò *Thobelos* fuiſſe dictos teſtatur *Joſephus*, quos etiam *Chalybes* vocatos fuiſſe conſtat. Hi poſteà in *Hiſpaniam* trajecerunt, quæ ab iis *Iberia* nominata eſt, ubi nobilis quoque fluvius *Iberus*, & *Chalybes* populi *Bilbilis* fluvii accolæ *Juſtino* memorati.

Joſeph. l. 1. c. 7.

Juſtin. lib. 44.

Javan, qui & *Javon* & *Jovan*, primas poſuit in *Ciliciâ* ſedes, relictoque ibi *Tharſo* filio, qui *Tharſum* civitatem condidit, uſque ad *Ioniam* à ſe denominatam proceſſit; unde annis ſuccedentibus *Græciam* ac deinde maximam *Italiæ* partem replevere illius poſteri. Hic antiquiſſimus eſt *Græcorum Iaon* vel *Ion* & *Italorum Janus*. Sed & *Tharſi* poſteros, *Semidis Lude* ortis cedentes, ad cognatos demum acceſſiſſe non eſt quòd dubitemus. *Eliſſa Javani* filius in *Peloponneſo* conſedit, ubi urbs *Elis* ipſius nomen præ ſe ferre creditur; *Cethim* primò *Cyprum* inſulam (ubi urbs *Citium*) deinde *Macedoniam* ſibi vendicavit. Ab his duobus fratribus *Græcorum* inſulæ à Prophetis, *Eliſſæ* & *Cethimi* inſulæ nuncupantur. *Dodanim* verò *Rhodum* primò inſulam, deinde *Epirum* (ubi urbs *Dodona*) videtur occupâſſe. Enimverò pulſi ab *Achæis*

Iones

Iones poſt bellum *Trojanum* ex *Europâ* in *Aſiam* ſe poſtliminio receperunt (ſicut *Galli* poſtea in *Galatiam*) quod *Græcis* Antiquitatis famam undiq; aucupantibus, opinandi anſam prabuit, *Ioniæ Græciam* non *Græciæ Ioniam* extitiſſe matrem, quanquam *Hecatæus Straboni* citatus, prioris ex *Ioniâ* in *Græciam* tranſitûs meminerit. *Thyræ* obtigerunt *Thracia* & *Dacia*, ubi diu ejus memoriam conſervârunt; veteribus Geographis notiſſima, in *Thraciâ* flumen & oppidum maritimum *Athyras* dicta, itidemque in *Daciâ Tyras* flumen ejuſdemq; nominis oppidum. Inde in *Pannoniam* ſeſe effudiſſe illius poſteros credibile eſt. *Magogus Scythas*, ab ipſo *Magogæos* dictos, procreavit, qui è *Cœleſyriâ*, in quâ olim fuiſſe urbem *Magog* Græcis *Hierapolim* & *Bambycen* dictam *Plinius* docet, in *Scythiam* profecti immenſum illum terræ tractum poſſederunt. *Plin. lib. 7. cap. 23.* Horum verò neminem *Britannicarum* Gentium fuiſſe auctorem patet. Reſtat igitur *Gomarus*, qui primò *Bactrianam* incoluiſſe videtur, (ubi *Chomaram* urbem & *Chomarorum* gentem ponit *Ptolemæus*;) atque illinc in *Scythiam Sacanam* tranſiiſſe; ubi juxta fluvium *Jaxartem* *Tomaros* idem collocat *Ptolemæus*. Hìc longè latéq; per *Scythiam Sacanam* & *Scythiam* intra *Imaum* diffuſa, in

in varias tribus diſpertita eſt *Gomari* progenies, *viz. Comaros, Getas, Maſſæos, Syevos, Saſones*, & *Aſæos* ſive *Aſiotas*; *Getas* enim, reliquoſque eodem cum *Comaris* parente ortos eſſe, vicinæ tam in *Aſiâ* quàm in *Europâ* ſedes moreſque ſimiles, ac ſuſceptæ unà ubique expeditiones, claro ſatis ſunt argumento. Quibus *Europam* versùs migrantibus ſucceſſerunt *Magogæi*. Pervenientes in *Albaniam* hi *Gomari* poſteri *Græcis* innoteſcere cœperunt, & ab iis *Cimmerii* pro *Gomeriis* vel *Comeriis* appellati ſunt, unde *Cimmerinis* montibus inditum eſt nomen. Hinc in minorem *Aſiam* deſcendentes, Qui *Aſcane* prognati erant, *Phrygiam* minorem, *Bithyniam* & *Pontum*; Qui *Rhiphate*, *Paphlagoniam*, (ubi *Rhiphæi* & *Heneti* dicti ſunt;) Qui *Togarmâ*, *Phrygiam* majorem & *Galatiam* (ubi oppidum *Comara Plinii*, & *Comari* populi *Melæ*,) occupârunt. Supervenientibus autem *Semidis Lude* ortis; ad *Iſtri* fluvii oſtium navigantes, in *Daciam* excenderunt *Cimmerii*, atque inde in *Germaniam* perrexerunt. Duravit tamen apud novos earum regionum incolas, egreſſorum honos ac memoria. Nam in *Paphlagoniâ Henetorum* ſibi nomen aſſumpſerunt advenæ; & ab *Aſcane* Heroes *Phrygii* dicebantur

Mela l. 1.

bantur *Aſcanii*, è quibus *Æneæ* filius *Aſcanius Virgilio*, & ante eum alter ejuſdem nominis, qui *Trojanis Achaico* bello laborantibus ſuppetias tulit, *Homero* celebratur; & juxta *Trojam* inſulæ *Aſcaniæ*, ſinuſque ac fluvius & lacus *Aſcanii* in *Bythyniâ*, veteribus memorantur. *Hom. Il. lib. 2.*

Cimmeriorum ſanè aliqui ad Boſporum habitârunt, qui ab illis *Cimmerii* agnomen ſumpſit, atque ibi à vicinis etiam *Cimbri* vocati ſunt, & pagi illic *Cimbrici* meminit *Strabo*, ubi naves ſolebant ſolvere qui paludem *Mæotim* transfretabant. Pulſi verò à *Scythis* in *Lydiam* invaſerunt, *Phrygiamque* penetrantes *Cimmerim* urbem extruxerunt, priſtinæ, utì conjicere eſt, patriæ capti deſiderio. At iſti tantùm pars populi exigua, ac profugorum duntaxàt ac ſeditioſorum erant caterva. Maxima autem & bellicoſiſſima *Cimmeriorum* multitudo, ut in *Mario* ſuo narrat *Plutarchus*, in ultimis ad oceanum oris ſedes habuere, regionemque incoluere, ob profundas ac denſas ſylvas, quæ ad *Hercynios* uſque ſaltus introrſùs pertinent, caliginoſam, nemoroſam & opacam. Cœlum ſortiti quà polus ſeptentrionalis ex parallelorum inclinatione ſublimis, parùm diſtare videtur ab imminente incolarum vertici puncto, ubi *Strabo Geogr. Lib.* *Plut. in Mario.*

ubi dies brevitate & prolixitate pares noctibus, in partes duas ſecant anni tempus; (unde fabulæ occaſio nata *Homero* de inferis ſcribenti;) atque inde in *Italiam* moverunt; qui primùm *Cimmerii*, tunc non abſonè *Cimbri* dicti ſunt. Hæc ille, quem de *Germaniâ* loqui nemo non videt. *Judæi* illam, terram *Aſcanis* vocant, aliiq; *Tuiſcones* dictos quaſi *Die Aſcanes* volunt; & *Gothicarum* Gentium patrem fuiſſe *Aſcanem* diſertè perhibet *Euſebius*; & Talmudiſtæ in *Ioma*, *Togarmam Aſcanis* fratrem *Germanicæ* gentis ſtructorem faciunt; *Targum* quoque *Jonathanis* ad ſextum capitis triceſimi octavi *Ezechielis* verſum pro *Togarmâ Garmamja* habet, quod interpres latinus *Germaniam* reddit. Qui omnes in hoc conſentiunt, *Gomerum* extitiſſe *Germanorum* conditorem.

Tuiſtonem ſive *Tuiſconem* primum *Germaniæ* principem, aut ipſum *Aſcanem* aut *Aſcane* editum fuiſſe plerique exiſtimant; primumq; *Cherſoneſi Cimbricæ* Judicem fuiſſe *Segudum Togarmæ* è filio *Gomero* juniore nepotem, antiquitatum *Cimbricarum* concinnatores prodidiſſe, docet *Suaningius* in Chronologiâ Danicâ. Neq; enim eſt quòd à vero tantoperè abhorrere quiſpiam arbitretur, regnâſſe in *Germaniâ Gomeri* nepotes vel pronepotes, ſi, quàm longævi illâ

illa ætate fuerint patriarchæ, animadverterint. *Rhiphæi* autem, qui & *Heneti*, *Venedos*, per orientales *Balthici* maris oras disseminatos, condiderunt. Negant certè nonnulli eosdem esse *Cimbros* & *Cimmerios*, quorum rationes cum tenuiores sint quàm quibus respondere operæ pretium fuerit, quid prisci senserint authores ostendere satis habuero. *Possidonius* apud *Strabonem Cimbros* Græcis *Cimmerios* appellatos, ab iisque ad *Mæotim* usq; lacum progressis *Cimmerium* bosporum quasi *Cimbricum* fuisse denominatum, expressè asserit. Et *Diodorus Siculus*, Διαβεβοημένης δὲ τῆς τούτων ἄλκης καὶ ἀγριότητος, φασὶ τινὲς, ἐν τοῖς παλαίοις χρόνοις τὴν Ἀσίαν ἅπασαν καταδρέμονται, ὀνομαζομένους δὲ Κιμμερίους τούτους εἶναι, βραχὺ τοῦ χρόνου τὴν λέξιν φθείροντος ἐν τῇ τῶν καλουμένων Κίμβρων προσηγορίᾳ· pervulgatâ horum fortitudine ac feritate, ipsos esse tradunt qui totam olim *Asiam* incursârunt, appellatos verò fuisse *Cimmerios*, paulòq; immutato per temporis corruptionem nomine *Cimbros* nuncupatos. Et *Stephanus Byzantinus* in voce Ἄβροι. Κίμβροι οὓς τινὲς φασὶ Κιμμερίους, *Cimbri*, inquit, quos quidam *Cimmerios* vocant. Sunt qui recentius esse aiunt *Cimmeriorum* nomen quàm ut inde quippiam de *Gomericâ* eorum origine erui possit, idque *Pliniano* hoc freti testimonio, Oppida in adyto Bos-

Strab. lib. 7.

Diod. lib. 2. cap. 11.

Plin lib. 6. cap. 6.

Plin. lib. 6. cap. 6. Bospori, primò *Hermonassa*, dein *Cepi Milesiorum*, mox *Stratoclea* & *Phanagoria*, & penè desertum *Apaturos*, ultimoque in ostio *Cimmerium* quod antea *Cerberion* vocabatur. Et *Hesychium* citant, in dictionem Κερβέριον, Φασὶ δὲ τοὺς Κιμμερίους Κερβερίους, καὶ τὴν πόλιν οἱ μὲν Κερβερίαν καλοῦσιν, οἱ δὲ Κιμμερίαν, ἄλλοι δὲ Κίμμι: ἔστι δὲ τόπος ἐν Ἅδου Κερβέριος τρικάρηνος; Vocant etiam & *Cimmerios Cerberios*, & urbem alii *Cerberiam*, alii *Cimmeriam* appellant, alii etiam *Cimmi*; est autem *Cerberius* locus triceps in Inferno: atque hinc *Cerberios* primò vocatos autumant. Enimverò qui *Plinii*, *Hesychiique* verba attentiùs expenderint, nihil illìnc elici posse dignoscent, nisi quòd post illum *Posidonio* ac *Plutarcho* memoratum profugorum è *Germaniâ Cimbrorum* accessum, *Cerberion* oppidum *Cimmerium* Græcis appellari cæperit, utroque retento nomine, sicut in *Constantinopoli* factum novimus quæ priscum quoq; *Byzantii* nomen unà retinuit; unde à prædicto oppido *Cimmerii* ipsi etiam *Cerberii* erant agnominati. Quin & *Raleighus* noster errâsse *Ral lib. 1. c. 8. sect. 6.* hìc *Plinium* censet, oppidumque *Cerberion* non in adyto Bospori sed in *Campaniâ* situm esse scribit, (ubi *Acheron* fluvius, lacusque *Acherusia* & *Avernus*,) & ab aquis bituminosis ac insalubribus quas intromisso

intromiſſo lacu *Lucrino Auguſtus* expurgavit denominatum quaſi infernale. Cui favent Antiquiores *Homeri* Scholiaſtæ, qui in illo *Homeri* carmine Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε; Ibi verò *Cimmeriorum* hominum populuſque civitaſque, pro Κιμμερίων reponunt Κερβερίων. Et Scholiaſtes in *Ariſtophanis Ranas*, Τίνες δὲ παρ' Ὁμήρῳ γεγράφασι, Ἔνθα ὁ Κερβερίων ἀντὶ τοῦ Κιμμερίων; Quidam, inquit, apud *Homerum* ſcribunt *Cerberiorum*, pro *Cimmeriorum*: Quo tamen in loco non de *Mæotiis* ſed *Italicis Cimmeriis* loqui poetam eruditi arbitrantur.

Quòd autem *Cimmeriorum* nomen ἀπὸ τοῦ Κεμμέρου à nebulâ, & ἀπὸ τῆς χειμῶνος ab hyeme; à nebuloſis ſcilicet gelidiſque ſedibus deducunt Græculi aliquot Grammatici, adeòque *Cemmerios* & *Chîmerios* ſcribunt, id uſitatam Græcorum ſapit vanitatem populorum & locorum appellationes ex ipſorum linguâ petitas obtendentium, quaſi ab iis alii omnes originem traxiſſent. Porrò, qui *Cimbros* à *Cimmeriis* verſos eſſe ſtatuunt, à *Feſto* & *Plutarcho* malè intellectis decepti, à latrociniis nominatos putant. *Cimbri*, inquit *Feſtus*, linguâ Gallicâ latrones dicuntur, & *Plutarchus* Κίμβρους ὑπονομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς λῃστάς, *Germani*, inquit, latrones *Cimbros* nomi- *Plut. in vitâ Marii.*

nabant. (Hinc obitèr notare haud abs re fuerit, quam *Plutarchus* Germanicam, hanc *Feſtum* Gallicam linguam appellare.) Atqui antiqüioribus, latrones latinè & Λῃσταὶ græcè robuſti milites dicebantur, utì fuſiùs docuit *Sheringhamus*. *Feſtum* verò ipſum & *Plutarchum* linguæ *Cimbricæ* minùs peritòs fefellit vocum *Kimber* & *Kimper* ſimilitudo. *Cimber* enim ſive *Cimmerius* linguâ vernaculâ *Kimber* & *Kimmer* dictus eſt, at *Kimper* (hoc eſt, miles) à *Kemper* corruptum eſt, quod à *Kemp* (latinè campo) derivatur.

E *Germania Cimbri* in *Galliam* atque inde in *Britanniam* miſêre colonias; unde *Galli* crebrò apud veteres Scriptores *Cimbri* audiunt, & à *Joſepho* ac *Zonarâ* expreſsè Γομαξῆς *Gomari* (à *Gomaro*) vocantur; & *Ciſalpini Galli* eſſe videntur, qui *Joſepho Aſchanaxi*, Græcis, ut ille ait, *Rhegines*, à nobili forſan urbe *Rhegio*, nominantur; ac *Britanni* à ſeipſis *Kymri* appellantur; fœmina *Britannica Kimraes*, & ipſa lingua *Kimraeg*; atque hinc nata ſunt *Cambriæ* & *Cumbriæ*, *Cambrorum* & *Cumbrorum* nomina. Pro Cimbrica *Britannorum* origine facit *Virgilius* apud *Quintilianum*, *Tullium Cimbrum*, *Thucydidem Britannum* appellans: Itemque *Tacitus*. *Rutilæ*, inquit ille, *Caledoniam*

Quint. l. 8. c. 3.

ntum habitantium comæ, magni artus, *Germanicam* originem aſſeverant. Et, in univerſum æſtimanti, *Gallos* vicinum ſolum occupâſſe credibile eſt. *Galli* verò & *Germani* ut oſtenſum eſt *Cimbrici* fuerunt populi, quanquam procedente tempore ſolis Borealibus *Cimbricæ Cherſoneſi* incolis & *Britannis* noſtris manſit priſtina *Cimbrorum* appellatio. Primi igitur, è *Gallia Britanni* cum aliis quibuſdam è *Germania* adveniſſe, atque interiorem inſulæ partem habitâſſe videntur; ſeque pro indigenis ac aboriginibus jactitârunt, quod & *Cæſari* ac *Diodoro Siculo* perſuaſerunt. Alii hùc poſtea è *Galliâ* itidem, prædæ ac belli inferendi causâ trajicientes, maritima incoluerunt, qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellabantur quibus ex civitatibus eò pervenerunt. *Belgæ*, *Atrebates*, *Pariſii*, *Cenomanni*, *Veneti Galliæ*; *Belgas*, *Atrebatios*, *Pariſos*, *Cenimagnos*, & *Venedotos* in *Britanniâ* propagârunt. *Britanni* verò *Gallorum* omnium primi, ut *Beda* ſcribit, de tractu Armoricano advecti Auſtrales ſibi partes inſulæ vindicârunt, magnamque ejus partem incipientes ab auſtro poſſedêrunt, ſuumque toti & genti & inſulæ nomen indidêrunt. At qui reſtabant in *Galliâ*, ad *Morinos* tranſierunt, iiſque permiſti

Tacit. in vitâ Agric.

Cæſar lib. 5. de bello Gall.

Beda l. 1. c. 1.

ſunt, à quibus *Geſſoriacum*, portus *Morinorum* Britannici nomen traxit. Horum *Britannorum* meminit *Plinius*, ùt & *Dionyſius Alexandrinus*, Τῆς ἤτοι πυμάτιον μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται, Ἀγχῦ σπλάων, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων, Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τελεσσιμβρότου, ἧχι Βορέης Ὠκεανῦ ψυχρὸς κέχυται ῥόος, ἔνθα Βρεττανοὶ, Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν, Cujus extremum quidem ſub angulum incolunt, prope columnas, magnanimorum gens *Iberorum*, juxta longitudinem ad continentem verſa, ubi ſeptentrionalis Oceani fuſus eſt frigidus fluxus, ubi *Britanni*, *Albæque* gentes habitant martiorum *Germanorum*. Hic voces illas, [ubi *Britanni*] alteras illas voces, [Juxta longitudinem ad continentem verſa,] reſpicere, monuit doctiſſimus *Camdenus*; & *Euſtathius* in hunc locum ſic ſcribit Τῶν δὲ Βρεττανῶν τούτων παρώνυμοι αἱ ἀντίπεραν Βρεττανίδες νῆσοι, ab his *Britannis* denominatæ ſunt Britannicæ è regione inſulæ.

Plin. lib. 4. cap. 17.

Eâdem *Britannos* cum antiquis *Cimbris* ac *Gallis* uſos fuiſſe linguâ abundè probavit *Camdenus*. *Plinius*, inquit ille, ex *Philemone* tradit, quòd mare mortuum linguâ *Cimbricâ* reddatur *Morimaruſa*; Atqui *Mor* apud *Britannos*, Mare, *Marum*, Mortuum denotat. Qui juniori *Brenno* in *Græcia* militârunt promiſcuè *Cimbri* ac *Galli* appellantur, quibus hujuſmodi equeſtris

Plin. lib. 4.

ſtris pugna in uſu fuit; medium inter ſe dominum bini ſtipabant ſervi, qui mos pugnandi à tribus illis equis *Trimarchia* dicebatur; at *Cambro-Britannis*, Tri, Tres; March, Equus eſt. Qui plura ſuper hâc re ſcire deſiderat, *Camdenum* ipſum conſulat. Similes & bello & pace utriſq; tam *Gallis* quam *Britannis* mores ac conſuetudines à *Cimbris* accepti, & conſimilia ferè ædificia. A *Cimbris* ſive *Cimmeriis*, quorum pars erant *Agathyrſi*, corporum p ictură celebres; *Britannos* ſuam ſe depingendi conſuetudinem traxiſſe, veri eſt omnino ſimillimum. Apud utroſque tam *Gallos* quàm *Britannos* in ſummo honore ac pretio erant *Bardi*, *Eubages*, & *Druides*; è quibus *Bardi* fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitârunt; *Eubages* verò ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ, pandere conabantur; *Druides* autem ingeniis celſiores, ut authoritas *Pythagoræ* decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, queſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt; & deſpectantes humana, pronuntiârunt animas immortales. Floruiſſe tamen magis atque excelluiſſe in *Britanniâ* hæc ſtudia liquet; quò etiam *Gallos* Cæſar dicendi causâ transfretare ſolitos narrat, utpote, ubi reperta primò eſt *Druidûm* diſciplina.

Pauſan. l. 10.

Amm. Marcel. lib. 15.

Cæſar de bello Gallico, lib. 6.

Item

Cæſar l. 6. de bello Gal.

Ditem Galli, patrem generiſque authorem celebrant, quem in *Galliam* è *Germaniâ* primùm venientibus præfuiſſe eſt probabile. Huic *Samothis* agnomen tribuit, *Gallis*que ac *Britannis* imperâſſe refert *Beroſus Annianus* ejuſque ſucceſſores ordine recenſet; *Magum* ſcilicèt *Samothis* filium, *Sarronem Magi*, *Druidem Sarronis*, *Bardum Druidis*, *Longonem Bardi*, *Bardum* juniorem *Longonis*, ejuſque fratrem *Lucum*, *Celten Bardi* filium (*Parthenio Nicæo Bretanum* dictum,) *Galateam Celtæ* filiam (*Parthenio Celticen* dictam) *Herculi Lybico* nuptam, *Galaten Herculis* è *Galateâ*, filium (eidem ſcriptori *Celten* dictum) *Narbonem Galatæ*, *Lugdum Narbonis*, *Beligium Lugdi* filium, *Jaſium Italum*, *Allobrogem Beligii* agnatum, *Romum Allobrogis* filium, *Paridem Romi*, *Lemanem Paridis*, *Olbium Lemanis*, *Galaten* juniorem *Olbii*, *Namnetem Galatæ*, *Rhemum*que *Namnetis* filium. *A Samothe Samotheos* nuncupatos volunt inſulanos noſtròs fictitii hujus *Beroſi* ſectatores & ſub *Luco* rege ſubactas ab *Albione* & *Bergione Neptuni Ægyptii* filiis (*Pomponio Melæ* memoratis) *Britanniam* atque *Hiberniam* narrant, quos in *Saxeto Gallicano* (vulgò *Le Craux* appellato) devictos regnante *Celte* occidit *Hercules*. Dirum exinde atque internecinum

num exortum eſt inter *Samotheos* ac *Albionios* bellum, tantæque utrinque ſtrages editæ ut conſulenti ejus oraculum *Britoni* reſpondens, deſertam hanc vocaret inſulam *Diana*. Hujus nimirum belli (adùſque *Britonis* adventum perdurantis) tempore appulſam huc fuiſſe ſine velis ac remis navim quinquaginta *Diocletiani* regis. *Syriaci* filias, nocturnam maritorum cædem exilio luentes, advehentem, deſumptâ à *Belidibus* fabulâ, quidam finxere nugivenduli; quibuſcum coeuntes (*Samotheorum* filiabus perosi) *Albionii* Gigantes procreârunt. Ab *Albione* prædicto denominata fertur inſula, quanquam aliis *Albion* quaſi *Alphion* videtur nuncupata, ab *Albedine*, cum Ἀλφὸς Græcè, ſi *Feſto* credimus, latinè *Albus* ſit; Nam *Orpheus* in *Argonauticis* terram hanc χέρσον λευκᾶον, hoc eſt, *Albam* vocat. *Hillus Dionyſii* periegeſin explicans, *Albionis* nomen ab *Allybaun* efformatum cenſet, quo nomine tractum inſulæ ſeptentrionalem appellârunt *Scoti Hibernienſes*, quo etiam pacto ab albedine ſumeret appellationem, nam *Ellan Ban* Scoticè *Albam* inſulam ſignificat, albumque ac gypſeum eſſe terræ hujus ſolum notavit *Fracaſtorius*. Aliis *Albionem* quaſi *Olbionem* dicere placuit a Græcâ voce Ὄλβος fælicitatem deno-

Chron. Sancti Alb.

denotante, propter eximiam fertilitatem. Quin etiam *Olbiam* in *Gallia*, urbem, aliaſq; ejuſdem nominis in *Sarmatiâ*, *Europæâ*, & *Aſiâ minori*, memorat *Ptolemeus*, quibus olim in locis aliquantiſpèr conſederant *Britannorum* Majores, unde *Olbion* facilè nominari poterat. *Franco* (quem *Franicum* & *Francionem* aliqui vocant) *Hectoris Germanorum* Regis filio, quam unicam habuit filiam rex *Rhemus* deſponſavit, qui patri ſoceroq; in regna ſuccedens latè imperavit, & *Sicambrum* genuit *Polyphemum*, (hoc eſt, famoſum) a *Græcis* agnominatum, *Germanis Wolfheim Sickinger* dictum. *Francum* hunc *Hectoris* filium *Aſtyanactis* fratrem facit, vocatumq; antea *Laodamanta* ſcribit *Amandus Zirixæus*, Tres poſt ſe filios ex uxore *Galateâ* reliquit *Polyphemus*, *Celten Germanorum*, *Illyrium Illyriorum*, *Galaten*, *Gallorum* reges. Poſt *Galatæ* mortem inter duodecim *Toparchas* diviſa eſt *Gallia*, e quibus *Aquitaniam* & *Pictaviam* cum *Armoricæ* parte obtinuit *Groffarius*.

Rex *Albæ* in *Italiâ* *Aſcanius Sylvium Julum* genuiſſe fertur qui *Laviniæ* reginæ neptem duxit uxorem. Illa filium enixa, partûs cruciatibus enecta obiit. Filius (juxta *Nennium*) *Brito* nominatus eſt; (cujus nominis Centaurum memorat *Hyginus*;

ginus, Nymphamq; *Britonam*, (quæ *Britomartis* etiam & *Dictynna* vocabatur) alii ſcriptores Græci prædicant. *Aſcanio* mortuo frater ſucceſſit *Sylvius* poſthumus *Æneæ* ex *Laviniâ* filius, populi ſuffragiis matris gratiâ *Sylvio Julo* prælatus, cui tamen ſummus confertur Pontificatus, qui honos apud *Albanos* regio ſemper habitus eſt proximus. Ille inter venandum errantis filii ſagittâ ictus occubuit, relicto etiam altero filio natu majore, *Juliæ* ſtirpis auctore. *Brito* quindecennis ob inauſpicatam patris cædem *Poſthumi* juſſu exulans, in *Græciam* proficiſcitur, ubi *Heleni* in *Chaoniâ* poſteros multoſq; alios ſanguine Trojano editos, a vicino rege oppreſſos reperit. Horum ille dux factus (adjuncto ſibi *Aſſaraco* matre Trojanâ nato) regem *Pandraſum* duobus præliis victum cepit, unà cum fratre *Antigono* ejuſq; amico *Anacleto*. Captus in has pacis conſentire leges Rex cogitur, ut *Britoni* filiam *Ignogen* nuptui daret, traditâq; trecentarum viginti quatuor navium claſſe, rebus quæcunq; opus erant cunctis affatim inſtructiſſimâ, liberam ei cum *Trojanis* omnibus abſcedendi copiam faceret. Conſultum in inſulâ quâdam *Dianæ* Oraculum, propitium reddidit reſponſum; pergentibuſq; poſt triumphatos piratas

& vaſtatam *Mauritaniam*, obvius factus ex *Antenoridarum* proſapiâ *Chorinæus*, ſua iis agmina ſociavit. Hinc *Ligeris* fluvii oſtium ſubeuntes in *Galliam* excendêrunt, regiſq; nuntios venatione ipſis interdicentes, cæſo a *Chorinæo Imberto* abegerunt, moxq; ſupervenientem cum exercitu *Groffarium*, perempto itidem à *Chorinæo Suardo* duce, *Trojani* fortiter profligârunt. *Socio* devicto alii reges *Gallici* auxilio adſunt, editâq; atroci pugnâ, *Trojanos* in caſtra compulerunt; qui noctu ingreſſi, poſitiſq; in nemore propinquo inſidiis, *Gallos* nuperâ victoriâ exultantes adorti, fædiſſimâ ſtrage concîderunt. Cecidit hoc prælio cognatus *Britonis Turnus*, in cujus memoriam ædificata urbs *Turonum* fertur.

Ubi tandem continuè bellando, ſuorum minui, hoſtium contrà augeri numerum perſpiceret, *Britaniam*, derelictâ *Galliâ* petere inſtitutit *Brito*. Advenientem in littore *Totoneſio* proſpicientes *Albionii* gigantes, concurrerunt (uti narrat in ſuâ ad *Warinum* epiſtola *Henricus Huntingdonienſis*) contra ejus naves in mare, & cùm in tantam profunditatem perveniſſent, quod nec in eum progredi nec facilè regredi potuiſſent, ſagittis & baliſtis occiſi ſunt. Peragratis inde quibuſq; provinciis repertos gigantes in cavernas montium

um fugant, inquit *Galfridus Monumc-* *Galfr.*
thenſis. Ea res mirifice iis *Samotheorum* *lib* 1.
omnium amorem conciliavit, Qui a re- *cap* 9.
gibus Gallicis neglectui diù habiti, animis alacribus novos exceperunt hoſpites, *Britonemq*; regem conſalutârunt. In illum portu *Totoneſio*, feſtum Diis diem celebrantem, triginta, duce *Gormagoto*, *Albionii* irruêrunt, multoſq; interemerunt; ſed ipſi demùm a populo circumdati ad unum omnes periere, præter ipſum *Gormagotum* immenſiæ ſtaturæ virum; qui comprehenſus & aſſervatus, ac coram rege poſteà cum *Chorinæo* colluctatus, de rupis eccelſæ ſummitate ab eo in mare præcipitatus eſt. Cæteris deinde *Albioniis* brevi penitùs extirpatis, *Brito* ſubditos a ſuo nomine *Britones* vocari juſſit, urbemq; condidit quam *Trojam* novam appellavit, ubi cùm annos circitèr viginti quatuor regnâſſet a filiis ſepultus eſt. *Chorinæo* data eſt *Cornubia*, dicta olim ab ejus nomine *Corina*. Poſt *Britonis* mortem diviſum ita eſt inter ejus filios regnum ut in *Cambriâ Camber* regnaret, in *Albaniâ Albanactus*, ambo maximo natu fratri *Loegriæ* regi *Locrino* ſubjecti. Hunc *Britonem Eli*, pontifici *Iſraelitico* coætaneum fuiſſe volunt *Britani*, ejuſq; præterea Heroas *Mempricium* conſiliarium &

Gerionem augurem celebrant; quos tertiâ mundi ætate huc veniſſe ſcribit *Nennius*. Poſt *Locrinum* regnavit uxor *Guendolena Chorinæi* filia, deinde *Locrini* & *Guendolenæ* filius *Madanus*, *Mempicius Madani*, (*Manlii* fratris cæde infamis,) *Eboracus Mempricii*, (*Britannis Ebrauc*, dictus,) *Brutus* ſeu potius *Brito Eboraci* à ſcuto viridi cognominatus, *Lelius* Bruti, *Rudibratus Lelii*, Bladudus *Rudibratii* & *Lerius* Bladudi. Hic cum tres filias haberet, *Maglano Albaniæ*, *Raganam Hennino Danmoniæ* Principibus, matrimonio junxit. Tertia nomine *Cordella Aganippo* regi Gallico nupſit, pulſumq; a ſororibus patrem in regnum reſtituit atq; illi demùm ſucceſſit; Capta a nepotibus *Morgano Maglani*, *Cunedagio Hennini* filiis, & carceri mancipata victam mærore animam efflavit. Superatum bello civili *Morganum* interfecit, et proinde ſolus regnavit, *Cunedagius*; quem ſecuti ſunt *Rivallo Cunedagii* filius, *Gorguſtus Rivallonii*, ejuſq; frater *Siſillus*, *Jago Gorguſti* filius aut nepos, *Chynimarchus Siſilli*, *Gorbodugus Chinimarchi*, *Porrex* fraterq; *Ferrex Gorbodugi* filii. Fratris inſidias fugiens in *Galliam* abiit *Ferrex*, & cum *Suardi* regis auxiliis rediens fuſo a *Porrece* exercitu occumbit. Victorem (victi longè amantior) ſopitum in tentorio, cum ancillis occupans, in fruſta diſcidit

Quint. l. 8. c. 3.

cidit communis mater *Videnia.* Poſt ejus mortem in quinq; regna diſpertita eſt Britannia, regnantibus, in *Danmoniâ Cloteno*, in *Loegriâ Pyrane*, *in Cambriâ Rudaco*, in *Northumbriâ Eugenio*, & in *Albaniâ Staterio.* Succedens patri *Cloteno* in regno *Danmonienſi Mølmutius Dunvallo* regis *Gorguſti* trinepos, extinctis bello *Pyrane*, *Rudaco* & *Staterio*, acceptoq; in deditionem *Eugenio*, *Britanniæ* monarcha evaſit. Filii ejus *Belinus* & *Brennus* (victo *Chenulpho Morinorum* rege celebris) poſt diuturna odia ac diſſidia, *Convennæ* matris interventu concordes effecti, regiones plurimas ingentibus *Gallorum* ac *Britannorum* copiis ſtipati incurſârunt. *Veios* confugere, ſtratos ad *Alliam* flumen *Romanos* coegit, ipſamq; captam diripuit *Romam Brennus.* At præſtantiſſimum nacti ducem *Camillum*, (in exilium paulò antè civium invidiâ actum) regreſſi, *Veiis Romani* capitolium obſeſſum inito conflictu liberârunt, & adoctavum ab urbe lapidem hoſtes in viâ *Gabinâ* aſſecuti, ad internecionem uſq; cum ipſo duce *Brenno* deleverunt Hìc aurum *Brenno* a *Sulpitio* tribuno numeratum, receptum eſt, non autem totum præmiſſa enim pars fuerat ad *Gallicas* in *Etruriâ* colonias cum aliquot turmis, quæ cognitâ ſociorum clade

Liv. Dec. 1. lib. 5.

ſeſe

ſeſe *Dionyſio* tyranno adjunxerunt; hanc etiam diu poſtea ex provinciâ *Galliâ* in fiſcum retulit Proprætor *Livius Druſus.* *Juſtin. lib. 20.* *Sueton. in Tib.* *Belinus Pannoniam* ſubegit, relictâq; illic *Gallorum* ac *Britannorum* coloniâ, Regnum ſuum fæliciter repetiit, morienſq; filium *Gorguntium* habuit ſucceſſorem. Poſt hunc regnavit filius *Guitelinus*, quo mortuo, Regnum adminiſtravit uxor *Martia* quoad *Siſyillus* filius adoleſcret. *Siſyillo* ſucceſſit filius *Chiomarus* cui frater *Elanius* (ſive *Danius*,) cui filius e *Tanguſtelâ* concubinâ *Morindus.* Ingruentem ille *Morinorum* regem cæſis ferè omnibus ejus militibus profligavit, ipſe poſtmodùm cum monſtro marino congreſſus ab eodem devoratur. Quo mortuo inter quinq; filios in totidem regna diviſa eſt *Britannia.* Hi erant *Gorbonianus*, *Archigallo*, *Elidurus*, *Eugenius* & *Peredurus.* *Gorbonianum* excepit filius *Regino*; *Archigallonem* propter tyrannidem a ſuis pulſum & ab *Elidur*o fratre reſtitutum filius *Morganus*, atq; illum frater *Ennianus* ſecutus eſt. Captus ab *Eugenio* ac *Pereduro* fratribus, idem *Elidurus* poſt ipſorum mortem amiſſum regnum recuperavit, filioq; *Gerontio* reliquit. *Eugenio Edovallus*, *Pereduro Runo*, filii ſucceſſerunt. *Gerontio* ſucceſſit filius *Cadellus*

poſt

post quem regnârunt, *Cadelli* filius *Coelus*, *Coeli Porrex*, *Porrecis Cherinus*, cujus filii *Fulgentius Eldadus* & *Androgeus* paternum inter se regnum partiêrunt. Circa hæc tempora vixit *Brennus* junior qui e *Pannoniâ* cum ingenti exercitu in *Græciam* movens immensas illìc strages edidit. Hunc cum priore *Brenno* confundunt *Joannes Priseus* eques & *Humfredus Luddus*; ac *Polydoro Virgilio* gravitèr succensent, quòd inter cognomines hosce principes centenos denos intercessisse annos affirmet. Quanquam *Josephus Scaliger* in suis ad *Eusebium* Animadversionibus, e *Diodoro Siculo* & *Dionysio Halicarnasseo* inter se collatis probârit, *Senones* duce *Brenno* seniore Alpes *Olympiade* nònagesimâ septimâ transiisse, *Romamq*; primo *Olympiadis* nonagesimæ octavæ anno cepisse, *Pyrgione Athenis Archonte*; quo etiam tempore *Persis Artaxerxem Mnemona*, *Macedonibus Amyntam*, *Siculis Dionysium* seniorem, imperâsse constat; *Appiani* quoque hâc de re fragmentum à *Fulvio Ursino* publicatum citat Ὅτι Ὀλυμπίων τοῖς Ἕλλησι ζ καὶ ϛ γεγενημένων, τῆς γῆς τῶν Κελτῶν οὐκ ἀρκούσης αὐτοῖς διὰ το πλῆθος, ἀνίσταται μοῖρα Κελτῶν τῶν ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ἱκανὴ κατα ζήτησιν ἑτέρας γῆς; quòd nonagesimâ septimâ Græcorum Olympiade, cum *Celtarum*

terra

terra ipſorum multitudinem non caperet, exurgit ampla habitantium circa *Rhenum* *Celtarum* pars ad aliam terram exquirendam; juniorem verò hunc *Brennum* haud ante centeſimam viceſimam quartam Olympiada in *Græciam* irrupiſſe, ſuâque ſibi manu lethum illìc Olympiade proximè ſequente conſciviſſe, regnantibus in *Epiro Pyrrho*, in *Syriâ Antiocho Sotêre*, in *Ægypto Ptolomeo Philadelpho*, non minùs eſt compertum. Undè quam immeritò hìc ſuggillatur *Polydorus* facilè quiſpiam judicet. Succeſſorem habuit rex *Androgæus* filium *Urianum*, poſt quem hi reges memorantur, *Eliud Uriani*, *Cledacus Eliudis*, *Clotenus Cledaci*, *Gorguntius Cloteni*, *Merianus Gorguntii*, *Bladudus Meriani*, *Capys Bladudi*, *Oenus Capyis*, & *Oeni* filius *Siſyllus*; Hujus inter filios *Belgoredum* & *Archimallum* dividitur regnum. Secuti exinde ſunt *Archimalli Eldolus*, *Eldoli Redionus*, *Redioni Rodericus*, *Roderici Samilus* cognomento *Peniſſel*, *Samili Pyrrhus*, ac *Pyrrhi* filius *Caporius*.

Atqui e recentioribus quàm plurimi univerſos hoſce reges tanquam meras larvas atque pura puta *Annii Viterbienſis* & *Galfridi Monumethenſis* figmenta ac ſomnia ex ipsâ rerum naturâ explodere fate-

ſategerunt. Quæ nimiii tamen rigoris coargui poterit cenſura, cum apud *Cæſarem* Dis Pater, apud *Parthanium Nicæum Bretanus*, *Celtice* ac *Celtes* (Diodoro *Galates dictus*,) apud *Appianum Polyphemus* ac *Galatea*, eorumq; filii *Celtes Galates* atq; *Illyrius* occurrant. Sed reges *Aſianos* tueri non inſtituimus, nedum omnes *Galfridanos*; at vero ipſius *Britonis* longè ante *Galfridum* meminit *Nennius*, quem anno octingenteſimo quinquageſimo octavo floruiſſe conſtat; duaſq; de ejus origine recenſuit opiniones, unam vulgatam, quâ pronepos *Æneæ Trojani* conſtituitur, alteram deinde, quâ *Hiſicionis* filius fuiſſe dicebatur; qui quidem *Hiſicio Alanii* filius, qui *Sethebiri*, qui *Ogomuni*, qui *Thôi*, qui *Boibi*, qui *Semeonis*, qui *Mairi*, qui *Elthachi*, qui *Aurthachi*, qui *Ethechi*, qui *Othi*, qui *Abirti*, qui *Rai*, qui *Eſdræ*, qui *Iſrani*, qui *Barihi*, qui *Jonæ*, qui *Jabathi*, qui *Jovani* (ita *Javanum* Græci ſcriptores appellant,) qui *Japeti*, qui *Noachi*, filius extitit. Alios quoq; tres filios *Hiſicioni*, tribuit *Francum Francorum*, *Romanum Romanorum*, *Alemannum Alemannorum Epônymos*. *Hiſicionis* frater *Armeno* quinque habuiſſe filios perhibetur, *Gothum Gothorum*, *Valagothum Valagethorum*, (qui *Jorandi*

sunt *Vagothi*,) *Cebidum* Gepidarum, *Burgundum Burgundionum* & *Langobardum Longobardorum* conditiores. *Armenonis* frater *Negno* quatuor filios genuisse fertur, *Vandalum Vandolorum*, *Saxonem Saxonum*, *Bogarum Bogarorum*, (qui nunc *Bojoari* & *Bavari*,) ac *Turgum Turingorum* principes. *Britones* tertiâ mundi ætate huc advenisse testatur idem scriptor, quæ computatio cum Pontificis Hebræi *Eli* tempore ad amussim quadrat, quando Trojanos primò *Britanniam* intrâsse retulit *Monumethensis*. *Anglo-saxonibus* veteribus non incognitum fuisse hunc *Britonem* sive *Brutum* ostendunt desumpta ex codice Saxonico *M. S°*, qui extat in *Collegio Trinitatis*, carmina. Locum jam antè notavit *Whelocus* Academiæ Cantabrigiensis nuper biblothecarius publicus. Of alle for one piman, Dat Heleine pay iclepeð þiy bataille forst bigan, On Hey man pay þer bifor ðat itleped pay Darðan, Of him com þe goðe Bruigt þ pay ðe fur ste man, Dat loverð pay in Englanð arc ich eu telle can. Quæ his carminibus latinè reddidit *Whelocus*;

In coment. ad Bed. hist. Eccle lib. 1.

Hæc unica femina prima ante omnes
Sevit Trojani *semina belli*,

Hanc *Britones* dixere *Helenam*. Sed *Dardanus* ille Excelsus *Bruti* pater extitit

undo

unde *Britanni* Heroum. sumpsere genus; fortissimus idem, hunc orbem primus regere & dominarier ausus. Et alibi, Ꝑꝛꝛeꝛ Bꝛuiꝫꝛ hiy oꝛe name he clepeꝺ hiꝛ Bꝛuꝛayne.

Insula dicta fuit Brutannia nomine *Bruti*. *Thaliessinus* item *Bardorum* Coryphæus, et *Merlini*, Britannici poetæ, uti narrat *Joannes Prisæus*, quos ante mille plus minus annos claruisse liquet, suis carminibus *Britannos* Trojanorum reliquias *Brutiq*; nepotes subinde appellant. Et deinceps, *Thaliessinus* quidem in odulâ quam de suis erroribus composuit sic inscriptâ, *Britannicè Hannes Thaliessin*, videlicet errores *Thaliessini*, ait se tandem divertisse ad reliquias *Troiæ*, sub his quidem verbis, Mia deythy myma at Wedillhion Troja. Neq; dubitandum est hoc fuisse opus *Thaliessini*; nam præter innumeros codices vetustissimos qui inscriptionem hujusmodi attestentur nullo reclamante, nullus est recentiorum qui phrasin illius tam antiquam carminisve majestatem hactenus assequi potuit. Et ideò summus ille vates inter Britannos censetur et nominatur. Ad hos accedit *Henricus Huntingdoniensis* cujus verba hic apponam: Nunc a quibus & quo tempore inhabitata fuerit [*Britania*] dicendum est; quod in *Bedâ* non inventum in aliis au-

Pris. hist. Britan. Defens.

Hen. Hunt. Hist. lib. 1.

authoribus reperi; ſcripſerunt enim a *Dardano* principium emanâſſe *Brittonum*. Dardanus autem pater fuit *Troii*, *Troius* autem pater *Priami* & *Anchiſæ*, *Anchiſes* pater *Æneæ*, *Æneas* pater *Aſcanii*, *Aſcanius* pater *Sylvii*; *Sylvius* autem cùm uxorem duxiſſet, & ea prægnans eſſet, prædixit magus quidam filium unde prægnans erat interfecturum patrem ſuum. Occiſo igitur mago pro vaticinatione illâ, natus eſt filius & vocatus eſt *Bruto*. Poſt multum verò intervallum dum ipſe luderet cum pueris, ictu ſagittæ occîdit patrem non induſtriâ ſed caſu. Quamobrem expulſus ab *Italiâ* pervenit in *Galliam*, ibiq; conditâ civitate *Turonorum*, quæ vocatur *Turonis*, invaſit tractum *Armoricanum*. De tractu autem *Armoricano* huc adveniens ſibi partes inſulæ ingentis vindicavit, & ex nomine ſuo *Brittanniam* vocavit. Dicunt autem illi authores quòd quando *Bruto* regnabat in *Brittannia*, *Heli ſacerdos* judicabat *Iſrael*, & *Poſthumus* ſive *Sylvius* filius *Æneæ* regnabat apud Latinos, cujus nepos erat *Bruto*. Hæc *Huntingdonienſis* verba, non unico ſolùm tunc temporis, ſed variis fuiſſe *Brutonem* ſcriptoribus memoratum probant. Idem alibi *Henricus* de ſuperatis a *Cenovaldo* rege *Britonibus* agens ſubjicit; et facta eſt ſuper progeniem *Bruti*

ti plaga inſanabilis in die illâ. Scripta autem fuiſſe hæc ante editam *Galfridi* tranſlationem, tam ex ipſius de ſummitatibus rerum tractatu, quàm ex dictâ *Galfridi* tranſlatione, ad calcem non malè obſervavit *Priſeus*. Tranſlationem dico, cùm hiſtoriæ Britannicæ neutiquam author fuerit, ſed ab antiquiore quodam Britannicè conſcriptam, et ex *Armoricâ* a *Gualtero Caleno Oxonienſi* archidiacono allatam in Latinum ſermonem verterit *Monumethenſis*. Sed et Prototypon Britannicum legiſſe coætaneus *Monumethenſi Giraldus Cambrenſis*, qui in *Galfridum* acriter invectus, quod ſuæ hiſtoriæ inſeruiſſe, quæ apud *Cambros* non poſſe inveniri fidenter aſſerit; *Wallia* verò, inquit, non a *Wallone* duce vel *Wandolenâ* reginâ, ſicut fabuloſa *Galfridi Arthuri* mentitur hiſtoria, quia reverâ neutrum eorum apud *Cambros* invenies, ſed a barbaricâ potiùs nuncupatione nomen iſtud inolevit. *Saxones* enim occupato regno *Britannico*, quoniam linguâ ſuâ extraneum quemlibet *Wallum* vocant; & gentes has ſibi extraneas *Wallenſes* vocant, et inde uſque in hodiernum barbarâ nuncupatione, & homines *Wallenſes* et terra *Wallia* vocitatur.

Girald. *Cam r Deſcrip. cap.* 7.

Hic verò curſim adnotare liceat; cùm ſumma

ſumma olim eſſet *Gallorum* tam fama quàm potentia, quippe qui *Italiam*, *Græciam*, *Germaniam* aliaſque terras fortiter incurſârunt, *Germanos* paritèr ac *Gothos* ab iis tanquam præſtantiſſimis, Extraneos omnes *Gallos* & *Wallos* denominâſſe, à vero non abhorrere; quo etiam pacto Chriſtianos omnes occiduos *Saraceni* ac *Turci* *Francos* hodieque appellitant. At ex illis *Giraldi* verbis [Sicut fabuloſa *Galfridi* *Arthuri* mentitur hiſtoria,] non adeò amico in *Galfridum* animo eum extitiſſe patet, ut ſi, quæ ille de *Bruto* prodidit certiori veritatis hiſtoricæ fundamento haud niterentur, quàm quæ de indito à *Wallone* aut *Wandolenâ*, *Wallia* ac *Wallis* nomine comminiſcitur (quæ apud *Cambros*: viz. *Cambricam* ſive *Britannicam* hiſtoriam inveniri negat) tam avidè ea eſſet amplexurus. Ipſe tamen eodem illo capite honorificam *Bruti* mentionem facit *Giraldus*, quem mediantibus avo *Aſcanio* & patre *Sylvio* à *Trojanis* deſcendiſſe, & *Trojanorum* reliquias in hanc inſulam duxiſſe, terræque ac genti nomen poſuiſſe, diſertè ſcribit. Ex his quæ dicta ſunt, ſatis liquebit, *Brutum* haud quaquam fuiſſe merum ingenii *Galfridiani* Commentum; quod & *Ponticus* *Virunnius*, *Lelandus*, *Priſcus*, *Luddus*, *Poelus*,

Poelus, & *Sheringhamus* confirmant. *Galfridum* verò fidum hiſtoriæ *Britannicæ* interpretem non fuiſſe, ſed plura de ſuo fabulosè inſeruiſſe, veriſque falſa commiſcuiſſe, omninò fatendum eſt; cum *Henricus Huntingdonienſis*, qui prædicatam hiſtoriam in *Abbatiâ Beccenſi* anno Milleſimo centeſimo nono vidit, & ex illâ ſuam ad *Warinum* (ſive *Guarinum*) de *Britonum* regibus Epiſtolam exaravit, aliique rerum *Cambricarum* Scriptores, ab eo aliquoties diſcrepent. De hoc autem poſteà fuſiùs. Sed & teſtantem multa de *Bruto Sigebertum Gemblacenſem* proferre poteram, qui circitèr annos centum ante *Monumethenſem* claruit, niſi quæ ille de antiquis *Britannis* habet, ex ipſo *Galfrido* à recentiore quodam fuiſſe interpolata, viri aliquot præclari cenſuiſſent. *Trojanos* certè poſt captam urbem, longè latèque diſperſos fuiſſe conſtat; quorum aliquos in *Galliam* perveniſſe narrat e *Timagene Ammianus Marcellinus*, unde breviſſimus erat in *Britanniam* trajectus. Bardos quoque in libris eorum antiquis & authenticis, ſuo tempore principum Geneologias, ſed tamen Cambricè ſcriptas habere, eaſdemq; memoritèr tenere à *Roderico* magno uſque ad *B. M.* (id eſt, *Belinum* magnum) & inde

Uſſer primord. Brower. in notis ad Venant. Fortun. Anton. Rufus in Epiſt. Præf prima edit. Sigeberti Paris 1513: Amm. Marcel lib 15. Cimbr. Deſcrip cap. 3.

de uſque ad *Sylvium*, *Aſcanium* & *Æneam* affirmet dictus *Giraldus*. Interim nonnulli a victoribus *Græcis* quam a victis *Trojanis Britanniæ* etymologiam petere magis honorificum ducunt, quibus utpote artem nauticam apprimè callentibus, ab antiquiſſimis uſq; temporibus innotuiſſe eam contendunt. *Ulyſſem* celeberrimum *Homeri* erronem, poſt *Ulyſſiponem* in *Hiſpaniâ* extructam, ad ultima *Galliæ* littora evagatum eſſe, ex iſtis *Claudiani* carminibus evincunt.

Claud. lib. 1. in Ruf.

Eſt locus extremum qua pandit Gallia *littus,*
Oceani prætentus aquis, quo fertur Ulyſſes
Sanguine libato populum moviſſe Silentum, &c.

Inde *Caledoniam* adnavigâſſe narrat *Solinus*, idq; manifeſtum facere, aram Græcis litteris inſcriptam Voto. *Britannos* in pugnâ uti curribus ſcribit *Diodorus Siculus*, veluti antiquos *Græcorum* heroas uſos in bello *Trojano* ferunt. *Græcis* eos literis uſos eſſe teſtatur *Cæſar* et *Prytaniam*, (unde nomen inſulæ *Cambricum Prydain*) a Græcâ voce Πρυτανεῖ reditus publicos denotante, propter affluentiam, dictam hanc terram vult *Eliotus*. Quæcunq; autem pro *Græcis* cumulantur argumenta, ea æquè omnia pro *Trojanis* faciun

Diod. lib. 5. cap. 8. Cæſar lib. 6. de Bell Gall.

fac ſunt, qui et ipſi *Græcorum* erant coloni, ex inſulâ *Cretâ Teucro* duce in *Phrygiam* profecti, Græciſq; uſi nominibus linguâ ac moribus. *Solini* verò aram non ab ipſo Ulyſſe ſed in Ulyſſis potius honorem poſitam eſſe judicat *Camdenus*. Alii porrò recentius eſſe *Bruti* nomen clâmitant quàm ut illo quo princeps hic regnâſſe creditur ſeculo in uſu eſſet; at verò *Britonem*, ab antiquioribus fuiſſe eum appellatum, ex *Nennio* conſtat: ſed ubi Romani Rerum, utì poeta loquitur, evaſiſſent domini, *Britanni* ut propinquiorem cum iis cognationem ac conſanguinitatem vendicarent, vetuſtius *Britonis* in Latinius *Bruti* nomen commutâſſe videntur.

Quòd autem *Græcorùm* aut *Romanorum* nullus (inquit *Sheringamus*) *Bruti* hiſtoriam attexuit, mirandum non eſt; quòd omnia quæ de *Bruto* narrantur paucis a bello *Trojano* interpoſitis annis geſta ſunt, cùm rari adhuc ſcriptores extiterunt. Eâ quidem tempeſtate paucos admodum *Græci* cantores habuêre, qui de *Diis* & *Heroibus* ſuis quædam fabularum tegumentis involuta ſcripſerunt, hiſtoricos nullos. Inter *Romanos* verò hiſtoria multò ſerius emerſit; quum initio ſoli Pontifices defloratione quaſdam &

ſelecta capita de ſuis rebus congeſſerint de rebus exterorum parùm ſolliciti. In tantâ ſcriptorum inopiâ, iniquum eſt, quod nuperi de *Bruti* rebus geſtis *Græcos* et *Romanos* teſtes poſtulent, eorumq; ſuffragia implorent poſt tantos præſertim annorum curſus ambituſq; quibus Antiquorum ſcripta bello, incendio, temporiſq; injuriâ, maximâ ex parte perierunt. De ipſis certè regibus *Albanis* directiùs ad *Romanos* ſpectantibus, quid quæſo præter nuda nomina literis mandatum habemus? Heroum ſuorum qui aut primitùs regna fundârunt, aut fundata egregiè dilatârunt, legibus ornârunt, aut collapſa redintegrârunt, memorias, cunctæ ferè gentes religioſiſſimè coluerunt. Unde, cum *Timæus* negaſſet *Zaleucum* legiſlatorem unquam fuiſſe, et ipſius cives *Locrenſes* eum fuiſſe commemorarent, *Cicero* dicit, his ergo quàm illi magis eſſe credendum. Eſto, quod mendis fabuliſq; non vacent, immò, plurimis ſcatent *Britannorum* de *Bruto* ſequentibuſq; regibus narrationes; at non idcircò temerè projiciendi ſunt et ipſe et vniverſi ipſius ante *Cæſarem* ſucceſſores; quin, cautè potiùs ac modeſtè vera falſis ſecernenda fuerint. Profugos igitur quoſdam *Trojanos* (*Ammiano* memoratos,) ali-

Cicero *lib. 2 de leh b.*

aliquanto poſt captum *Ilium* tempore in *Galliam* e *Græciâ* advectus, huc trajeciſſe, atq; inter *Britannos* conſediſſe, *Britoniq;* iſtìc regnanti paruiſſe, non video cur inficemur, etiamſi *Galfridi* de eo narrationem haud admiſerimus. Sive autem ille *Trojano*, ſive *Britannicó* aut *Gallico* prognatus eſſet ſanguine, *Sylviine* an *Hiſicionis* filius, parùm refert; quis enim (utì ait de *Aſcanio Livius*) rem tam veterem pro certo affirmet. *Britannorum* monarchiam tenuiſſe dicuntur ejus poſteri uſq; ad *Gorbodugi* mortem, ex quo tempore in varias diſpertita eſt inſula toparchias; ſecundùm illud *Taciti*, olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & ſtudiis trahuntur. Quum enim obtinuiſſet tandem hìc conſuetudo ut defunctorum Principum dominia inter ſeſe herciſcerentur filii; hinc factum eſt ut diſtributam in tot populos gentem *Britannicam Romani* inveniren, quorum e *Ptolemæo* nomina provinciaſq; hìc attexere non pigebit. *Tacit. in vitâ Agric.*

Cornubiam & *Devoniam* habitârunt *Danmonii*, (in quibuſdam exemplaribus *Damnonii*, *Solino Dunmonii*;) in *Coſſinos* (aut rectiùs *Corinos*) & *Oſtidamnios*, (*Oſtæos* atq; *Oſtiones* etiam dictos,) diviſi, quibus *Æſtios Livoniæ* ſive *Oſtiones* *Idem lib. de Germ.*

(linguâ *Britannicæ* propiore uſos ùt *Tacitus* ſcribit) ſatos eſſe, ſub *Belini* nimirum auſpiciis eò progreſſos, credibile eſt. *Dorſetiam Durotriges*; *Somerſetiam*, *Viltoniam*, *Suthantoniam* & *Vectam inſulam Belgæ*. Hos potentiſſimo *Sueſſionum* regi *Divitiaco* ſubditos fuiſſe ſubinnuit, *Cæſar* quem magnæ partis et *Belgicæ* et *Britanniæ* imperium ſuâ etiam memoriâ obtinuiſſe dicit. Illum cum *Divitiaco Heduo* confundit *Ricardus Vitus* *Baſingſtochius*, dum *Cæſarem* de *Divitiaco Sueſſione* jam mortuo loquinon advertit; quanquam ſucceſſori ejus *Galbæ* ſe *Divitiaci Hedui* copiis adjutum bellum intuliſſe diſerte doceat. Quem utiq; *Heduum*, de profugientibus in *Britanniam*, *Bellovacorum* principibus verba facientem, repetere ipſos ac retrahere juſiſſet *Cæſar*, ſi tantæ in *Britanniâ* potentiæ authoritatiſq; fuiſſet. *Bercheriam Atrebati*, *Oxonienſem* & *Gloceſtrenſem* comitatus *Dobuni* (*Dioni Caſſio* dicti *Boduni*) *Bucchingamienſem*, *Bedfordienſem* & *Hartfordienſem Catyeuchlani Dioni Cattuellani*. *Huntingdonienſem*, *Cantabrigienſem* cum inſulâ *Elienſi*, *Suffolcienſem* ac *Norfolcienſem Simeni Tacito* (rectius opinor) *Iceni*, aliis *Igeni* & *Tigeni* appellati. *Eſſexienſem* & *Middelſexienſem Trino-*

Cæſar *de bello Gallico lib.* 2,

antes ſive *Trinobantes. Cantium Cantii, Surreiam* & *Suſſexiam Regni.*

Quorum ſanè nomen olim latiùs patuiſſe, & eorum partem *Cantios* extitiſſe, *Regnoſque* à Græcâ voce Ῥήγνυμι dictos libenter ſi per Criticos liceret autumarem; attrito enim, exeſo, atque abſumpto vi fluctuum qui ex *Galliâ* in *Britanniam* & contra ex *Britanniâ* in *Galliam* ducebat *Iſthmo*, inter *Cantii* & *Picardiæ* oras, divulſam à continente fuiſſe inſulam noſtram credidere viri non aſpernandæ eruditionis. At quoniam hanc de *Galliæ* & *Britanniæ* contiguitate diſceptationem alii uberiùs tractârunt, ad alia pergo; hoc tantùm ſuper addito, *Rhegium* in *Calabriâ* Siculo littori oppoſitum pari ratione ab eodem verbo Græco appellationem ſumpſiſſe; ut & *Vitſan* oppidum quod ex adverſo *Picardiæ* littore *Dubrin* in *Cantio* reſpicit a voce *Britannicâ*, *Guith*, ſeparationem vel Diviſionem ſignificante non incongruè nominatum. *Northantoniam*, *Leiceſtriam*, *Rutlandiam*, *Lincolniam*, *Nottinghamiam* & *Derbiam* poſſederunt *Coritani. Varvicenſem*, *Vigornienſem*, *Staffordienſem*, *Salopienſem* & *Ceſtrenſem* comitatus *Cornavii. Monumethenſem*, *Hereſordienſem*, *Radnorenſem*, *Brecnocenſem* & *Glamorganenſem Silyres* (*Tacito*

(*Tacito Silures.*) *Carmaridumenſem*, *Penbrochienſem* & *Cardiganenſem Dimetæ* ſive *Demetæ*. *Flintenſem*, *Denbichanum*, *Carnarvonenſem*, *Merionethenſem* & montem *Gomericum Ordovicæ* ſive *Ordovices* qui & *Venedoti*. *Lancaſtrenſem*, *Eboracenſem*, *Dunelmenſem*, *Veſtmariam* & *Cumbriam* Brigantes. (His annumerandi ſunt *Pariſi* qui in *Eboracenſis* parte degebant.) Comitatum *Northumbrienſem*, ac quicquid terrarum inter murum *Picticum*, *Glottam*que & *Bodotriam* (quæ nunc *Britannoduni* & *Edinburgi* freta vocantur) interjacet Ottadini, Selgovæ (*Tacito Horeſti*) Gadeni, Navantes & Damnii incoluerunt. Qui omnes à *Dione Caſſio* uno nomine Mæatæ appellantur, Cimmeriorum utique Mæotarum proles. Reliquam inſulæ partem Caledonii, Cantæ, Logi, Smertæ, Vacomagi, Taizali, Venniconnes ſive Vernicones; Epidii, Cerones, Carnonacæ, Carini & Cornabyi habitârunt. Tanta autem erat Caledoniorum fama, ut ſub eorum nomine populos hoſce omnes *Tacitus* aliique Scriptores Romani complecterentur. Ubi autem tetris ſtragibus à Romanis debilitati, in unum cum Pictis regnum populumque ſeptem priores gentes coaluiſſent; reſiduæ quinque quibus naturâ munitior, ſcilicèt montana & aſ-

pera,

pera, aditu & paragratu difficilis inter dorſum *Albaniæ* (Scotis *Drum Albin*) & mare Deucaledonium poſita regio obtigerat, diſtinctam per ſe rempublicam conſtituerunt; âtque Attiſcoti dicti ſunt, à vocibus *Britanicis*, *Uch y Scot*, id eſt, Ultra vel Supra Scotos Ultonienſes; (ùt Attadini vel Ottadini juxta *Camdenum* ab *Uch Tin* ultra vel ſupra *Tinam* fluvium) niſi Attacotos cum *Ammiano Marcellino* dicere, nomenque a *Cimmeriis* Attacis (quorum *Plinius* meminit) deducere malimus. In notitiâ Imperii, Atecotti juniores Gallicani & Atecotti Honoriani ſeniores inter palatina intra *Galliam* auxilia recenſentur, & intra *Italiam* Atecotti Honoriani juniores. Nam Barbaros in commilitium undecunque aſcivit imperator *Honorius*. De his loquitur in Epiſtolâ octogeſimâ tertiâ ad *Oceanum Hieronymus*. Ubi enim in vetere Editione Baſilienſi anni 1497, legebatur; [Scotorum & Atticorum ritu, ac de republicâ *Platonis*, promiſcuas uxores, communes liberos habeant:] pro [Atticorum,] quædam exemplaria [Atticotorum] habuiſſe, *Marianus Victorius* monuit; quæ omninò pro genuinâ lectione eſt habenda, inquit reverendiſſimus *Uſſerius*. Neque aliud ſentiendum de conſimili

Uſſer. de prim. Brit. 1 ccl.

mili ejuſdem *Hieronymi* loco, in libro adverſus *Jovinianum* ſecundo. Quid loquar de cæteris nationibus; cùm ipſe adoleſcentulus in *Galliâ* viderim, Scotos (ita enim habent libri editi) gentem Britannicam humanis veſci carnibus. Pro Scotis enim aliàs Attiſcotos fuiſſe lectum, *Henricus Gravius*; in aliis verò *M. S. S.* Cattitos Cattacottos & Attigottos annotavit *Camdenus*: uterque verò non alios quàm *Ammiani Marcellini* Attacotos hic accipiendos eſſe conjicit. Ex hoc eodem *Hieronymi* adversùs *Jovinianum* libro, in *Chryſoſtomi* ſermonem de Pentecoſte complura à vetere Latino interprete infulta eſſe, non poteſt negari. Quum igitur ibi legatur; ante hoc [autem quoties] in *Britanniâ* humanis veſcebantur carnibus; nunc jejuniis reficiunt animam ſuam. Ut [Attequoti] vox minùs intellecta, Correctorum temeritate in [autem quoties] etiam hic degeneraverit, Conjectura eſt quæ probabilitatis ſpecie non careat. In alio quoque loco ubi eoſdem intelligit *Hieronymus*, *Eraſmum* Azotos perperam poſuiſſe monuit *Camdenus*. Hi poſteà Scotis permiſti in eorum nomen evanuerunt.

Hos aluit populos inſularum præſtantiſſima *Britanniâ*, à *Britannis Gallicis* aut

aut à *Britone* rege juxta antiquiores, vel a Brith, quaſi Brith Inis, Colorata inſula juxta recentiores appellata, cujus circuitus octies decies centenis triginta ſex millibus paſſuum conſtare perhibetur.

Caporio regi (de quo antèa) filius ſucceſſiſſe proditur *Gilquellus* quem *Minocanum Nennius* vocat, cujus filius *Belinus* (*Heli Gâlfrido* perperàm pro *Beli* dictus,) a rerum geſtarum magnitudine agnomen *Magni* adeptus, diù regnavit. Tres ille filios genuit, quibus etiamnùm vivens, ubi ſe conſeneſcere videret, regna conceſſit ; Trinobantum *Imanuentio*, qui *Iuddi*, hoc eſt *Ravi*, agnomen habuit, (ſæpe enim a coloribus agnomina ſumere Britannis tam priſcis quam recentioribus moris fuit) Catyeuchlanorum *Caſſuellano*, quem *Suellan* appellat *Dion Caſſius* ; et Cantiorum *Nennio*, cujus filii fuiſſe videntur *Cyngetorix*, *Carvilius*, *Taximagulus* et *Segonax*. *Belinum* & *Luddum* ante *Cæſaris* adventum obiiſſe ſibi perſuaſit *Galfridus Monumethenſis*, ut integram geſti adverſus *Cæſarem* belli laudem *Caſſuellano* deferret, eumque qui illo tempore claruit *Belinum*, non regem aut patrem *Caſſuellani* fuiſſe agnoſcit, ſed principem duntaxàt militiæ ejus, cujus conſilio totum regnum tractabatur. Et

Galfr. lib. 1 cap. 23.

Luddi eum filium ac *Caſſuellani* fratrem tam in primo hiſtoriarum libro, quàm in epiſtolâ ad *Guarinum* facit *Henricus Huntingdonienſis*; quâ etiam in epiſtolâ, poſtquàm tres *Luddo* ſuperfuiſſe filios retuliſſet *Caſſibellanum*, *Belinum* & *Androgeum*; mox ſui oblitus, alium *Androgei* fratrem profert *Theomantium*. Enimverò belli Cæſariani tempore et vixiſſe et regnâſſe *Belinum* expreſſè aſſeverat *Nennius*, et *Imanuentii* tanquam recèns interfecti *Cæſar* in ſecundâ ſuâ expeditione meminit. *Belinum* quoq; et regem præclarum et *Luddi* ac *Caſſuellani* patrem, atq; *Androgeum* ac (*Theomantium* aut rectiùs) *Tenevantium Caſſuellani* non fratres ſed ex *Luddo* fratre nepotes, extitiſſe. Cambrici omnes conſentiunt Genealogi. Qui e Britannis ſub imperio regis *Divitiaci* ſuiſſe memorantur, Sueſſionum per hæc tempora jugum excuſſerant, jamq; adeundâ inſulâ cunctis præter mercatores Extraneis interdictum eſt publicitus; Galliſque vicem rependens omnes Tyrrheni maris inſulas occupavit rex *Belinus* ut *Nennius* ſcribit; per mare Tyrrhenum forteàn mare Turonum intelligens, qui Turones maritimæ Armoricanæ partem aliquam in ditione ſua aliquando habuiſſe videantur. Sin

mi-us

minùs, quid ſibi per hoc Tyrrhenum mare velint Britannici ſcriptores, qui *Brutum* ex herculeo freto ad mare Tyrrhenum perveniſſe ſcribunt, nullâ planè conjecturâ aſſequi poſſum. Venetis tamen adverſùs Romanos exorati a mercatoribus Britanni ſuppetias tulerunt, quo in bello magnum eos armatarum navium feciſſe diſpendium *Seldenus* non malè conjicit, ita ut idoneæ in ſui defenſionem inſtruendæ poſteà claſſi prorſùs impares eſſent. Neq; enim patriæ aditu extraneos prohibuiſſe; neq; quòd non militaris in mari claſſis parata eſſet fortitèr pro patriâ dimicare, culpari omninò à *Gildâ* potuerant; ſi præter coriaceas illas, ſalignas, vimineaſque quibus uti demùm ſolis, paſſi ſunt Romani victores, nullæ iis aliæ unquam ſuppetîſſent naves. Iam verò ad Romanorum ingreſſum perventum eſt; adeòque quæ ſequuntur ex luculentis probatiſſimiſque authoribus hauriemus.

Seld. *mare Clauſ. lib 2. cap 2.*

Anno Urbis Conditæ ſexcenteſimo nonageſimò octavo qui fuit Olympiadis Centeſimæ octogeſimæ primæ ſecundus, & ante Chriſtum natum quinquageſimus quintus, *Pompeio* & *Craſſo* ſecundò *Coſſ*: *Caius Julius Cæſar* e *Gallià* in *Britanniam* proficiſci contendit, exiguâ jam par-

Anno ante Chriſtum natum 55.

te, ùt ipſe ſcribit, æſtatis reliquâ, quòd ſubminiſtrata inde hoſtibus auxilia intelligebat; & ſi tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno ſibi uſui fore arbitratur, ſi modo inſulam adiiſſet, & genus hominum perſpexiſſet; loca, portus, aditus cognoviſſet, quæ omnia ferè *Gallis* erant incognita.

Cæſar de bell. Gall. lib. 4.

Neque enim temerè præter mercatores adiit ad illos quiſquam; neque iis ipſis quicquam, præter oram maritimam, atque eas regiones, quæ ſunt contra *Galliam*, notum fuit. Itaq; convocatis ad ſe undiq; mercatoribus, neque quanta eſſet inſulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, neque quem uſum belli haberent, aut quibus inſtitutis uterentur, neq; qui eſſent ad majorum navium multitudinem idonei portus reperire poterat. Ad hæc cognoſcenda, priùs quàm periculum faceret, idoneum eſſe arbitratus, *C. Voluſenum* cum navi longâ præmitit. Huic mandat, ut exploratis omnibus rebus, ad ſe quàm primùm revertatur. Ipſe, cum omnibus copiis in *Morinos* proficiſcitur, quòd inde erat breviſſimus in *Britanniam* trajectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus, &, quam ſuperiore æſtate ad *Veneticum* bellum fecerat claſſem, jubet convenire.

Interim

Interim, cognito ejus conſilio, & per mercatores perlato ad *Britannos*, a compluribus inſulæ civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obſides dare, atque imperio populi *Romani* obtemperare. Quibus auditis, liberalitèr pollicitus, hortatuſq; ut in eâ ſententiâ permanerent, eos domum remiſit; &, cum his unâ *Comium*, quem ipſe *Atrebatibus* ſuperatis, regem ibi conſtituerat, cujus & virtutem et conſilium probat, & quem ſibi fidelem eſſe arbitrabatur, cujuſq; auctoritas in his regionibus magna habebatur, mittit. Huic imperat; quas poſſit adeat civitates: horteturque ut populi *Romani* fidem ſequantur, ſeq; celeritèr eò venturum nuntiet. *Voluſenus*, perſpectis regionibus, quantum ei facultatis dari potuit, qui navi egredi, ac ſe *Britannis* committere non auderet, quinto die ad *Cæſarem* revertitur, quæque ibi perſpexiſſet, renuntiat.

Dum in his locis *Cæſar* navium parandarum cauſâ moratur, magnâ ex parte *Morinorum* legati ad eum venerunt, qui ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſarent, quòd homines barbari, & *Romanæ* conſuetudinis imperiti, bellum populo *Romano* feciſſent, ſeq; ea, quæ imperâſſet

perâſſet, facturos pollicerentur. Hæc ſibi ſatis opportunè accidiſſe arbitratus; quod neque poſt tergum hoſtem relinquere volebat; neque belli gerendi, propter anni tempus, facultatem habebat: neque has tantularum rerum occupationes ſibi *Britanniæ* anteponendas judicabat; magnum his numerum obſidum imperat. Quibus adductis, eos in fidem recepit, navibus circitèr octoginta onerariis coactis, contractiſq; quot ſatis eſſe ad duas legiones tranſportandas exiſtimabat. Quicquid prætereà navium longarum habebat, quæſtori, legatis præfectiſque diſtribuit. Huc accedebant octodecim onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur quo minus in eundem portum perveniſſe poſſent. Has equitibus diſtribuit; reliquum exercitum *Q. Titurio Sabino*, & *L. Aurunculeio Cottæ*, legatis in *Menapios*, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, deducendum dedit. *P. Sulpicium Rufum* legatum, cum eo præſidio, quod ſatis eſſe arbitrabatur, portum tenere juſſit. His conſtitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempeſtatem, tertiâ ferè vigiliâ ſolvit, equiteſque in ulteriorem portum progredi, & naves conſcendere,

ac

ac ſe ſequi, juſſit; ab quibus cum paulo tardius eſſet adminiſtratum, ipſe horâ circitèr diei quartâ cum primis navibus *Britanniam* attigit; atq; ibi in omnibus collibus expoſitas hoſtium copias armatus conſpexit. Cujus loci hæc erat natura, atque ita montibus anguſtis mare continebatur, uti ex locis ſuperioribus in littus telum adigi poſſet. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naves eò convenirent, ad horam nonam in anchoris expectavit. Interim legatis, tribuniſq; militum convocatis, & quæ ex *Volu ſeno* cognoviſſet, &, quæ fieri vellet, oſtendit; monuitq; ut rei militaris ratio, maximèq; ut res maritimæ poſtularent, utq; celerem atq; inſtabilem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res ab iis adminiſtrarentur. His dimiſſis, & ventum, & æſtum uno tempore nactus ſecundum, dato ſigno, & ſublatis anchoris, circitèr millia paſſuum octo ab eo loco progreſſus, aperto ac plano littore naves conſtituit. At *Britanni*, conſilio *Romanorum* cognito, præmiſſo equitatu, & eſſedariis, quo plerunq; genere in præliis uti conſueverunt, reliquis copiis ſubſecuti, Cæſarianos navibus egredi prohibebant. Erat ob has cauſas ſumma difficultas, quòd naves propter

ter magnitudinem, niſi in alto, conſtitui non poterant. Militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno, & gravi onere armorum preſſis, ſimul & de navibus deſiliendum, & in fluctibus conſiſtendum & cum hoſtibus erat pugnandum; cum illi aut ex arido, aut paululùm in aquam progreſſi, omnibus membris expediti, notiſſimis locis audacter tela conjicerent, & equos aſſuefactos incitarent. Quibus rebus *Romani* perterriti, atque hujus omnino generis pugnæ imperiti, non omnes eâdem alacritate, ac ſtudio quo in pedeſtribus uti prælìis conſueverant, utebantur. Quod ubi *Cæſar* animadvertit, naves longas, quarum et ſpecies erat *Britannis* inuſitatior, & modus ad uſum expeditior, paululum removeri ab onerariis navibus; & remis incitari & ad latus apertum hoſtium conſtitui, atque inde fundis, tormentis, ſagittis, hoſtes propelli ac ſubmoveri juſſit; quæ res magno uſui ſuis fuit.

Nam et navium figurâ, & remorum motu et inuſitato genere tormentorum permoti *Britanni* conſtiterunt; ac paulum pedem retulerunt. At *Cæſaris* militibus cunctantibus maximè propter altitudinem maris; qui decimæ legionis aquilam ferebat, conteſtatus Deos, ut ea res legi-

oni

oni felicitèr eveniret ; Deſilite inquit milites niſi vultis aquilam hoſtibus prodere. Ego certè meum Reipublicæ atq; imperatori officium præſtitero. Hoc cùm magnâ voce dixiſſet, ſe ex navi projecit, atq; in hoſtes aquilam ferre cæpit. Tum *Romani* cohortati inter ſe, ne tantum dedecus admitteretur, vniverſi ex navi deſilierunt. Hos item alii ex primis, proximi navibus, cùm conſpexiſſent, ſubſecuti, hoſtibus appropinquârunt. Pugnatum eſt ab utriſq; acriter : *Romani* tamen, quòd neq; ordines ſervare, neque firmitèr inſiſtere, neq; ſigna ſubſequi, poterant, atq; alius aliâ ex navi quibuſcunq; ſignis occurrerat, ſe aggregabat ; magnopere perturbabantur. Hoſtes verò, notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos ſigulares ex navi egredientes conſpexerant. incitatis equis, impeditos adoriebantur plures paucos circumſiſtebant, alii ab latere aperto in univerſos tela conjiciebant. Quod cùm animadvertiſſet *Cæſar*, ſcaphas longarum navium, item ſpeculatoria navigia militibus compleri juſſit ; &, quos laborantes conſpexerat, iis ſubſidia ſummittebat. *Romani*, ſimulatq; in arido conſiſterunt, ſuis omnibus conſecutis, in hoſtes impetum fecerunt, atque eos in fugam dedcrunt ; neque longiùs perſequi potuerunt, quòd

equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant, hoc unum ad pristinam fortunam *Cæsari* defuit. Hostes prælio superati, simulatq; se ex fugâ receperunt, statim ad *Cæsarem* legatos de pace miserunt; obsides daturos, quæque imperasset, sese facturos polliciti sunt. Una cum his legatis *Comius Atrebas* venit, quem suprà demonstraveram a *Cæsare* in *Britanniam* præmissum. Hunc illi e navi egressum, cùm ad eos Imperatoris mandata perferret, comprehenderant, atque in vincula conjecerant.

Tunc, facto prælio remisserunt; & in petendâ pace, ejus rei culpam in multitudinem contulerunt; & propter imprudentiam, ut ignosceretur petiverunt. *Cæsar*, questus, quod, cùm ultro, in continentem legatis missis, pacem a se petissent, bellum sine causâ intulissent, ignoscere imprudentiæ, dixit: obsidesque imperavit, quorum illi partem statim dederunt partem, ex longinquioribus locis accersitam, paucis pòst diebus sese daturos dixerunt. Interea suos in agros remigrare jusserunt; principesque undique convenere: & se, civitatesque suas *Cæsari* commendârunt. His rebus pace firmatâ, post diem quartum quàm est in *Britanniam* ventum, naves octodecim de quibus supra demonstratum

ſtratum eſt, quæ equites ſuſtulerant, ex ſuperiori portu leni vento ſolverunt. Quæ cum appropinquarent *Britanniæ*, & ex caſtris viderentur, tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt, ut nulla earúm curſum tenere poſſet, Sed aliæ eòdem, unde erant profectæ, referrentur, aliæ ad inferiorem partem inſulæ, quæ eſt propius ſolis occaſum, magno ſui cum periculo dejicerentur. Quæ tamen, anchoris jactis, cum fluctibus complerentur, neceſſariò, adverſâ nocte in altum provectæ, Continentem petiverunt. Eâdem nocte accidit, ut eſſet Luna plena: quæ maritimos in Oceano efficere conſuevit: *Romaniſque* id erat incognitum. Ita uno tempore & longas naves, quibus *Cæſar* exercitúm tranſportandum curaverat, quaſque in aridum ſubduxerat, æſtus complebat: & onerarias, quæ ad anchoras erant, deligatæ, tempeſtas afflictabat: neque ulla *Romanis* facultas aut adminiſtrandi, aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquæ cum eſſent funibus anchoris, reliquiſque armamentis amiſſis, ad navigandum inútiles, magna id quod neceſſe erat accidere, totius exercitûs perturbatio facta eſt. Neque enim naves erant aliæ, quibus reportari poſſent: & omnia deerant, quæ ad reficiendas eas uſui ſunt: &, quod omnibus conſtabat,

hyemare in *Galliâ* oportere, frumentum his in locis in hyemem proviſum non erat: quibus rebus cognitis, principes *Britanniæ*, qui poſt prælium ad ea, quæ juſſerat *Cæſar*, facienda convenerant, inter ſe collocuti; cùm equites, & naves, & frumentum *Romanis* deeſſe inteligerent: & paucitatem militum ex caſtrorum exiguitate cognoſcerent; quæ hoc erant etiam anguſtiora, quod ſine impedimentis *Cæſar* legiones tranſportaverat, optimum factu eſſe duxerunt, rebellione factâ, frumento, commeatuque *Romanos* prohibere, & rem in hyemem producere: quòd his ſuperatis, aut reditu interclusis, neminem poſtea belli inferendi cauſâ in *Britanniam* tranſiturum confidebant. Itaq; rurſus conjuratione factâ, paulatim ex caſtris diſcedere, ac ſuos clàm ex agris deducere cæperunt. At *Cæſar* etſi nondum eorum conſilia cognoverat, tamen & ex eventu navium ſuarum, & ex eo, quòd obſides dare intermiſerant, fore id, quod accidit, ſuſpicabatur. Itaq; ad omnes caſus ſubſidia comparabat. Nam et frumentum ex agris in caſtra quotidie conferebat: & quæ graviſſimè afflictæ erant naves, earum materiâ, atq; ære ad reliquas reficiendas utebatur, &, quæ ad eas res erant uſui, ex continenti comportari jubebat. Itaq;

cum

eum id ſummo ſtudio a militibus adminiſtraretur, duodecim navibus amiſſis, reliquis ut navigari commodè poſſet, effecit. Dum ea geruntur, legione, ex conſuetudine, unâ frumentatum miſſâ, quæ appellabatur Septima, neq; ullâ ad id tempus belli ſuſpicione interpoſitâ, cùm pars hominum in agris remaneret, pars etiam in caſtra ventitaret, ii, qui pro portis caſtrorum in ſtatione erant, *Cæſari* renuntiarunt, pulverem majorem, quàm conſuetudo ferret, in eâ parte videri, quam in partem quà legio iter feciſſet. *Cæſar*, id, quod erat, ſuſpicatus, aliquid novi a *Britannis* initum conſilii, cohortes, quæ in ſtationibus erant, ſecum in eam partem Proficiſci, duas ex reliquis in ſtationem ſuccedere, reliquas armari, & confeſtim ſe ſubſequi juſſit. Cùm paulo longius a caſtris proceſſiſſet, ſuos ab hoſtibus premi, atq; ægrè ſuſtinere & confertâ legione ex omnibus partibus tela conjici animadvertit. Nam quòd omni ex reliquis partibus demeſſo frumento, una pars erat reliqua; ſuſpicati *Britanni Romanos* eò eſſe venturos, noctu in ſylvis delituerant. Tum diſperſos depoſitis armis in metendo occupatos ſubitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverant; ſimul equitatu, atq; eſſedis circundederant. Genus hoc

eſt

eſt ex eſſedis pugnæ: Primò, per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atq; ipſo terrore equorum, & ſtrepitu rotarum, ordines plerunq; perturbant; & cum ſe inter equitum turmas inſinuavere, & ex eſſedis deſiliunt, et pedites præliantur. Aurigæ interim paulùm e prælio excedunt, ita ſe collocant, ut, ſi illi a multitudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in præliis præſtant: ac tantum uſu quotidiano, & exercitatione efficiunt, ut in declivi, ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & brevi moderari, ac flectere & per temonem percurrere, & in jugo inſiſtere, et inde ſe in currus citiſſimè recipere conſueverint. Quibus rebus, perturbatis *Romanis* novitate pugnæ, tempore opportuniſſimo *Cæſar* auxilium tulit. Namq; ejus adventu hoſtes conſtiterunt, *Romani* ex timore ſe receperunt. Quo facto, ad laceſſendum hoſtem et committendum prælium, alienum eſſe tempus arbitratus, ſuo ſe loco continuit; & brevi tempore intermiſſo, in caſtra legiones reduxit. Dum hæc geruntur, noſtris omnibus occupatis qui erant in agris reliqui diſceſſerunt. Secutæ ſunt continuos dies complures tempeſtates: quæ et *Romanos* in caſtris continerent,

tinerent, & *Britannos* a pugnâ prohiberent. Interim *Britanni* nuntios in omnes partes dimiſerunt: paucitatemq; *Romanorum* ſuis prædicarunt, & quanta prædæ faciendæ, atq; in perpetuum ſui liberandi facultas daretur, ſi *Romanos* caſtris expuliſſent, demonſtraverunt. His diebus celeritèr magnâ multitudine peditatûs equitatûſque coactâ, ad caſtra venerunt. *Cæſar* etſi idem, quod ſuperioribus diebus acciderat, fore videbat, ut ſi eſſent hoſtes pulſi, celeritate periculum effugerent; tamen, nactus equites circiter triginta quos *Comius Atrebas*, de quo antè dictum eſt, ſecum tranſportaverat, legione in acie pro caſtris conſtituit. Commiſſo prælio diutiûs *Romanorum* impetum *Britanni* ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto ſpatio ſecuti, quantum curſu, & viribus effiecre potuerunt, complures ex iis occiderunt: deinde omnibus longè, lateq; edificiis incenſis, ſe in caſtra receperunt. Eodem die legati ab hoſtibus miſſi, ad *Cæſarem* de pace venerunt. His *Cæſar* numerum obſidum, quem antea imperaverat, duplicavit: eoſque in Continentem adduci juſſit: quòd propinquâ die Æquinoctii, infirmis navibus hyemis navigationem ſubeundam non exiſtimabat. Ipſe idoneam tempeſtatem nactus, paulo poſt

me-

mediam noctem naves ſolvit; quæ omnes incolumes ad Continentem pervenerunt. Ex his onerariæ undecim eoſdem portus, quos reliquæ, capere non potuerunt, ſed paulo infrà delatæ ſunt. Quibus ex navibus cum eſſent expoſiti milites circitèr trecenti, atque in caſtra contenderent, *Morini* quos *Cæſar*, in *Britanniam* proficiſcens, pacatos reliquerat, ſpe prædæ adducti, primò non ita magno ſuorum numero circumſteterunt: ac ſi ſeſe interfici nollent, arma ponere juſſerunt. Cùm illi, orbe facto, ſeſe defenderent, celeriter ad clamorem, hominum circitèr millia ſex convenerunt: quâ re nuntiatâ, *Cæſar* omnem ex caſtris equitatum ſuis auxilio miſit. Interim *Romani* milites impetum hoſtium ſuſtinuerunt: atq; ampliùs horis quatuor fortiſſimè pugnaverunt & paucis vulneribus acceptis, complures ex iis occîderunt. Poſtea verò quàm *Cæſaris* equitatus in conſpectum venit, hoſtes, abjectis armis, terga verterunt, magnuſq; eorum numerus eſt occiſus. *Cæſar* poſtero die *T. Labienum* legatum cum iis legionibus quas ex *Britanniâ* reduxerat, in *Morinos* qui rebellionem fecerant, miſit. Qui cùm propter ſiccitates paludum, quo ſe reciperent, non haberent, quo perfugio ſuperiore anno fuerant uſi; omnes fere in poteſtatem *Labieni* venerunt

runt. At *Q. Titurius* & *L. Cotta*, legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vaſtatis, frumentis ſucciſis, ædificiiſq; incenſis, quòd *Menapii omnes* ſe in denſiſſimas ſylvas abdiderant, ad *Cæſarem* ſe receperunt. *Cæſar* in *Belgis* omnium legionum hyberna conſtituit. Eo duæ omnino civitates ex *Britanniâ* obſides miſerunt; reliquæ neglexerunt. His rebus geſtis, ex literis *Cæſaris* dierum viginti Supplicatio a Senatu decreta eſt. Hactenus *Cæſar* de priore ſuâ in inſulam expeditione.

Britannis in hoc bello ducem fuiſſe *Dolobellum* tradit *Nennius*, quem regis *Belini* Proconſulem & ipſe & *Henricus Huntingdonienſis* appellant. Hunc in *Dorobellum* oppidum mirâ quâdam metamorphôſi convertit *Galfridus*, qui etiam præter *Caſſuellanum* & *Belinum*, tres reges ſubditos *Crederum* (*Scotis Ederum* dictum) *Albaniæ*, *Guitellum Venedotiæ*, *Britaelem Demetiæ*, unà cum *Nennio*, *Androgeo* & *Tenevantio* huic bello interfuiſſe fabulatur. Hinc aliqui *Dorobellum* oppidum pro Dolâ vel Delâ in *Cantio* accipientes, *Cæſarem* ibi appulſum eſſe opinati ſunt, quanquam in oſtium *Tamiſis* veniſſe expreſſe teſtatur *Nennius*. Subitaneam *Cæſaris*, haud expectatis obſidibus, diſceſſionem *Pompeiani* tanquàm fugam Galfr. *lib.* 1. *cap.* 23.

ei exprobrârunt, unde illud *Lucani Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.* Idem ſanè *Britannos* ſenſiſſe etiam inde liquet, quòd duas ſolas civitates miſiſſe obſides, reliqas neglexiſſe ipſe fateatur. Hinc feſta eos triumphalia ludoſq; in *Trinobantum* urbe militares celebraſſe narrat hiſtoria *Britannica.* Niſi potiùs *Belino* Regi circa hoc temporis (ut videtur) defuncto ita parentâſſe filios crediderimus, ducta *A Trojanis* conſuetudine, quos *Hectori* & *Anchiſæ* mortuis eodem modo juſta perſolviſſe docet *Virgilius.* Utùt ſe res habuit, *Hireldam Caſſuellani*, *Evelinum Androgei*, juxta *Monumethenſem*, nepotes, juxta *Huntingdonienſem* filios, contendere in palæſtrâ contigit, ortiſque inter luctandum jurgiis, *Hireldam Evelinus* obtruncavit. Quem ubi ad dandas occiſo pœnas, dedi ſibi poſtularet *Caſſuellanus*, tueretur autem *Androgeus*, ſecuri nimiùm de *Cæſare* principes ad arma devenêre. *Caſſuellani* partibus acceſſiſſe videtur *Nennius*, *Luddo Androgei* patri jam anteà infenſus quòd *Trinobantum* urbem, quam *Troinovantum*, quaſi, *Trojam* novam, vocatam mavult hiſtoria *Britannica*, cùm nobiliſſimis eam muris cinxiſſet, nec non et turribus miâ arte fabricatis, de nomine quoq; ſuo *Caerlud*, id eſt, civitatem *Luddi*

Virgil. Æneid. lib. 5.

Galfrid. lib. 1. cap. 10.

di, dici juſſit, unde poſtea inter hoſce fratres contentio orta; gravitèr ferente *Neunio*, illum nomen *Troiæ* in patriâ ſuâ velle delere. Attamen de nobiliſſimis *Britannicarum* illo tempore urbium muris, ac turribus mirâ arte fabricatis, altiſſimum apud *Romanos* Scriptores eſt ſilentium; a quibus longè diverſa, aut etiam planè contraria inveniuntur prodita. *Luddum* & *Androgeum* (ſive *Androgorium* ut è *Suetonio Eutropius* & eum ſecutus *Beda* nuncupant; aliæ quædam civitates adjuvabant,) *Caſſuellani* ambitionem veriti; qui proſpero tamen belli ſucceſſu uſus fratrem interfecit, ac nepotem in *Galliam* ad *Cæſarem*, Commendatâ Senioribus Civitate, profugere coegit. Hunc, *Mandubratium*, patruumq; *Caſſivellaunum* appellat *Cæſar*, *Britanni Caſwallan*. *Luddus* annis undecim regnâſſe dicitur. *Digladiantes* inter ſe *Britannos*, iterùm *Romani*, *Domitio Claudioq;* Conſulibus, adoriuntur. Hujus quoq; ſecundæ expeditionis hiſtoriam ſic ipſe *Cæſar* pertexuit.

Labieno in Continente cum tribus legionibus, & equitum millibus duobus relicto, ut portus tueretur, & rei frumentariæ provideret, quæq; in *Galliâ* gererentur cognoſceret, & conſilium pro tempore, & pro re caperet; ipſe cum legionibus quinque, & *Cæſar de bell. Gall. lib. 5.*

& pari numero equitum, quem in Continente reliquerat, ad Solis occaſum ex Iccio portu naves ſolvit *Cæſar*, &, leni *Africo* provectus, media circitèr nocte, vento intermiſſo, curſum non tenuit, & longiùs delatus æſtu, ortâ luce, ſub ſiniſtrâ *Britanniam* relictam conſpexit. Tum rurſus, æſtûs commutationem ſecutus, remis contendit, ut eam partem inſulæ caperet, quà optimum eſſe egreſſum ſuperiore æſtate cognoverat. Quâ in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectoriis, gravibuſq; navigiis, non intermiſſo remigandi labore, longarum navium curſum adæquaverunt. Acceſſum eſt ad *Britanniam* omnibus navibus meridiano ferè tempore; neq; in eo loco hoſtis eſt viſus. Sed ut poſtea *Cæſar* ex captivis comperit, cùm magnæ manus eò conveniſſent, multitudine navium perterritæ, quæ cum annotinis, privatiſq; quas ſui quiſq; commodi cauſâ fecerat, ampliùs octingentis, uno erant viſæ tempore, a littore diſceſſerant, ac ſe in ſuperiora loca abdiderant. *Cæſar* expoſito exercitu, ac loco caſtris idoneo capto, ubi ex captivis cognovit, quo in loco hoſtium copiæ conſediſſent, cohortibus decem ad mare relictis & equitibus trecentis qui præſidio navibus eſſent, de tertiâ vigiliâ ad hoſtes contendit, eo minus veritus

tus navibus, quòd in littore molli, atque aperto, deligatas ad anchoras relinquebat, & præſidio navibus Q. *Atrium* præfecit. Ipſe noctu progreſſus millia paſſuum circitèr duodecim, hoſtium copias conſpicatus eſt. Illi equitatu, atque eſſedis ad flumen progreſſi ex loco ſuperiore *Cæſarianos* prohibere, & prælium committere cæperunt; repulſi ab equitatu, ſe in Sylvas abdiderunt, locum nacti egregiè & naturâ, & opere munitum; quem, domeſtici belli ut videbatur, causâ, jam antè præparaverant. Nam crebris arboribus ſucciſis, omnes introitus erant præcluſi. Ipſi ex ſylvis raris propugnabant, Romanoſque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis ſeptimæ, teſtudine factâ, & aggere ad munitiones adjecto, locum ceperunt, eoſque ex ſylvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longiùs *Cæſar* perſequi vetuit, & quod loci naturam ignorabat, & quòd magnâ parte diei conſumptâ, munitioni caſtrorum tempus relinqui volebat. Poſtridie ejus diei, manè, tripartitò milites equiteſque in expeditionem miſit, ut eos, qui fugerant, perſequerentur. Iis aliquantum itineris progreſſis, cùm

jam

jam extremi eſſent in conſpectu, equites à Q. *Atrio* ad *Cæſarem* venerunt, qui nuntiarent, ſuperiori nocte maximâ coortâ tempeſtate, prope omnes naves afflictas, atque in littus ejectas eſſe; quòd neque anchoræ, funeſque ſubſiſterent, neque nautæ, gubernatoreſque vim tempeſtatis pati poſſent; itaque ex eo concurſu navium magnum eſſe incommodum acceptum. His rebus cognitis, *Cæſar* legiones, equitatumque revocari, atque itinere deſiſtere jubet; ipſe ad naves revertitur; eadem ferè, quæ ex nuntiis literiſque cognoverat, coràm perſpicit, ſic, ut amiſſis circitèr quadraginta navibus, reliquæ tamen refici poſſe magno negotio viderentur.

Itaque ex legionibus fabros deligit, & ex continente alios accerſiri jubet; *Labieno* ſcribit, ut, quàm plurimas poſſet, iis legionibus, , quæ ſunt apud eum, naves inſtituat; ipſe, etſi res erat multæ operæ, ac laboris, tamen commodiſſimum eſſe ſtatuit, omnes naves ſubduci, & cum caſtris unâ munitione conjungi. In his rebus circitèr dies decem conſumit, ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermiſſis. Subductis navibus,

caſtriſ-

caſtriſque egregiè munitis, eaſdem copias quæ anteà præſidio navibus fuerant, relinquit. Ipſe eòdem, undè redierat, proficiſcitur. Eò cùm veniſſet majores jam undique in eum locum copiæ Britannorum convenerant. Summa imperii, belliq; adminiſtrandi, communi conſilio permiſſa eſt *Caſſivellauno*, cujus fines à Maritimis civitatibus flumen dividit, quod appellatur *Thameſis*, a mari circiter millia paſſuum octoginta. Huic ſuperiori tempore cum reliquis civitatibus continentia bella interceſſerant, ſed *Cæſaris* adventu permoti *Britanni*, hunc toti bello, imperioque præfecerant. Equites hoſtium, eſſedariique acriter prælio cum equitatu *Cæſaris* in itinere conflixerunt; ita tamen, ut *Romani* omnibus partibus ſuperiores fuerint, atque eos in *Sylvas*, colleſque compulerint, ſed compluribus interfectis, cupidiùs inſecuti, nonnullos ex ſuis amiſerunt. At illi, intermiſſo ſpatio, imprudentibus *Cæſarianis*, atque occupatis in munitione caſtrorum, ſubitò ſe ex ſylvis ejecerunt; impetuque in eos facto, qui erant in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnaverunt; duabuſque miſſis ſubſidio cohortibus à *Cæſare*, atque his primis

primis legionum duarum, cùm hæ intermiſſo perexiguo loci ſpatio, inter ſe conſtitiſſent, novo genere pugnæ perterritis *Romanis*, per medios audaciſſimè perruperunt, ſeque inde incolumes receperunt. Eo die *Q. Laberius Durus* Tribunus militum interficitur; illi, pluribus ſubmiſſis cohortibus repelluntur. Toto hoc in genere pugnæ cùm ſub oculis omnium, ac pro caſtris dimicaretur, intellectum eſt, *Romanos*, propter gravitatem armorum, quòd neque inſequi cedentes poſſent, neque ab ſignis diſcedere auderent, minùs aptos eſſe ad hujus generis hoſtem; equites autem magno cum periculo dimicare, protereà quòd illi etiam conſultò plerumque cederent; &, cum paululum ab legionibus eos removiſſent, ex eſſedis deſilirent, & pedibus diſpari prælio contenderent. Equeſtris autem prælii ratio & cedentibus, & inſequentibus par atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, ut, nunquam conferti, ſed rari, magniſque intervallis, præliarentur, ſtationeſque diſpoſitas haberent, atque alios alii deinceps exceperunt, integrique, & recentes defatigatis ſuccederent. Poſtero die, procul à caſtris hoſtes in col-

collibus conſtiterunt, rarique ſe oſtendere, & lentiùs, quàm pridiè, *Cæſarianos* equites prælio laceſſere cæperunt. Sed meridie, cùm *Cæſar* pabulandi causâ tres legiones atque omnem equitatum cum *C. Trebonio* legato miſiſſet, repentè ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt, ſic, uti ab ſignis, legionibuſque non abſiſterent. *Romani*, acriter in eos impetu facto, repulerunt, neque finem inſequendi fecerunt, quoad ſubſidio confiſi equites, cum poſt ſe legiones viderent, præcipites hoſtes egerunt; magnoque eorum numero interfecto, neque ſui colligendi, neque conſiſtendi, aut ex eſſedis deſiliendi facultatem dederunt. Ex hâc fugâ protinus, quæ undique convenerant, auxilia diſceſſerunt, neque poſt id tempus unquam ſummis cum *Cæſare* copiis hoſtes contenderunt. *Cæſar*, cognito conſilio eorum, ad flumen *Thameſim*, in fines *Caſſivellauni*, exercitum duxit; quod flumen uno omnino loco pedibus, atque hoc ægrè, tranſiri poteſt, eò cùm veniſſet, animadvertit, ad alteram fluminis ripam magnas eſſe copias hoſtium inſtructas. Ripa autem erat acutis ſudibus præfixis munita; ejuſdemque generis ſub aquâ

defixæ ſudes flumine tegebantur. Iis rebus cognitis à captivis, perfugiſque, *Cæſar*, præmiſſo equitatu, confeſtim legiones ſubſequi juſſit. Sed eâ celeritate, atque impetu milites ierunt, cùm capite ſolo ex aquâ extarent, ut hoſtes impetum legionum, atque equitum ſuſtinere non poſſent, ripaſque dimitterent ac ſe fugæ mandarent. *Caſſivellaunus*, ut ſuprà demonſtravimus, omni ſpe depoſitâ contentionis, dimiſſis amplioribus copiis, millibus circitèr quatuor eſſedariorum retentis, itinera *Romanorum* ſervabat, paululumque ex viâ excedebat, lociſque impeditis, atque ſylveſtribus ſeſe occultabat; atque iis regionibus, quibus *Romanos* iter facturos cognoverat, pecora, atque homines ex agris in ſylvas compellebat; & cùm equitatus *Cæſaris* liberiùs vaſtandi, prædandique causâ, ſe in agros effunderet, omnibus viis notis, ſemitiſque, eſſedarios ex ſylvis emittebat; &, magno cum periculo *Cæſarianorum* equitum, cum iis confligebat, atque hoc metu latiùs vagari prohibebat, relinquebatur, ut neque longiùs ab agmine legionum diſcedi *Cæſar* pateretur, & tantum in agris vaſtandis, incendiiſque faciendis hoſtibus noceretur, quantùm labore

labore, atque itinere legionarii milites efficere poterant. Interim Trinobantes (propè firmiſſima earum regionum civitas, ex quâ *Mandubratius* adoleſcens, *Cæſaris* fidem ſecutus, ad eum in Continentem *Galliam* venerat, cujus pater *Imanuentius* in eâ civitate regnum obtinuerat, interfectuſque erat à *Caſſivellauno*, ipſe fugâ mortem vitaverat) legatos ad *Cæſarem* mittunt; pollicenturque ſeſe ei dedituros, & imperata facturos; petunt, ut *Mandubratium* ab injuriâ *Caſſivellauni* defendat; atque in civitatem mittat, qui præſit, imperiumque obtineat. His *Cæſar* imperat obſides quadraginta, frumentumque exercitui; *Mandubratium*que ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt; obſides ad numerum, frumentumque miſerunt. Trinobantibus defenſis, atque ab omni militum injuriâ prohibitis, *Cenimagni*, *Segontiaci*, *Ancalites*, *Bibroci*, *Caſſi*, legationibus miſſis ſeſe *Cæſari* dediderunt. Ab his cognoſcit, non longè ex eo loco oppidum *Caſſivellauni* abeſſe, ſylvis, paludibuſque munitum, quo ſatis magnus hominum, pecoriſque numerus convenerit. Oppidum autem *Britanni* vocant, cùm ſylvas impeditas vallo, atque

foſsâ mūnierunt, quò incurſionis hoſtium vitandæ causâ convenire conſueverunt.

Eò proficiſcitur cum legionibus; locum repetit egregiè naturâ, atque opere munitum; tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit. Hoſtes, pauliſper morati, militum *Romanorum* impetum non tulerunt; ſeſeque ex aliâ parte oppidi ejecerunt. Magnus ibi numerus pecorum repertus; multique in fugâ ſunt comprehenſi atque interfecti. Dum hæc in his locis geruntur, *Caſſivellaunus* ad *Cantium*, quod eſſe ad mare, ſuprà demonſtravimus, quibus regionibus quatuor reges præerant, *Cingetorix*, *Carvilius*, *Taximagulus*, *Segonax*, nuntios mittit; atque his imperat, ut, coactis omnibus copiis caſtra navalia de improviſo adoriantur, atque oppugnent. Hi cùm ad caſtra veniſſent, *Romani* eruptione factâ, multis eorum interfectis, capto etiam nobili duce *Cingetorige*, ſuos incolumes reduxerunt. *Caſſivellaunus*, hoc prælio nuntiato, tot detrimentis acceptis, vaſtatis finibus, maximè etiam permotus defectione civitatum, legatos per *Atrebatem Comium*, de deditione, ad *Cæſarem* mittit. *Cæſar* cum ſtatuiſſet hyemare in continente, propter repen-

repentinos *Galliæ* motus, neque multum æſtatis ſupereſſet, atque id facilè extrahi poſſe intelligeret, obſides imperat; &, quid in annos ſingulos vectigalis populo *Romano Britannia* penderet, conſtituit. Interdicit, aque imperat *Caſſivellauno*, nè *Mandubratio*, neu *Trinobantibus* noceat. Obſidibus acceptis, exercitum reducit ad mare, naves invenit refectas. His deductis, quòd & captivorum magnum numerum habebat, & nonnulla tempeſtate deperierant naves, duobus commeatibus exercitum reportare conſtituit. Ac ſic accidit, ut tanto navium numero, tot navigationibus, neque hoc, neque ſuperiore anno ulla omnino navis, quæ milites portaret, deſideraretur. At ex iis, quæ inanes ex Continente ad eum remitterentur, & prioris commeatûs expoſitis militibus, & quas poſtea *Labienus* faciendas curaverat, numero ſexaginta, perpaucæ locum caperent, reliquæ ferè omnes rejicerentur. Quas cùm aliquandiu *Cæſar* fruſtra expectâſſet, ne anni tempore navigatione excluderetur, quòd æquinoctium ſuberat, neceſſariò anguſtiùs milites collocavit; ac ſummam tranquillitatem conſecutus ſecundâ initâ cùm ſolviſſet vigiliâ, primâ luce terram at-

attigit, omneſque incolumes naves perduxit.

Laberium prædictum, (*Eutropium* ac *Bedam* ſecutus,) *Labienum* vocat *Galfridus*, & à *Nennio* interemptum tradit, illo ipſo nimirum gladio quem *Cæſari* in prælio eripuerat, lethali priùs accepto vulnere, quo, decimo quinto pòſt die extinctus eſt. Rerum certè hoc in bello geſtarum ordinem ille fœdè interturbat, dum utriuſque expeditionis acta confundit miſerè atque intermiſcet, & tribuni illius mortem in priorem conjicit, quam *Cæſar* & *Eutropius* in poſteriore accidiſſe confirmant; expeditionum porrò numerum adjectâ tertiâ adauget, obſidum verò *Trinobantum* ſubtractis decem minuit; militem quoque *Cæſaris Caſſium Scævam*, *Britannum*, *Androgei* filium, (unâ cum obſidibus ad *Cæſarem* miſſum) conſtituit, quem tamen ante imperatos obſides ſub *Cæſare* meruiſſe conſtat. De illo hæc *Eutropius*, ſecundum *Cæſaris* appulſum explicans, interea, inquit, *Scæva* miles *Cæſaris* cum quatuor commilitonibus naviculâ antè tranſvectus eſt ad ſcopulum inſulæ propinquum, atque intereà receſſu oceani deſtitutus eſt. Complures *Britanni* in paucos *Romanos* impetum faciunt

Eutrop l 6.

faciunt; cæteri tamen qui perrari comites ipſius fuerant, navigio redeunt. *Scæva* imperterritus manet undique telis obrutus; ac primò pilo reſtitit, poſtremò gladio rem gerit ſolus in plures; Cùmque feſſus vulneratuſque eſſet, & galeam ac ſcutum ictibus perdidiſſet, cum duabus loricis natavit ad caſtra *Cæſaris* & popoſcit ab Imperatore veniam pro temeritate; quem *Cæſar* centurionâtus honore ſubvexit. Idem *Scæva* in prælio Dyrrhachienſi, cùm milites *Pompeii* eum ut ſe traderet hortarentur, reſpondiſſe fertur, ſe eſſe feſſum. Accurrit unus, velut accepturus arma; percutitur; plures ſimul ſternuntur. Ipſe autem vulnera accepit capite, humero, femore, oculumque amiſit. Scutum ejus ſatis conſtitit, centum viginti ictibus petitum fuiſſe.

Hæc de eo *Eutropius*, caſum quoque ibi fuiſſe affirmans. *Cæſar*, autem, ſcuto ad eum relato *Scævæ* Centurionis, inventa eſſe in eo, ait, foramina ducenta triginta, quem ut erat de ſe meritus, & de republicâ, donavit millibus ducentis æris; atque ab octavis ordinibus ad primipilum ſe tranſducere, pronuntiavit. Unde, non illic cæſus ſed fortè lethaliter vulneratus fuiſſe videatur,

Cæſar de bello civili lib. 3.

tur, nihil enim ampliùs de eo poſteà uſquam memoratur. Quòd autem *Androgeum* (ſive *Mandubratium*) de relictâ *Britanniâ Romam* cum *Cæſare* abiiſſe prodat Hiſtoria Britannica, id haud ita vero conſentaneum eſſe, hinc eſt colligere; quòd niſi in Civitate ſuâ permanſiſſet, fruſtra *Caſſivellano* *Cæſar* interdixiſſet atque imperâſſet, ne *Mandubratio* noceret. Segontiaci illi dedititii, *Belgarum* pars fuiſſe & circa *Silceſtriam* (olim *Segontium*) in comitatu *Suthantonienſi* habitâſſe, ab Antiquariis cenſentur. *Bibroci* pars *Atrebatiorum* circa *Braiam* in *Bercherienſi*; *Ancalites* & *Caſſi* *Catyeuchlanorum*, hi circa *Caiſoam* in *Hertfordienſi*, illi circa *Henleiam* in *Bucchinghamienſi*; a *Caſſis*, *Suellanum* *Dionis*, *Caſſuellanum* fuiſſe appellatum veriſimile eſt, (ſicut *Cattimarus*, *Teutobochus*, *Decebalus*, priores nominum partes à Cattis *Teutonibus* ac *Dacis* ſuis traxiſſe judicantur,) quod nomen in hujus *Bellatoris* fortiſſimi honorem magno exinde erat in pretio apud ſuccedentes *Britannorum* principes. *Cenimagnorum* ſedes, niſi circa *Dunſtabulum* in *Hertfordienſi* fuerint (quod antiquitùs *Magintum*, *Magioninium*, ac *Magiovinium* dictum eſt,) adinveniri perquàm eſt difficile.

Quod

Quod enim *Camdenus* in *Icenis* ſcribit, pro voce, *Cenimagni*, in aliquibus exemplaribus reperiri, Ceni Agni, atque inde conjicit, per *Cenimagnos* intelligi, *Icenos*, *Regnos*,; haud ita probabile videtur; cum tanta inter *Icenos* ac *Regnos* intercedat loci diſtantia; ſique duos hoſce præterea populos in fidem accepiſſet *Cæſar*, non ipſe livor tantillum ejus in hâc inſulâ geſtis tribuiſſe poterat, ut *Britannos* ferè intactos *Romanis* ſolummodò oſtendiſſe ab *Horatio*, *Propertio*, *Seneca*, ac *Tacito* diceretur. Nec illud *Taciti* de *Icenis*, quòd ad Societatem *Romanam* volentes acceſſerant, de eorum cum *Cæſare*, ſed cum *A. Plautio* tranſactione intelligendum eſt. Quin ipſe *Camdenus* de primis *Britanniæ* incolis loquens, *Cenimagnos*, (unum ſcilicet populum, non duos,) à *Cenomannis Gallicis* originem paritèr ac nomen ſumpſiſſe pro conceſſo habet. Comium denique *Atrebatem* indultæ *Caſſuellano* pacis authorem extitiſſe *Cæſar* ſcribit; non *Androgeum* ùt *Galfridus* vult, quem confecto, etiam bello a *Caſſuellano* ſibi metuiſſe evincit illa *Cæſaris* interdictio. Ejus verò meriti fiduciâ fretus, iſtùc poſteà, *Romanorum* odia declinans profugit idem ille Comius. Sed nec ità proſperè omnia *Roma-*

Taciti. Annal, lib. 12.

nis hic ſucceſſiſſe oſtendunt alii Scrip-
Eutrop. l.6. tores; è quibus *Eutropius* *Cæſarem*, in priore expeditione, acerbâ pugnâ primùm fatigatum, deinde adversâ tempeſtate correptum, plurimam claſſis partem, & non parvum numerum militum, equitatum verò penè omnem diſperdidiſſe; in poſteriore, equitatum primo congreſſu à *Britannis* victum, eorumque crebris è Sylvis eruptionibus *Romanos* graviter ac ſæpe laceratos eſſe refert; in quâ etiam expeditione fuſum fuiſſe univerſum *Cæſaris* peditatum prodit *Dion Caſſius*. Nec leve quidem in tranando fluvio *Tamiſi* periculum evitârunt ac perfugarum indicio *Romani* milites, cùm ſudes illìc ſub aquâ ferratas ut ſcribit *Nennius* defixiſſet proconſul *Dolobellus*, qui locus inde noſtratibus, *Coway Stakes*, hodieque vocatur, juxta quem ſitæ ſunt ædes Regiæ in *Surreiâ Otlandiæ* nuncupatæ. Septimo poſt *Cæſaris* diſceſſum anno obiit rex *Caſſuellanus*, cùm annos novendecim, (videlicèt undecim cum patre ac fratribus, inſuperqne ſolus octo) regnâſſet, &, ſi *Britannicæ* hiſtoriæ credendum, *Eboraci* ſepultus eſt. Oppidum ejus prædictum videtur fuiſſe *Verolamium*. *Cæſar Romam* reverſus thoracem è *Margaritis*

ritis Britannicis factum *Veneri* Genitrici in ejus Templo dedicavit; quarum *Margaritarum* ſpe petîſſe *Britanniam*, earumque amplitudinem conferentem, interdum ſuâ ipſum manu exigiſſe pondus, narrat *Suetonius Tranquillus*. Mortuis *Caſſuellano* & *Androgeo* ſucceſſit *Tenevantius Luddi* filius, quem fratres præter *Androgeum* habuiſſe *Aſlechum* & *Caſnarum Cambrici* ferunt Genealogi. Ille laborantibus bello civili *Romanis* tributum pendere noluit, quapropter, anno poſt *Cæſaris* diſceſſum viceſimo, ante Chriſtum natum triceſimo quarto, ad quod uſque tempus autonomiâ *Britanni* fruebantur, expeditionem in hanc inſulam parat *Octavianus Auguſtus*; jamque in *Galliam* pervenerat, cûm, allato, de *Pannoniorum* rebellione, nuntio, cæptis ſuperſedere neceſſum habuit. Poſt ſeptem annos idem inſtitutum repetenti, miſſi de pace, ad *Ariminum* legati occurrunt, ſeſeque fidem ejus ſecuturos eſſe dicunt, quorum operâ, rebus quoque *Galliæ* ad motus turbaſque ſpectantibus, effectum eſt, ut iter inceptum aliquantiſper differret. Anno demùm inſequente, arma tertiò illaturum venientes *Romam* Oratores *Britanni* placant in Capitolio munera offerunt, D.

Dion. lib. 49 34. *Dion. lib.* 53 27. 26.

Romanis ſacra faciunt, Senatui populoque *Romano* fidem in Templo *Martis* unà cum jurisjurandi religione profitentur, vectigal & portorium ſolvunt. His acquieſcens *Auguſtus*, nuntiatis jam *Cantabrorum* & *Allobrogum* tumultibus, nihil dehinc negotii *Britannis* faceſſit.

24. *Tenevantio*, ubi viginti tres annos regnâſſet defuncto, ſucceſſit filius *Cynobelinus*, cujus tempore, pacato terrarum orbe, natus eſt ille pacis Princeps *Jeſus Chriſtus* Dominus noſter. *Tiberius* probato *Auguſti* conſilio, cingendo potius atque intra terminos coercendo quàm prolatando imperio ſtuduit, ita ut longa eſſet quaſi oblivio *Britanniæ* in pace. Tanta erat per hæc tempora Regulorum *Britannicorum* erga *Romanos* obſervantia, ut tempeſtatis vi raptos in *Britanniam* quoſdam *Germanici Cæſaris* milites comitèr & accipe-rent & remitterent. Agitavit *Caius Caligula* de intrandâ *Britanniâ*, ni velox ingenium, nobilis pœnitentia, & ingentes adversùs *Germaniam* conatus fruſtra fuiſſent. Eum certè *Baiarum* medium intervallum *Puteolanas* ad moles trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum ponte conjunxiſſe quidam extimârunt, ut *Germaniam* & *Britanniam*,

Anni poſt Chriſtum natum.

16.

Tacit Ann. lib. 2.

Tacit. in vitâ Agric.

Sueton. in Calig.

am, quibus imminebat, alicujus immenſi operis famâ territaret. Magno deinde incredibilique apparatu profectus quærere hoſtem, & viribus otioſis *Germaniam Galliamque* percurrens in orâ oceani circa proſpectum *Britanniæ* reſtitit. Nihil autem amplius quàm *Adminio Cynobelini Britannorum* regis filio, qui pulſus à patre, cum exiguâ manu transfugerat, in deditionem recepto; quaſi vniverſâ traditâ inſulâ, magnificas *Romam* literas miſit; monitis ſpeculatoribus, ut vehiculo ad Forum uſque & Curiam pretenderent, nec niſi in *Æde Martis*, ac frequente Senatu, conſulibus traderent. Poſtremò quaſi perpetraturus bellum, directâ acie in littore Oceani, ac baliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante quidnam Cæpturus eſſet, repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit; ſpolia Oceani, vocans, capitolio palatioque debita. Et in indicium victoriæ altiſſimam Turrim excitavit; ex quâ ùt ex *Pharo*, noctibus ad regendos navium curſus, ignes emicarent; pronuntiatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus; abite, inquit, læti,

Oroſius l. 7.

Sueton in Calig.

læti, abite locupletes. Hanc Turrim poſteà Arcem *Britannicam* & *Brittenburgum* dici, (cujus adhuc aliquando recedente Oceano ruinæ non procul ab *Hollandiæ* littore cernuntur) *Ortelius*, & *Camdenus* exiſtimant, & quatuor haſce literas *C. C. P. F.* inſcriptas ſic interpretantur, *Caius Caligula Pharum Fecit*, *Caligulam* à ſuis interfectum excipit *Claudius* patruus, à quo *Britanni* transfugas ſuos, inter quos præcipui erant *Adminius* prædictus & quidam *Bericus*, repetunt nec impetrant. *Cynobelinus* poſt regnum per ſexaginta ſex annos aut circitèr feliciſſimè adminiſtratum, paulo ante *Auli Plautii* adventum fatis, utì *Dion Caſſius* narrat, conceſſit. Filios habuit complures, *viz. Adminium*, *Togodumnum*, *Caractacum*, *Arviragum*, alioſque, quos, in ſenium vergens *Belini* proavi exemplo ductus, variis cum dignitate regiâ provinciis videtur præfeciſſe. Haud aliter enim *Togodumnus* (quem *Britanni Guiderium* ſive *Guinderium* vocant) annos viginti duos ùt *Matthæus Florilegus*, aut viginti octo ùt *David Peelus* habet, regnâſſe poterat & *Adiminium* ſive *Etiminium Camaloduni* aliquantiſper ante transfugium regiam habuiſſe

buiſſe probat antiqua cujuſdam nummi inſcriptio urbis nomen cum hoc titulo referens Μητρόπολις Ἐτιμινίου Βασιλέως, Metropolis *Etiminii* regis.

Togodumno ac fratribus aliiſque *Britanniæ* principibus ob non redditos transfugas tumultuantibus, cenſumque diſtinentibus, *Romani*, anno Chriſti, juxta *Dionyſium*, quadrageſimo tertio, *Claudio* tertiò & *L. Vitellio* ſecundo conſulibus, *Berici* ſuaſu, bellum intulerunt. *Plautio* in *Galliâ* exercitum regenti imperat *Cæſar* in *Britanniam* copias tranſmittere; cùm verò milites ſibi extra orbem ut rebantur eſſe bellandum ægerrimè ferrent, reſque ad ſeditionem ſpectare videretur, *Narciſſum* libertum *Claudius*, eximiâ apud ipſum authoritate ac gratiâ pollentem, miſit, ut eorum abitum acceleraret. Quem ubi illi conſpexerunt, hominem ut qui quondam ſervus fuerat aſpernati, *Io* Saturnalia, exclamarunt, arreptiſque ſignis ad littus fremebundi contenderunt. Diſtributis igitur in tres partes copiis, ne uno loco appellentes terrâ prohiberi poſſent, inſulam petiit *Plautius*. Primò ventis adverſis conflictati, mox ſumptâ, ex vibrati ab ortu verſùs inſulâm igniti meteori omine, fiducia

Dion. Caſſius.

eiâ, *Romani* in *Britanniam*, nemine qui arceret occurrente, incolumes & inopinati pervenerunt, abditoſque in ſylvas hoſtes ſedulò explorârunt. *Togodumno* fratri adeſt auxilio *Caractacus Demetiæ* ac *Siluriæ* Princeps, *Plautio*que congreſſus ſuperatur, nec lætiore belli ſucceſſu uſus eſt ipſe *Togodumnus*. Fugientibus, illis partem *Bodunorum* qui *Cattuellanis* parebant, victor in fidem accepit, relictoque ibi præſidio, ad fluvium quendam perrexit, cujus ulteriori ripæ ſecuri inſederunt *Britanni*, *Romanos* ponte deſtitutos ad ipſos accedere hon poſſe opinati. *Germanos*, quibus rapidiſſima quæque etiam armatis facilè tranare flumina ſolenne erat, *Plautius* præmittit, juſſos, præcipuè equos ſauciare, quo eſſeda, quibus in regendis potiſſimum enituit militaris *Britannorum* ſolertia, prorsùs in utilia reddebantur.

Poſt hos *Veſpaſianus* & *Sabinus* fratres, ex improviſo ſupervenientes ingentem ſtragem ediderunt, noctis autem beneficio data eſt *Britannis* vires animoſque recolligendi facultas, qui die inſequenti *Romanos* acri pugnâ exceperunt, ancepſque diu hæſit victoria, donec *C. Sidio Getâ* propè jam ab hoſtibus

ſtibus circumfuſis comprenſo, ſummâ cum virtute ſeſe expediente fortiſſimeque vindicante, ad *Romanos* inclinavit. Victi ad *Thameſim* fluvium ſe *Britanni* receperunt, ac nota ſibi haud procul ab æſtuario vadi trajicientes, *Romanos* temerè tranſmeantes variis incommodis affecerunt; *Germanis* verò rurſùs tranantibus, aliiſque pontem paulò ſuperiús poſitum pertranſeuntibus, iteratò in fugam conjiciuntur. *Romani* tamen dum fugientes per ſtagna, lacus, ſaltuſque *Britannos* avidiùs inſectantur, plurimos è ſuis locorum iniquitate, hoſtiumque crebrò atque inopinatò repugnantium armis abſumptos deſiderârunt. Ipſe demum *Togodumnus* cum *Veſpaſiano* congreſſus occiditur. *Portceſtriæ* Regis cæde aliiſque cladibus minimè perculſi ſed accenſi, bellum *Caractaco*, ut videtur Duci acriùs inſtaurant *Britanni*. Quocirca *Plautius*, uti juſſus fuerat, nuntios ad *Claudium* mittit; qui cum immenſo procinctu, plurimiſque armatis elephantis ad *Galliam* properat. Quò cum ab *Oſtiâ* navigaret, vehementi Circio bis pænè demerſus eſt prope *Liguriam*, juxtaque *Stœchadas* Inſulas. Quare à *Maſſyliâ* *Geſſoriacum* uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſ-

miſit, junctiſque, cum Legato adventum ejus in *Thameſis* ripâ præſtolante, viribus, fluvioque trajecto, *Britannos* juſto prælio confligere auſos profligavit. *Camalodunum* deinde, *Cynobelini* quondam regiam cepit; aliique dehinc multi ſe dedidere, quibus arma adempta ſunt. Propter hæc ſæpius ſalutatus eſt Imperator contra *Romanorum* inſtitutum, quibus ampliùs quàm ſemel non licebat illud nomen ex uno bello adſumere. Quæ tamen ejus geſta tantilli æſtimat *Suetonius Tranquillus*, ut, ſine ullo prælio aut ſanguine partem inſulæ in deditionem eſſe receptam, tradat. Tranſactis in *Britanniâ* ſedecim diebus, remiſſâ *Britannis* bonorum confiſcatione, *Romam* ſexto quàm inde profectus erat menſe rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in urbem non ſolùm præſidibus provinciarum permiſit, verùm etiam exulibus quibuſdam; atque inter hoſtilia ſpolia, navalem coronam faſtigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Currum ejus *Meſſalina* uxor *Carpento* ſecuta eſt. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, inter quos erant *Junius Silanus*, *Valerius Aſiaticus*,

&

& *Sidius Geta*, ſed cæteri pedibus & in prætextâ; *Licinius Craſſus* Frugi equo phalerato & veſte palmatâ uſus eſt; *Poſidio* ſpadoni haſta pura data eſt; *C. Gavio* torques, armillæ, phaleræ, aureaque corona, ut in antiquo marmore *Taurini* adhuc inſcriptum videtur. Annuos quoque *Claudio* Ludos, arcuſque triumphales, & *Britannici* ipſi filioque agnomen decrevit Senatus. Tantum erat vel tantulam *Britanniæ* partem ſubjugâſſe. 44 Recedente imperatore, *Plautius* Legatus Vir Conſularis Primus *Romanorum* Provinciam in *Britanniâ* pro Prætore rexit, qui, belli reliquias felicitèr proſecutus, ut Oratio ſibi decerneretur promeruit; ingreſſoque urbem obviàm progreſſus *Cæſar*, Ovantem ſequi, & in *Capitolium* eunti, & inde rurſus revertenti lævum latus tegere dignatus eſt. Triginta cum *Britannis* prælia conſeruit *Veſpaſianus*, in quorum uno circundatum ab hoſtibus, jamjamque ſuccumbentem, advolans *Titus* filius piè ac ſtrenuè periculo exemit; Duas Validiſſimas gentes, ſuperque viginti oppida, & inſulam *Vectim Britanniæ* proximam in deditionem redegit, partim *A. Plautii* Conſularis Legati, partim *Claudii* ipſius ductu. Quare triumphalia ornamenta, *Suet. in Veſpaſ.* 47.

& in ſpatio brevi duplex ſacerdotium accepit; præterea conſulatum, quem geſſit per duos noviſſimos anni menſes. *Cn:* quoque *Sentium* illuſtrem ac nobilem virum, preclaram *Cæſari* in hoc bello operam navâſſe ſcribit *Eutropius.* Hujus etiam belli tempore Romano imperio ſubditas fuiſſe partes inſulæ maximè occiduas, viz. Comitatus *Somerſetenſem*, *Devonienſem*, ac *Cornubienſem* exiſtimat ſcriptor quidam nuperus; quia nullo alio *Romanorum* bello deditæ memorantur; pari itidem ratione, ſi conjecturæ detur venia, *Sillinas inſulas* tunc temporis ſubactas fuiſſe crederem; præſertim cùm *Eutropius* aliique inſignes authores, inſulas quaſdam ultra *Britannias* in oceano poſitas tunc temporis imperio *Romano* additas eſſe affirment, quas tamen, circa nomina hallucinantes, appellant *Orcadas.* Poteratque fieri, ut *Sillinæ Cornubiæ* objacentes, pro *Orcadibus Cornabiæ* oppoſitis, per errorem ſumerentur: At *P. Oſtorium Scapulam Plautii* ſucceſſorem turbidæ in *Britanniâ*, inquit *Tacitus*, res excepere, effuſis in eorum qui cum Romanis ſocietatem inierant, agrum hoſtibus, eo violentiùs, quòd novum ducem exercitu ignoto, & cœptâ hyeme, iturum obviàm non rebantur.

Tacit. lib. 12 Ann.

bantur. Ille, gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit; & cæſis qui reſtiterunt, diſjectos conſectatus, nè rurſus congloba-rentur, infenſaque & infida pax non duci, non militi requiem permitteret; detrahere arma ſuſpectis, cinctoſque caſtris *Antonam* & *Sabrinam* fluvios cohibere parat. Quod primi *Iceni* abnuere, valida gens nec prælii contuſi quia ſocietatem Romanam volentes acceſſerant. Hiſque auctoribus circumjectæ nationes locum pugnæ delegere, ſeptum agreſti aggere & aditu anguſto, nè pervius equiti foret. Ea munimenta *dux Romanus*, quanquam ſine robore legionum ſociales copias ducebat, perrumpere aggreditur & diſtributis cohortibus, turmas quoque peditum ad munia accingit. Tunc dato ſigno perfringunt aggerem, ſuiſque clauſtris impeditos turbant. Atque illi conſcientiâ rebellionis & obſeptis effugiis, multa & clara facinora fecere. Quâ Pugnâ filius Legati *M. Oſtorius* ſervati civis decus meruit. Cæterum clade *Icenorum* compoſiti, qui bellum inter & pacem dubitabant; & ductus in *Cangos* exercitus. Vaſtati agri, prædæ paſſim actæ; non auſis aciem hoſtibus, vel ſi occultò carpere

pere agmen tentarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari, quod *Hiberniam* inſulam aſpectat, cùm ortæ apud *Brigantes* diſcordiæ retraxêre ducem, deſtinationis certum, nè nova moliretur, niſi prioribus firmatis. Et *Brigantes* quidem, paucis qui arma captabant interfectis, in reliquos datâ veniâ reſedere. *Silurum* gens, non atrocitate, non clementiâ mutabatur, quam bellum exerceret, caſtriſque legionum premenda foret. Id quò promptius veniret, colonia *Camalodunum* validâ veteranorum manu deducitur in agros captivos, ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis *Britannis* ad officia legum *Romanarum*. Quædam etiam civitates *Cogiduno* regi donatæ, qui ad *Taciti* usque memoriam fidiſſimus manſit, vetere ac jam pridem receptâ populi Romani conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & reges. Itum inde in *Siluras*, ſuper propriam ferociam *Caractaci* viribus confiſos; quem multa ambigua, multa proſpera extulerant, ut cæteros *Britannorum* Imperatores præmineret. Sed tum aſtu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in *Ordovicas*, additiſque qui pacem *Romanam* metuebant, noviſſimum caſum experitur;

Tac. in vit Agſic.
Idem Ann. Lib. 12.

experitur; ſumpto ad prælium loco, ut aditus, abſceſſus, cuncta *Romanis* importuna, & ſuis in melius eſſent. Tunc montibus arduis, & ſi qua clementer accedi poterant, in modum valli ſaxa præſtruit; & præfluebat amnis vado incerto, catervaque majorum pro munimentis conſtiterant. Adhoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendendâ ſpe, aliisque belli incitamentis. Enimverò *Caractacus* huc illuc volitans, illum diem, illam aciem teſtabatur, aut recuperandæ libertatis, aut ſervitutis æternæ initium fore. Vocabatque nomina majorum, qui Dictatorem *Cæſarem* pepuliſſent; quorum virtute vacui à ſecuribus & tributis intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent. Hæc atque talia dicenti, adſi repere vulgus; gentili quiſque religione obſtringi, non telis, non vulneribus ceſſuros. Obſtupefecit ea alacritas Ducem *Romanum*; ſimul objectus amnis, additum vallum, imminentia juga, nihil niſi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poſcere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, Præfectique ac Tribuni paria differentes ardorem exercitûs incendebant. Tum *Oſtorius*, circumſpectis

ſpectis quæ impenetrabilia, quæque pervia, ducit infenſos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum miſſilibus certabatur, plus vulnerum in *Romanos*, & pleræque cædes oriebantur. Poſteaquam factâ teſtudine, rudes & informes ſaxorum compages diſtractæ, parque cominus acies, decedere *Britanni* in juga montium. Sed eò quoque irrupere ferentarius graviſque miles. Illi telis aſſultantes, hi confertо gradu, turbatis contra *Britannorum* ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina; & ſi auxiliaribus reſiſterent, gladiis ac pilis legionariorum; ſi huc verterent, ſpathis & haſtis auxiliarium ſternebantur. Clara ea victoria fuit, captâque uxore & filiâ *Caractaci*, fratres, quoque in deditionem accepti. Ipſe, (ut fermè intuta ſunt adverſa) cum fidem *Cartiſmanduæ* Reginæ *Brigantum* petiviſſet, vinctus ac victoribus traditus eſt, nono poſtanno quàm bellum in *Britanniâ* cæptum. Unde fama ejus evecta inſulas, & proximas provincias pervagata, per *Italiam* quoque celebrabatur; avebantque viſere, quis ille, qui tot per annos, opes *Romanas* ſprevisſet. Ne *Romæ* quidem ignobile *Caractaci* nomen erat. Et *Cæſar* dum ſuum

ùm decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ùt ad inſigne ſpectaculum populus. Stetere in armis Prætoriæ cohortes, campo qui caſtra præjacet. Tunc incedentibus regiis clientelis, *phaleræ* torqueſque, quæque externis bellis quæſierat, traducta, mox fratres & conjunx & filia; poſtremò ipſe oſtentatus. Cæterorum preces degeneres fuere ex metu. At non *Caractacus* aut vultu demiſſo, aut verbis miſericordiam requirens, ubi tribunali aſtitit, in hunc modum locutus eſt. Si quanta & fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet; amicus potiùs in hanc urbem, quàm captus veniſſem; neque dedignatus eſſes claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitantem, fœdere pacis accipere. Præſens ſors mea ùt mihi informis, ſic tibi magnifica eſt. Habui equos, viros, arma, opes, quid mirum ſi hæc invitus amiſi? Nam ſi vos omnibus imperitare vultis, ſequitur ut omnes ſervitutem accipiant. Si ſtàtim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruiſſet; ſupplicium mei obſcurè ſequeretur. At ſi incolumem ſervaveris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad ea *Cæſar*, veniam ipſique, &

conjugi, & fratribus, tribuit. Atque illi vinclis exoluti, *Agrippinam* quoque haud procul alio ſuggeſtu conſpicuam, iiſdem quibus principem laudibus gratibuſque venerati ſunt. Novum ſanè & moribus veterum inſolitum, fæminam ſignis *Romanis* præſidere. Ipſa ſemet parti a majoribus ſuis imperii ſociam ferebat. Vocati poſthac Patres, multa & magnifica ſuper captivitate *Caractaci* diſſeruere. Neque minùs id clarum, quàm cùm *Siphacem P. Scipio, Perſem L. Paulus*, & ſi qui alii victos reges populo *Romano* oſtendêre. Cenſentur *Oſtorio* triumphi inſignia, proſperis ad id rebus ejus, mox ambiguis; ſive quòd amoto *Caractaco*, quaſi debellatum foret, minùs intenta apud *Romanos* militia fuit; ſive *Britanni*, miſeratione tanti regis, acriùs ad ultionem exarſêre. Præfectum caſtrorum, & legionarias cohortes extruendis apud *Siluras* præſidiis relictas circumfundunt. Ac ni citò vicis & caſtellis proximis ſubventum foret, copiæ tum occidione occubuiſſent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptiſſimus quisque manipulus cecidêre. Nec multò pòſt pabulantes *Romanos*, ipſaſque miſſas ad ſubſidium turmas profligant. Tum *Oſtorius* cohortes

hortes expeditas expoſuit ; nec ideò fugam ſiſtebant , ni legiones prælium excepiſſent. Earum robore æquata pugna, dein *Romanis* pro meliore fuit. Effugêre *Britanni* tenui damno, quia inclinabat dies. *Crebra* hinc prælia & ſæpiùs in modum latrocinii ; per ſaltus, per paludes, ùt cuique ſors aut virtus ; temerè, proviſò, ob iram, ob prædam ; juſſu, & aliquando ignaris ducibus. Ac præcipua *Silurum* pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris *Romani* vox ; ut quondam *Sicambri* exciſi, & in *Gallias* trajecti forent, ita *Silurum* nomen penitùs extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes, avaritiâ præfectorum incautiûs populantes, intercepere. Spoliaque & captivos largiendo, cæteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cùm tædio curarum feſſus *Oſtorius*, conceſſit vitâ ; lætis *Britannis*, tanquam ducem haud ſpernendum , etſi non prælium , at certè bellum, abſumpſiſſet. At *Cæſar* cognitâ morte legati, ne provincia ſine rectore foret *Avitum Didium* ſuffecit. Is properè vectus, non tamen integras res invenit, adverſæ interim legionis pugna, cui *Manlius Valens* præerat. Auctaque & apud *Britannos* ejus rei fama,

quo venientem ducem exterrerent; atque illo augente audita, ut major laus compoſitis, vel ſi duraviſſent, venia juſtior tribueretur. *Silures* id quoque damnum intulerant, latèque perſultabant, donec accurſu *Didii* pellerentur. Sed poſt captum *Caractacum*, præcipuus ſcientiâ rei militaris è Iugantum (aut fortè potius *Brigantum*) civitate, fiduſque diu, & *Romanis* armis defenſus, cùm *Cartismanduam* reginam matrimonio teneret, mox orto diſſidio, & ſtatim bello, etiam adverſùs *Romanos* hoſtilia induerat. Sed primò tantùm inter ipſos certabatur, callidiſque *Cartiſmandua* artibus fratrem ac propinquos *Venuſii* intercepit. Inde accenſi hoſtes, ſtimulante ignominiâ, ne fœminæ imperio ſubderentur, *valida* & lecta armis juventus regnum ejus invadunt. Quod *Romanis* previſum,& miſſæ auxilio cohortes acre prælium fecere, cujus initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque diſpari eventu pugnatum a legione cui *Caſius Naſica* præerat. Nam *Didius* ſenectute gravis & multâ copiâ honorum, per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat. *Cangos* ſive (ut in antiquâ inſcriptione nominantur) *Ceangos* quorum in hâc narratione meminit *Tacitus*. *Cornavi-*

orum

orum partem fuiſſe & circa *Ceſtriam* degiſſe non male conjicit *Camdenus.* *Camden. in Corn.*
Fluvium verò *Antonam* qui nunc dierum *Nenus* dicitur, & *Northantoniam* alluit, pro *Auſonâ* vel *Avonâ* perperàm ſcriptum, quaſi verius illius oppidi nomen eſſet *Northanontonia* non ita recte ſtatuere videtur, cùm nulla reddi poſſit ratio cur *Northantonia* ab *Antonâ* æquè ac *Suthantonia* ab ejuſdem nominis fluvio (quod ipſe tamen agnoſcit,) nuncupationem non ſortiretur. *Britannicas* autem de *Lælio Hamone* homine *Utopico*, & *Geniſſâ*, imaginariâ *Claudii* filiâ fabulas, tanquam futiles ineptias prætereo. *Idem in Corit.* *Idem in Belg.*
Caractacum Britanni, *Caradocum Frichfras*, ſive *Caradocum* cum valido brachio, appellant; qui captivitati, veniæque tributæ, haud diu ſuperfuiſſe videtur, cum nunquam reverſus legitur. Interim *Britannis*, cum poſt captum *Caractacum* adeo *Oſtorium* fatigarent, & *Manlii Valentis* legionem ſuperarent, ducem fuiſſe *Arviragum* credibile eſt; Si non etiam idem illa fuerit cum *Venuſio*; qui fidus diu & *Romanis* armis defenſus fuiſſe memoratur; eorum forſan ope & favore, *Cartismanduæ* reginæ connubio potitus; ita ut illa, fit *Galfridi Geniſſa* adoptatitia fortè *Claudii* filia, atque ille interceptus

ceptus *Venuſii* frater, ſit ipſe *Caractacus*, quem dolo captum fuiſſe alibi teſtatur idem *Tacitus*; poſt quam *Caractaci* captivitatem protinùs *Venuſium* hoſtilia induiſſe narrat, ùt antè dictum; *Marius* quoque *Arviragi* filius *Brigantibus*, patri utique ſuccedens, præfuiſſe videtur, quorum ſcilicet in ditione, *Rodericum Pictum* ſtravit. Nec obſtat nominum varietas, cùm *Imanuentium Mandubratium* & *Togodumnum* aliis quoque nominibus appellatos eſſe conſtat. Toto autem cælo errant, qui cum *Praſutago Icenorum* rege *Arviragum* confundunt; cùm ille, ùt in ſequentibus dicetur, imperante *Nerone* obierit, hic ad *Domitiani* uſque tempora perduraverit. Sed, ita pergit *Tacitus*.

Tacit. Hiſt. lib. 3.

Avito Didio Gallo in *Britanniâ* Legato, (qui tantùm parta a prioribus retinuit, paucis admodum caſtellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur,) ſucceſſit *Veranius*; iſque modicis excurſibus *Siluras* populatus, quin ultrà bellum pro ferret, morte intra annum prohibitus eſt; magna dum vixit ſeveritatis fama, ſupremis teſtamenti verbis ambitionis manifeſtus; quippe multâ in *Neronem* adulatione addidit, ſubjecturum ei provinciam fuiſſe, ſi biennio proximo

Tacit. Ann. lib. 14. & in vitâ Agric.

proximo vixiſſet. Sed tum *Paulinus Suetonius* obtinebat *Britannos*, ſcientiâ militiæ, & rumore populi, qui neminem ſine æmulo ſinit, *Corbulonis* concertator receptæque *Armeniæ* decus, æquare domitis perduellibus cupiens. Biennio ille proſperas res habuit, ſubactis nationibus firmatiſque præſidiis. Igitur *Monam* inſulam (nunc *Angleſeiam* dictam) incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, naviſque fabricatur plano alveo, adverſûs breve littus & incertum. Sic pedites; equites vado ſecuti, aut altiores inter undas, adnantes equis tranſmiſere. Stabat pro littore diverſa acies, denſa armis viriſque, intercurſantibus fæminis; in modum furiarum, veſte ferali, crinibus dejectis, facès præferebant. *Druidæque* circùm, preces diras ſublatis ad cælum manibus fundentes, novitate aſpectûs perculere milites, ut quaſi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent. Dein, cohortationibus ducis, & ſe ipſi ſtimulantes ne muliebre & fanaticum agmen paveſcerent, inferunt ſigna, ſternuntque obvios, & igni ſuo involvunt. Præſidium poſthàc impoſitum victis, exciſique luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri. Nam cruore captivo adolere aras & hominum

hominum fibris conſulere fas habebant. Hæc agenti *Suetonio* repentina defectio provinciæ nuntiatur. Rex *Icenorum Prâſutagus*, longâ opulentiâ clarus, *Cæſarem* hæredem duaſque filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnum & domum ſuam procul injuriâ fore. Quod contra vertit. Adeò ut regnum per centuriones, domus per ſervos, velut capta vaſtarentur. Iam primùm uxor ejus *Boadicea* verberibus affecta, & filiæ ſtupro violatæ ſunt. Præcipui quique *Icenorum*, quaſi cunctam regionem muneri accepiſſent, avitis bonis exuuntur; & propinqui regis inter mancipia habebantur. Quâ contumeliâ & metu graviorum (quandò in formam provinciæ ceſſerant) rapiunt arma, commotis ad rebellationem *Trinobantibus*; & qui alii nondum ſervitio facti, reſumere libertatem occultis conjurationibns pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam *Camalodunum* recèns deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, ſervos appellando; foventibus impotentiam veteranorum militibus, ſimilitudine vitæ, & ſpe ejuſdam licentiæ. Adhæc, templum *Divo Claudio* conſtitutum, quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur; delectique

lectique ſacerdotes, ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant. Remoto igitur abſentiâ legati in *Monâ* inſula metu, *Britanni* agitare inter ſe mala ſervitutis, conferre injurias & interpretando accendere. Nihil profici patientiâ, niſi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos imponi; e quibus legatus in ſanguinem, procurator in bona ſæviret. Æquè diſcordiam præpoſitorum, æquè concordiam ſubjectis exitioſam; alterius, manus, centuriones; alterius vim & contumelias miſcere; nihil jam cupiditati nihil libidini exceptum. In prælio fortiorem eſſe qui ſpoliet; nunc ab ignavis plerumque & imbellibus eripi domos, abſtrahi liberos, injungi delectus tanquam mori tantùm pro patriâ neſcientibus. Quantum enim transiſſe militum; ſi ſeſe *Britanni* numerent? ſic *Germanias* excúſſiſſe jugum, & flumine non Oceano defendi; ſibi patriam, conjuges, parentes; illis avaritiam & luxuriam cauſas belli eſſe. Receſſuros ut *Divus Iulius* receſſiſſet modò virtutes Majorum ſuorum æmularentur; neve prælii unius aut alterius eventu paveſcerent. Plus impetûs, majorem conſtantiam penes miſeros *Tac. in vitâ Agric.*

ſeros eſſe; jam *Britannorum* etiam deos miſereri, qui *Romanum* ducem abſentem, qui relegatum in aliâ inſulâ exercitum detinerent; jam ipſos, quod diffi. cillimum fuerit, deliberare. Porro in ejuſmodi conſiliis periculoſius eſſe de-
Dion prehendi quàm audere. *Catus* certè *Decianus* Procurator, *Claudii* remiſſionem caſſare ac irritam facere, bonaque eorum omnia novæ confiſcationi ſubiicere molitus; & *Seneca*, philoſophus ſanè eximius ſed fænerator iniquus, compilationibus iras accenderunt. His atque talibus invicem inſtincti, duce *Boadicâ Praſutagi* viduâ quæ & ipſa generis regii erat, (neque enim ſexum in imperiis diſcernebant,) *Icenis* & *Trinobantibus* ſeſe adiungentes, ſumpſere univerſi bellum; ac ſparſos per caſtella milites conſectantur, expugnantque præſidia; nec ullum in commotis ſævi-
Tacit. Ann lib. 14 tiæ genus omiſit ira & victoria. Haud arduum videbatur, excindere Coloniam nullis munimentis ſeptam quod ducibus *Romanis* parùm proviſum erat, dum amanitati potiùs quàm uſui conſulitur. Inter quæ nullâ palàm causâ delapſum *Camaloduni* ſimulacrum Victoriæ, ac retrò converſum, quaſi cederet venientibus. Et faminæ in furore turbatæ, adeſſe

adeſſe exitium canebant. Externoſque fremitus in curiâ eorum auditos, conſonuiſſe ululatibus theatrum, viſamque ſpeciem in æſtuario *Tameſæ* ſubverſæ coloniæ. Iam Oceanum cruento aſpectu; dilabente æſtu, humanorum corporum effigies relictas, ùt *Britanni* ad ſpem, ita veterani ad metum trahebant. Sed quia procul *Suetonius* aberat petivere a *Cato Deciano* procuratore auxilium. Ille haud ampliùs quàm ducentos ſine juſtis armis miſit, & inerat modica militum manus tutelâ templi freti. Et impedientibus qui occulti rebellionis conſcii conſilia turbabant, neque foſſam aut vallum præduxerunt, neque motis ſenibus & fæminis, juventus ſola reſtitit; quaſi mediâ pace incauti, multitudine *Britannorum* circumveniuntur. Et cætera quidem impetu direpta, aut incenſa ſunt. Templum in quo ſe miles conglobaverat, biduo obſeſſum, expugnatumque. Et victor *Britannus Petilio Cereali* legato legionis nonæ in ſubſidium adventanti obvius fudit legionem & quod peditum interfecit. *Cerealis* cum equitibus evaſit in caſtra, & munimentis defenſus eſt. Quâ clade & odiis provinciæ, quam avaritiâ in bellum egerat, trepidus procurator *Catus*

in *Galliam* tranſiit. At *Suetonius* mirâ conſtantiâ medios inter hoſtes *Londinum* perrexit, cognomento quidem coloniæ non inſigne, ſed copiâ negotiatorum & commeatuum maximè celebre. Ibi ambiguus an illam ſedem bello deligeret, circumſpectâ infrequentiâ militis, ſatiſque magnis documentis temeritatem *Petilii* coercitam, unius oppidi damno ſervare univerſa ſtatuit. Neque fletu & lacrymis auxilium ejus orantium flexùs eſt, quin daret profectionis ſignum & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis ſexus, aut feſſa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, a *Britannis* oppreſſi ſunt. Eadem clades *Verulamio* fuit, quia *Britanni* omiſſis caſtellis præſidiiſque militarium, quod uberrimum ſpoliant, & defendentibus intutum, læti prædâ, & aliorum inſignes petebant. Ad ſeptuaginta millia civium *Romanorum* & ſociorum (octoginta millia habet *Dion Caſſius*) iis quæ memoravi locis cecidiſſe conſtitit. Neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium, ſed cædes, patibula, ignes, cruces, tanquam reddituri ſupplicium, ac præreptâ interim ultione, feſtinabant. Iam *Suetonio* quarta decima legio cum vexillariis

vexillariis viceſimariis & e proximis auxiliares, decem fermè millia armatorum erant; cùm omittere cunctationem, & congredi acie parat. Deligitque locum arctis faucibus, & a tergo ſylvâ clauſum, ſatis cognito, nihil hoſtium niſi in fronte, & apertam planitiem eſſe ſine metu inſidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, levi circùm armaturâ conglobatus, pro cornibus eques aſtitit. At *Britannorum* copiæ paſſim per catervas & turmas exultabant, quanta non aliàs multitudo & animo adeò fero, ut conjuges quoque teſtes victoriæ ſecum traherent, plauſtriſque imponerent, quæ ſuper extremum ambitum campi poſuerant. *Boadica* curru filias præ ſe vehens, ùt quamque nationem acceſſerat; Solitum quidem *Britannis* fœminarum ductu bellare teſtabatur; ſed tunc non ùt tantis maioribus ortam regnum & opes, verùm ùt unam e vulgo, libertatem amiſſam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulciſci. Eò provectas *Romanorum* cupidines, ut non corpora nec ſenectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adeſſe tamen deos juſtæ vindictæ. Cecidiſſe legionem quæ prelium auſa ſit; cæteros caſtris

caſtris occultari, aut fugam circumſpicere. Ne ſtrepitum quidem & clamorem tot millium nedum impetus & manus perlaturos. Si copias armatorum, ſi cauſas belli ſecum expenderent; vincendum illâ acie, vel cadendum eſſe. Id mulieri deſtinatum; viverent viri, & ſervirent. Talia ubi perorâſſet, ſtans in excelsâ ceſpitum congerie, laxam induta ſtolam, & haſtam manu geſtans, derepentè leporem quem in ſinu occuluerat miſſum facit, quem fauſta ominatum alacres *Britanni* judicarunt. Inde *Andate*, quam ceu Victoriæ Numen coluerunt Inſulani, preces fundens, aliaque quædam ad fortitudinem adhortamenta ſubjiciens, certamini ſe ſuoſque accinxit. Sed nec *Suetonius* quidem in tanto diſcrimine ſilebat, qui quanquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miſcebat; ut ſpernerent ſonores *Britannorum*, & inanes minas. Plus illic fœminarum quàm juventutis aſpici. Imbelles, inermes, ceſſuros ſtatim, ubi ferrum virtutemque vincentium, totiens fuſi agnoviſſent. Etiam in multis legionibus, paucos eſſe qui prælia profligarent. Gloriæ eorum acceſſurum, quòd modicâ manu, univerſi exercitûs famam

Dion.

Tacit. ann. lib. 14.

mam adipiſcerentur. Conferti tantùm, & pilis emiſſis, poſt umbonibus & gladiis ſtragem cædemque continuarent, prædæ immemores. Partâ victoriâ, cuncta ipſis ceſſura. Is ardor verba ducis ſequebatur, ita ſe ad intorquenda pila expediêrat vetus miles & multa præliorum experientia, ut certus eventûs *Suetonius*, daret pugnæ ſignum. Ac primùm legio gradu immota, & anguſtias loci pro munimento retinens, poſtquàm propiùs ſuggreſſus hoſtis certo jactu tela exhauſerat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus; & eques protentis haſtis, perfringit quod obvium & validum erat. Cæteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumjecta vehicula ſepſerant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat. Confixaque telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara & antiquis *Romanorum* victoriis par eâ die laus parta. Quippe ſunt qui paulo minus quàm octoginta millia *Britannorum* cecidiſſe tradant, militum quadringentis fermè interfectis, nec multo ampliùs vulneratis. *Boadica* vitam veneno finivit. Et *Pœnius Poſthumus* præfectus caſtrorum ſecundæ legionis, cognitis quartadecimanorum viceſima-

ceſimanorumque proſperis rebus, quia pari gloriâ legionem ſuam fraudaverat, abnueratque contra ritum militiæ juſſa ducis, ſeipſum gladio tranſegit. Contractus deinde omnis exercitus, ſub pellibus habitus eſt, ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias *Cæſar*, miſſis è *Germaniâ* duorum legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus; quorum adventu, nonani legionario milite ſuppleti ſunt. Cohortes alæque novis *Hybernaculis* locatæ, quodque nationum ambiguum aut adverſum fuerat, igni atque ferro vaſtatur. Sed nihil æquè quàm fames affligebat ſerendis frugibus incurioſos, & omni ætate ad bellum verſâ, dum *Romanorum* commeatus ſibi deſtinant, genteſque præferoces tardiùs ad pacem inclinant; quia *Julius Claſſicianus* ſucceſſor *Catoni* miſſus, *Suetonio* diſcors, bonum *Romanorum* publicum privatis ſimultatibus impediebat. Diſperſeratque, novum legatum opperiendum, ſine hoſtili irâ, & ſuperbiâ victoris clementer deditis conſulturum.

Simul in urbem mandabat, nullum prælio finem expectarent, niſi ſuccederetur *Suetonio*. Cujus adverſa, pravitati

tati ipſius, proſpera ad fortunam reipublicæ referebat. Igitur ad ſpectandum *Britanniæ* ſtatum miſſus eſt ex libertis *Polycletus*, magnâ *Neronis* ſpe, poſſe auctoritate ejus, non modò inter legatum procuratoremque concordiam gigni, ſed & rebelles *Britannorum* animos pace componi. Nec defuit *Polycletus*, quo minùs ingenti agmine *Italiæ Galliæque* gravis, poſtquàm Oceanum tranſmiſerat, militibus quoque *Romanis* terribilis incederet. Sed *Britannis* irriſui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. Mirabanturque, quòd dux, & exercitus (tanti belli confector) ſervitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata. Detentuſque rebus gerundis *Suetonius*, vir cætera egregius, ſed arrogantèr in deditos, & ùt ſuæ quòque injuriæ ultor, duriùs conſulens, quod poſt paucas naves in littore, remigiumque in iis amiſerat, tanquam durante bello tradere exercitum *Petronio Turpiliano*, qui jam conſulatu abierat, utpote exorabiliori, & delictis *Britannorum* novo, eòque pœnitentibus mitiori, jubetur. Ille, compoſitis prioribus, nihil ultrà auſus, non invitato hoſte, neque laceſ-

ſitus honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit.

Cæterum in memorato prælio deſcribendo abit aliquatenùs a *Tacito Dion Caſſius*, partamq; multo difficilius, *Britannis* haud ita inſtrenùe dimicantibus victoriam, eoſque alterius prælii fortunam tentaturos narrat, ni mors *Boadicæ* præpropera interpediiſſet. Et tenuiſſe quidem poſt infelicem pugnam arma pleroſque ipſe fatetur *Tacitus*, quos conſcientia defectionis & proprius ex legato timor agitabat. *Idem in vita Agric.* Fuit *Boadica* juxta *Dionem*, ſaturâ grandi, aſpectu torvo & auſtero, voce aſperâ, comâ flavâ ad coxendices demiſsâ; veſte uſa ſinuatâ diſcolore cum magnâ torquî aureâ, cui ſuperducta erat c nfibulata undique craſſior palla Hanc *Gildas* leænam doloſam nuncupat. *Romæ Nero* hoſtis a Senatu judicatus ſuâ manu oppetiit, qui ût *Suetonius* ſcribit, nullâ augendi propagandive imperii, neque voluntate neque ſpe motus unquam, ex *Britanniâ* exercitum deducere cogitavit; nec niſi verecundiâ, ne parentis gloriæ obtrectare videretur, deſtitit. Ejus ſucceſſor *Galba* a militibus occiditur. Immania deinde per imperium *Romanum* exarſerunt bella inter *Othonem* & *Vitellium*,

interque

interque *Vitellium* & *Veſpaſianum*. Quibus diſcordiis freti animos *Britanni* iterùm ſuſtulere, auctore *Venuſio*, qui ſuper inſitam ferociam, & *Romani* nominis odium, propriis in *Cartiſmanduam* reginam ſtimulis accendebatur. *Cartismandua*, ùt dictum eſt, *Brigantibus* imperitabat, pollens nobilitate; & auxerat potentiam, poſtquam capto per dolum rege *Caractaco*, inſtruxiſſe triumphum *Claudii Cæſaris* videbatur. Inde opes & rerum ſecundarum luxus, mariti contemptio, diſſidia domeſtica ac demum diuturna bella civilia. Illa maleficiis prioribus nondum ſatiata, ſpreto *Venuſio*, armigerum ejus *Velocatum* in matrimonium regnumq; accepit. Concuſſa ſtatim flagitio domus. Pro marito, ſtudia civitatis; pro adultero, libido reginæ, & ſævitia. Igitur *Venuſius*, accitis auxiliis, ſimul ipſorum *Brigantum* defectione, in extremum diſcrimen *Cartismanduam* adduxit. Tum petita a *Romanis* præſidia. Et cohortes alæque eorum, variis præliis; exemere tamen periculo reginam. Regnum *Venuſio*, *Romanis* bellum relictum. Interim *Petronio Turpiliano* in *Britanniâ* ſucceſſerat *Trebellius Maximus*, qui ſegnior & nullis caſtrorum experimentis, comitate laboratum

Tacit. Hiſt. lib. 3.

Idem in vitâ Agric.

quâdum curandi provinciam tenuit. Didicere jam *Britanni* quoque ignoſcere vitiis blandientibus. Et interventus civilium armorum præbuit juſtam ſegnitiæ excuſationem. Sed diſcordiâ laboratum, cum aſſuetus expeditionibus miles otio laſciviret. *Trebellius* fugâ ac latebris vitatâ exercitûs irâ, indecorus atque humilis, precario mox præfuit; velut pacti, milites licentiam, dux ſalutem. Hæc ſeditio ſine ſanguine ſtetit. Nihilominùs per avaritiam ac ſordes contemptus exercitui inviſuſque extitit legatus. Accendebat odium ejus *Roſcius Cælius* legatus viceſimæ legionis olim diſcors, ſed occaſione civilium armorum atrocius proruperant. *Trebellius* ſeditionem & confuſum ordinem diſciplinæ Cælio; ſpoliatas & inopes legiones *Cælius Trebellio* objectabat. Cùm interim fædis legatorum certaminibus, modeſtia exercitûs corrupta, eò diſcordiæ ventum, ut auxiliarium quoque militum convitiis proturbatus, & aggregantibus ſe *Cælio* cohortibus aliſque deſertus *Trebellius* ad *Titellium* perfugerit. Quies provinciæ, quanquam remoto conſulari, manſit. Rexêre legati legionum pares jure, *Cælius* audendo potentior. *Vitellius* e *Britannico* delectu octo

Idem Hiſt. lib. 1.

Idem Hiſt. lib. 2.

octo millia ſibi adjungit, neque tamen *Trebellio* provinciam reddit, ſed in ejus locum *Vectium Bolanum* ſufficit, qui quidem in bello inter *Vitellium & Veſpaſianum*, nunquam ſatis quietâ inſulâ, ambiguus cunctabatur, neque interea *Britanniam* diſciplinâ agitavit; mira itaque militum inertia erga hoſtes, ſimilis petulantia caſtrorum; niſi quòd innocens *Bolanus*, & nullis delictis inviſus charitatem paraverat loco auctoritatis. Sed ubi cum cætero orbe *Veſpaſianus* & *Britanniam* recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta *Britannorum* ſpes; & terrorem ſtatim intulit *Petilius Cerealis*, *Brigantum* civitatem, quæ numeroſiſſima provinciæ totius perhibebatur, aggreſſus. Multa prælia, & aliquando non incruenta; magnamque *Brigantum* partem aut victoriâ amplexus, aut bello. Et cum *Cerealis* quidem alterius ſucceſſoris curam famamque obruiſſet, ſuſtinuit quoque molem *Iulius Frontinus* vir magnus quantum licebat, validamque & pugnacem *Silurum* gentem armis ſubegit; ſuper virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc *Britanniæ* ſtatum, has bellorum vices mediâ æſtate tranſgreſſus *Cnæus Iulius Agricola*

Idem in vi à Agric.

gricola invenit, cùm & milites velùt omiſſâ expeditione ad ſecuritatem & Inſulani ad occaſionem verterentur. Hic ille iampridem ſub *Suetonio Bolano* ac *Cereali*, magnâ virtùtis ac modeſtiæ famâ meruerat. *Geſta* illius in *Britannis* peculiari quem de ejus vitâ accurâtiſſime compoſuit libro, ſic enarrat ipſius gener *Cornelius Tacitus.*

Ordovicum civitas haud multo ante adventum ejus, alam in finibus ſuis agentem, propè univerſam obtriverat; eoque initio erecta provincia, ùt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum aut recentis legati animum opperiri. Tum *Agricola* quanquam tranſacta æſtas, ſparſi per provinciam numeri, præſumpta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum inchoaturo, & pleriſque cuſtodiri ſuſpecta potiùs videbatur, ire obviam discrimini ſtatuit; contractiſque legionum vexillis, & modicâ auxiliorum manu, quia in æquum degredi *Ordovices* non audebant, ipſe ante agmen, quò cæteris par animus ſimili periculo eſſet, erexit aciem, cæſâque prope univerſâ gente, non ignarus inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent fore univerſa; *Monam* inſulam cujus poſſeſſione revocatum

catum *Paulinum* rebellione totiùs *Britanniæ* ſupra memoravi, redigere in poteſtatem animo intendit. Sed ùt in dubiis conſiliis naves deerant, ratio & conſtantia ducis tranſvexit; depoſitis omnibus ſarcinis, lectiſſimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi uſus, quo ſimul ſeque & arma & equos regunt, ita repentè immiſit, ut obſtupefacti hoſtes, qui claſſem, qui naves, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint ſic ad bellum venientibus. Ita petitâ pace, ac deditâ inſula, clarus ac magnus haberi *Agricola*; quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per oſtentationem aut officiorum ambitum tranſigunt, labor & periculum placuiſſet. Nec *Agricola* proſperitate rerum in vanitatem uſus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuiſſe, ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt. Sed ipſâ diſſimulatione famæ famam auxit, æſtimantibus quantâ futuri ſpe tam magna tacuiſſet.

Cæterùm animorum Provinciæ prudens, ſimulque doctus per aliena experimenta, parùm profici armis ſi injuriæ ſequerentur; cauſas bellorum ſtatuit excindere. A ſe ſuiſque orſus, primam

primam domum ſuam coercuit ; quod pleriſque haud minus arduum eſt, quàm provinciam regere ; nihil per libertos ſervoſque publicæ rei ; non ſtudiis privatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites aſcire, ſed optimum quemque fideliſſimum putare ; omnia ſcire, non omnia exequi ; parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare ; nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus eſſe ; officiis & adminiſtrationibus potiùs non peccaturos, quàm damnare cùm peccâſſent. Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo graviùs tolerabantur. Namque per ludibrium aſſidere clauſis horreis, & emere ultrò frumenta, ac vendere pretio cogebantur. Divortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis *Hybernis* in remota & avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucroſum fieret. Hæc primo ſtatim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit ; quæ vel incuriâ vel tolerantiâ priorum, haud minùs quàm bellum timebatur. Sed ubi æſtus advenit contracto exercitu, militum

militum in agmine laudare modeſtiam, disjectos coercere; loca caſtris ipſe capere, æſtuaria ac ſylvas ipſe prætentare; & interim apud hoſtes quietum pati, quò minus ſubitis excurſibus popularetur. Atque ubi ſatis terruerat, parcendo rurſus irritamenta pacis oſtentare. Quibus rebus multæ civitates quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obſidibus iram poſuere, & præſidiis caſtelliſque circumdatæ, tantâ ratione curâque, ut nulla antè *Britanniæ* nova pars illaceſſita tranſierit. Sequens hyems ſaluberrimis conſiliis abſumpta. Namque ut homines diſperſi ac rudes, eòque bello faciles, quieti & otio per voluptates aſſueſcerent; hortari privatim, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus extrüerent, laudando promptos, & caſtigando ſegnes. Ita honoris æmulatio, pro neceſſitate erat. Jam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia *Britannorum* ſtudiis *Gallorum* anteferre, ut qui modò linguam *Romanam* abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam habitus *Romanorum* honor, & frequens toga. Paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas

nitas vocabatur, cum pars ſervitûtis eſſet. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vaſtatis uſq; ad *Taum* (æſtuario nomen eſt) nationibus. Quâ formidine territi hoſtes, quanquam conflictatum ſævis tempeſtatibus exercitum, laceſſere non auſi. Ponendiſque inſuper caſtellis ſpatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum ſapientiùs legiſſe, nullum ab *Agricolâ* poſitum caſtellum aut vi hoſtium expugnatum, aut pactione ac fugâ deſertum. Crebræ eruptiones. Nam adverſus moras obſidionis, annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hyems, & ſibi quiſque præſidio, irritis hoſtibus, eòque deſperantibus, quia ſoliti plerumque damna æſtatis hybernis eventibus penſare, tum æſtate atque hyeme juxta pellebantur. Nec *Agricola* unquam per alios geſta avidus intercepit, ſeu centurio, ſeu præfectus, incorruptum facti teſtem habebat. Apud quoſdam acerbior in conviciis narrabatur, ùt bonis comis, ita adverſùs malos injucundus. Cæterùm ex iracundiâ nihil ſupererat. Secretum & ſilentium ejus non timeres. Honeſtius putabat offendere, quàm odiſſe. Propter hæc, ùt *Dion* ſcribit, *Titus Veſpaſianus*, ſub cujus auſpiciis

auſpiciis & imperio geſta ſunt, decimumquintùm Imperator acclamatus eſt a quo *Agricola* triumphales honores accepit. Quarta æſtas, imperante *Domitiano*, obtinendis quæ percurrerat inſumpta. Ac ſi virtûs exercituum & *Romani* nominis gloria pateretur, inventus in ipſâ *Britanniâ* terminus. Nam *Glotta* & *Bodotria* diverſi maris æſtu per immenſum revecti, anguſto terrarum ſpatio dirimuntur. Quod tum præſidiis firmabatur; atque omnis propior ſinus tenebatur, ſummotis velùt in aliam inſulam hoſtibus. Quinto expeditionum anno nave primâ tranſgreſſus, ignotas ad id tempus gentes crebris ſimul ac proſperis præliis domuit; eamque partem *Britanniæ* quæ *Hiberniam* aſpicit, copiis inſtruxit, in ſpem magis quàm ob formidinem. Siquidem *Hibernia* medio inter *Britanniam* atque *Hiſpaniam* ſita, & *Gallico* quoque mari opportuna, valentiſſimam imperii partem magnis invicem uſibus miſcuerit. Spatium ejus ſi *Britanniæ* comparetur anguſtius, *Mediterranei* maris inſulas ſuperat. Solum cælumque & ingenia cultuſque hominum haud multum a *Britanniâ* differunt. Meliùs aditùs portuſque per commercia & negotiatores cogniti. *Agricola* expulſum

pulſum ſeditione domeſticâ unum ex regulis gentis exceperat. Sæpe ex eo audivit *Tacitus* legione unâ & modicis auxiliis debellari obtinerique *Hiberniam* poſſe. Idque etiam adverſus *Britanniam* profuturum, ſi *Romana* ubique arma, & velut e conſpectu libertas tolleretur. Cæterùm æſtate quâ ſextum officii annum inchoabat, amplas civitates trans *Bodotriam* ſitas, quia motus univerſarum ultrà gentium, & infeſta hoſtili exercitu itinera timebantur, prius claſſe exploravit; quæ ab *Agricolâ* primùm aſſumpta in partem virium, ſequebatur egregiâ ſpecie, cùm ſimul terrâ ſimul mari bellum impelleretur; ac ſæpe iiſdem caſtris pedes equeſque & nauticus miles mixti copiis & lætitiâ, ſua quiſque facta, ſuos caſus attollerent; ac modo ſylvarum & montium profunda, modò tempeſtatum ac fluctuum adverſa, hinc terra & hoſtis, hinc victus Oceanus militari jactantiâ compararentur. *Britannos* quoque, ùt ex captivis audiebatur, viſa claſſis obſtupefaciebat, tanquam aperto maris ſui ſecreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma converſi *Caledoniam* incolentes populi, paratu magno, majore famâ, uti mos eſt de ignotis, oppugnâſſe ultrò, caſtella adorti,

adorti, metum ùt provocantes addiderant; regrediendumque citra *Bodotriam*; & excedendum potiùs, quàm pellerentur, ſpecie prudentium ignavi admonebant. Cum interim cognoſcit, hoſtes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne ſuperante numero, & peritiâ locorum circumiretur, diviſo & ipſe in tres partes exercitu inceſſit. Quod ubi cognitum hoſti, mutato repentè conſilio, univerſi nonam legionem ùt maximè invalidam, nocte aggreſſi inter ſomnum ac trepidationem cæſis vigilibus irrupere. Iamque in ipſis caſtris pugnabant, cùm *Agricola* iter hoſtium ab exploratoribus edoctus, & veſtigiis inſecutus, velociſſimos equitum peditumque aſſultare tergis pugnantium jubet, mox ab univerſis adjici clamorem. Et propinquâ luce fulſere ſigna. Ita ancipiti malo territi *Britanni*; & *Romanis* redit animus, ac ſecuri pro ſalute, de gloriâ certabant. Ultrò quinetiam irrupere. Et fuit atrox in ipſis portarum anguſtiis prælium, donec pulſi hoſtes, utroque exercitu certante, his ut tuliſſe opem, illis ne eguiſſe auxilio viderentur. Quod niſi paludes & ſylvæ fugientes texiſſent, debellatum illâ victoriâ foret. Cujus conſtantia ac fama ferox exercitus, nihil virtuti ſuæ invium;

penetrandam

penetrandam *Celedoniam*, inveniendumque *Britanniæ* terminum continuo præliorum curſu fremebant. Atque illi modò cauti ac ſapientes, prompti poſt eventum ac magniloqui erant. Iniquiſſima hæc bellorum conditio eſt, proſpera omnes ſibi vindicant, adverſa uni imputantur. At *Britanni* non virtute ſed occaſione & arte ducis rati, nihil ex arrogantiâ remittere, quo minus juventutem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, cætibus ac ſacrificiis conſpirationem civitatum ſancirent.

Atq; it irritatis utrinq; animis diſceſſum. Eâdem ætate cohors *Uſipiorum* per *Germanias* conſcripta, in *Britanniam* tranſmiſſa, magnum ac memorabile facinus auſa eſt. Occiſo centurione ac militibus, qui ad tradendam diſciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus aſcendere & uno remigante, ſuſpectis duobus eòque interfectis, nondum vulgato rumore ùt miraculum provehebantur. Mox hàc atq; illa rapti, & cum pleriſq; *Britannorum* ſua defenſantium prælio congreſſi, ac ſæpe victores, aliquando pulſi, eò ad extremum inopiæ venere, ut infirmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos veſcerentur.

Atque

Atq; ita circumvecti *Britanniam*, amiſſis per inſcitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti primùm à *Suevis*, mox à *Friſiis* intercepti ſunt. Ac fuere quos per commercia venumdatos, & in *Romanam* uſque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casûs illuſtravit. Initio æſtatis *Agricola* domeſtico vulnere ictus, anno antè natum filium amiſit. Quem caſum neque ut pleriq; fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rurſus ac mœrorem muliebriter tulit. Et in luctu, bellum inter remedia erat. Igitur præmiſsâ claſſe quæ pluribus locis prædata, magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex *Britannis* fortiſſimos & longâ pace exploratos addiderat, ad Montem *Grampium* pervenit, quem jam hoſtes inſederant. Nam *Britanni* nihil fracti pugnæ prioris eventu, & ultionem aut ſervitium expectantes, tandemq; docti commune periculum concordiâ propulſandum, legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque ſuper triginta millia armatorum aſpiciebantur, & adhuc affluebat omnis juventus, & quibus cruda ac viridis ſenectus, clari bello, ac ſua quiſq; decora geſtantes; cum inter plures duces virtute & genere præſtans, nomine *Galga-*

cus

cus, apud contractam multitudinem prælium poſcentem, in hunc modum locutus fertur.

Quotiens cauſas belli & neceſſitatem noſtram intueor, magnus mihi animus eſt, hodiernum diem conſenſumque veſtrum, initium libertatis totius *Britanniæ* fore. Nam & univerſi ſervitutis expertes, & nullæ ultra terræ, ac ne mare quidem ſecurum imminente nobis claſſe *Romanâ.* Ita pralium atque arma, quæ fortibus honeſta, cadem etiam ignavis tutiſſima ſunt. Priores pugnæ, quibus adverſus *Romanos* variâ fortunâ certatum eſt, ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebabant; quia nobiliſſimi totius *Britanniæ* eòque in ipſis penetralibus ſiti, nec ſervientium littora aſpicientes, oculos quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus *Britanniæ* patet. Atque omne ignotum, pro magnifico eſt. Sed nulla jam ultrà gens, nihil niſi fluctus & ſaxa; & interiores *Romani.* Quorum ſuperbiam fruſtra per obſequium & modeſtiam effugeris. Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuerunt terræ, & mare ſcrutantur; ſi locuples hoſtis eſt, avari; ſi pauper, ambitioſi.

Quos

Quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit. Soli omnium, opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt. Auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium; atque ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit; hi per delectus alibi ſervituti auferuntur. Conjuges ſororeſque etſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hoſpitum polluuntur. Bona fortunaſque in tributum egerunt; in annonam, frumentum. Corpora ipſa ac manus, ſylvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt, atque ultrò à dominis aluntur; *Britannia* ſervitutem ſuam quotidiè emit, quotidiè paſcit. Ac ſicut in familiâ recentiſſimus quiſque ſervorum & conſervis ludibrio eſt; ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos & viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſervemur. Virtus porro ac ferocia ſubditorum, ingrata imperantibus. Et longinquitas ac ſecretum ipſum, quo tutius, eo ſuſpectius, ita ſublatâ ſpe veniæ, tandem ſumite animum tam quibus ſalus, quàm quibus gloria chariſſima eſt. *Brigantes* (rectiùs *Trinobantes*) fæminâ duce,

exurere coloniam, expugnare caſtra; ac niſi felicitas in ſocordiam verterat, exuere jugum potuere; nos integri & indomiti, & libertatem non in præſentia laturi, primo ſtatim congreſſu non oſtendemus quos ſibi viros *Caledonia* ſepoſuerit? An eandem *Romanis* in bello virtutem, quam in pace laſciviam adeſſe creditis? Noſtris illi diſſenſionibus ac diſcordiis clari, vitia hoſtium in gloriam exercitûs ſui vertunt; quem contractum ex diverſiſſimis gentibus, ùt ſecundæ res tenent, ita adverſæ diſſolvent. Niſi ſi *Gallos*, & *Germanos*; & (pudet dictu) *Britannorum* pleroſque dominationi alienæ ſanguinem commodantes, diutius tamen hoſtes quàm ſui vos, fide & affectu teneri putatis; metus & terror eſt, infirma vincula charitatis, quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis ſunt; nullæ *Romanos* conjuges accendunt; nulli parentes fugam exprobraturi ſunt; aut nulla pleriſque patria, aut alia eſt; paucos numeros circum trepidos ignorantia, cælum ipſum ac mare & ſylvas, ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipſâ hoſtium

acie

acie inveniemus noſtras manus. Agnoſcent *Britanni* ſuam cauſam, recordabuntur *Galli* priorem libertatem. Deſerent illos cæteri *Germani*, tanquam nuper *Vſipii* reliquerunt. Nec quidquam ultrà formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ, inter malè parentes & injuſtè imperantes, ægra municipia & diſcordantia. Hic dux, hic exercitus. Ibi tributa & metalla, & cæteræ ſervientium pœnæ; quas in æternum proferre, aut ſtatim ulciſci, in hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem & majores veſtros & poſteros cogitate. Excepere orationem alacres & barbari moris cantu & fremitu clamoribuſque diſſonis. Jamque agmina, & armorum fulgores, audentiſſimi cujuſque procurſu; ſimul inſtruebantur acies. Cùm *Agricola* quanquam lætum & vix monitis coercitum militem adhuc ratus, ita diſſeruit. *Octavus* annus eſt, Commilitones, ex quo virtute & auſpiciis imperii *Romani*, fide atque operâ veſtrâ *Brittanniam* viciſtis. Tot expeditionibus, tot prœliis, ſeu fortitudine adverſus hoſtes, ſeu patientiâ ac labore pœne adverſus ipſam rerum naturam opus fuit; neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egreſſi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem *Britanniæ* non famâ nec rumore, ſed caſtris & armis tene-

mus. Inventa *Britannia*, & ſubacta. Equidem in agmine, cùm vos paludes monteſve & flumina fatigarent, fortiſſimi cujuſque vocem audiebam. Quando dabitur hoſtis, quando acies; Veniunt a latebris ſuis extruſi. Et vota virtuſque in aperto, omniaque prona victoribus, eademque victis adverſa. Nam ùt ſuperâſſe tantum itineris, ſylvas evaſiſſe, tranſiſſe æſtuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculoſiſſima, quæ hodiè proſperrima ſunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia; ſed manus & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, jampridem mihi decretum eſt, neque exercitûs neque ducis terga tuta eſſe. Proinde & honeſta mors turpi vitâ potior, & incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. Nec inglorium fuerit, in ipſo terrarum ac naturæ fine cecidiſſe. Si novæ gentes atque ignota acies conſtitiſſet; aliorum exercituum exemplis vos hortarer. Nunc veſtra decora recenſete, veſtros oculos interrogate.

Ii ſunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggreſſos clamore debellâſtis; ii cæterorum *Britannorum* fugaciſſimi, ideoq; tam diu ſuperſtites. Quomodo ſylvas ſaltuſq; penetrantibus, fortiſſimum quodque animal robore, pavida & inertia

ipſo

ipſo agminis ſono pelluntur, ſic acerrimi *Britannorum* jampridem ceciderunt; reliquus eſt numerus ignavorum, & metuentium. Quos quòd tandem inveniſtis, non reſtiterunt, ſed deprehenſi ſunt noviſſimi, ideò extremo metu corpora defixere in his veſtigiis, in quibus pulchram & ſpectabilem victoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, approbate reipublicæ, nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas rebellandi. Et alloquente adhuc *Agricolâ* militum ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas conſecuta eſt, ſtatimque ad arma diſcurſum. Inſtinctos ruenteſque ita diſpoſuit, ut peditum auxilia quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent; equitum tria millia, cornibus affunderentur. Legiones pro vallo ſtetere, ingens victoriæ decus citra *Romanum* ſanguinem bellanti, & auxilium ſi pellerentur. *Britannorum* acies in ſpeciem ſimul ac terrorem editioribus locis conſtiterant; ita ut primum agmen æquo, cæteri per acclive jugum connexi velùt inſurgerent; media campi covinarius & eques ſtrepitu ac diſcurſu complebat. Tum *Agricola* ſuperante hoſtium multitudine, veritus, ne ſimul in frontem, ſimul & latera ſuorum pugnaretur, diductis ordinibus

dinibus, quanquam porrectior acies futura erat, & arceſſendas plerique legiones admonebant, promptior in ſpem, & firmus adverſis, dimiſſo equo, pedes ante vexilla conſtitit. Ac primo congreſſu eminus certabatur. Simul conſtantiâ, arte *Britanni*, ingentibus gladiis & brevibus cetris, miſſilia *Romanorum* vitare, vel excutere, atque ipſi magnam vim telorum ſuperfundere; donec *Agricola* tres *Batavorum* cohortes ac *Tungrorum* duas cohortatus eſt, ut rem ad mucrones ac manus adducerent. Quod & ipſis vetuſtate militiæ exercitatum, & hoſtibus inhabile parva ſcuta & enormes gladios gerentibus. Nam *Britannorum* gladii ſine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ùt *Batavi* miſcere ictus, ferire umbonibus, ora fadare, & tractis qui in æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cæpere; cæteræ cohortes æmulatione & impetu commiſtæ proximos quoſque cædere. Ac plerique ſemineces aut integri feſtinatione victoriæ relinquebantur. Interim eqitum turmæ fugêre, covinarii peditum ſe prælio miſcuere; & quanquam recentem terrorem intulerant, denſis tamen hoſtium agminibus & inæqualibus locis hærebant; minimèque equeſtris ea pugnæ facies erat, cùm in gradu ſtantes ſimul equorum

quorum corporibus impellerentur. Ac ſæpe vagi currus. Exterriti ſine rectoribus equi, ùt quemque formido tulerat, tranſverſos, aut obvios incurſabant. Et *Britanni* qui adhuc pugnæ expertes ſumma collium inſederant, & paucitatem *Romanorum* vacui ſpernebant, degredi paulatim & circumire terga vincentium cæperant; ni idipſum veritus *Agricola*, quatuor equitum alas ad ſubita belli retentas, venientibus oppoſuiſſet, quantoque ferociùs accurrerant tanto acriùs pulſos in fugam diſiecisſet. Ita conſilium *Britannorum* in ipſos verſum. Tranſvectæque præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, averſam hoſtium aciem invaſere. Tum vero patentibus locis grande & atrox ſpectaculum, ſequi, vulnerare, capere, atque eoſdem oblatis aliis trucidare. Jam hoſtium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum paucioribus terga præſtare, quidam inermes ultro ruere, ac ſe morti offerre. Paſſim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus; & aliquando victis ira virtuſque.

Poſtquam ſylvis appropinquârunt, collecti primos incautorum & locorum ignaros circumveniebant. Quòd ni frequens ubique *Agricola*, validas & expeditas

expeditas cohortes indaginis modo, & ſicuti arctiora erant, partem equitum dimiſſis equis, ſimul rariores ſylvas equitem perſultare juſſiſſet; acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Cæterùm ubi compoſitos firmis ordinibus ſequi rurſus videre, in fugam verſi, non agminibus ùt priùs, nec aliùs alium reſpectantes, rari, & vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere. Finis ſequendi nox & ſatietas fuit. Cæſa *Britannorum* ad decem millia; *Romanorum* trecenti quadraginta cecidere, in quis *Aulus Atticus* præfectus cohortis, juvenili ardore & ferociâ equi hoſtibus illatus. Et nox quidem gaudio prædâque læta victoribus; *Britanni* palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deferere domos, ac per iram ultro incendere; eligere latebras, & ſtatim relinquere, miſcere invicem conſilia aliqua, dein ſperare; aliquando frangi aſpectu pignorum ſuorum, ſæpius concitari. Satisque conſtabat, ſæviſſe quoſdam in conjuges ac liberos, tanquam miſererentur. Proximus dies faciem victoriæ latiùs aperuit. Vaſtum ubique ſilentium, ſecreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem

partem

partem dimiſſis, ubi incerta fugæ veſtigia, neque uſquam conglobari hoſtes compertum, & exactâ jam æſtate ſpargi bellum nequibat; in fines *Horeſtorum* exercitum deducit. Ibi acceptis obſidibus, præfecto claſſis circumvehi *Britanniam* præcepit. Datæ ad id vires, & præceſſerat terror. Ipſe peditem atque equites lento itinere, quò novarum gentium animi ipſâ tranſitûs morâ terrerentur, in hybernis locavit. Et ſimul claſſis ſecundâ tempeſtate ac famâ *Tutulenſem* (rectiùs *Rhutupenſem*) portum tenuit, unde proximo latere *Britanniæ* lecto omni redierat. Hunc rerum curſum quanquam nullâ verborum jactantiâ, epiſtolis *Agricolæ* auctum, ùt *Domitiano* moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum è *Germania* triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur; at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hoſtium cæſis, ingenti famâ celebrari. Id ſibi maximè formidoloſum, privati hominis nomen ſupra Principis attolli; fruſtra ſtudia fori, & civilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam altiùs occuparet; & cætera utcunque facilius

cilius diſſimulari, ducis boni imperatoriam virtutem eſſe. Talibus curis exercitus, quodque ſævæ cogitationis indicium erat, ſecreto ſuo ſatiatus, optimum in præſentia ſtatuit reponere odium, donec impetus famæ & favor exercitûs langueſceret. Nam etiam tum *Agricola Britanniâm* obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta & illuſtris ſtatuæ honorem, & quiquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in Senatu jubet; addique inſuper opinionem, *Syriam* provinciam *Agricolæ* deſtinari, vacuam tum morte *Atilii Ruſi* conſularis, & majoribus reſervatam. Credidere plerique libertum ex ſecretioribus miniſteriis miſſum ad *Agricolam*, codicillos quibus ei *Syria* dabatur tuliſſe, cum præcepto, ut ſi in *Britanniâ* foret, traderentur; eumq; libertum in ipſo freto Oceani obvium *Agricolæ*, ne appellato quidem eo, ad *Domitianum* remeâſſe. Sive verum iſtud, ſive ex ingenio Principis fictum ac compoſitum eſt. Tradiderat interim *Agricola* ſucceſſori ſuo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate & frequentiâ occurrentium introitus eſſet, vitato amicorum officio, noctu in urbem, noctu in *Palatium*, ita ût præceptum erat, venit, exceptuſque

86

exceptuſque brevi oſculo & nullo ſermone, turbæ ſervientium immixtus eſt. Poſteaque, ùt conſtans erat rumor, ab invido ac maligno imperatore, veneno interceptus periit. Idem quoque *Domitianus Saluſtium Lucullum Britanniæ*, poſt *Agricolam*, legatum interemit, quod lanceas novæ formæ appellari *Luculleas* paſſus eſſet. Sed nec ſilentio prætereundum eſt, quòd ſub *Agricolâ* oram *Britannici* maris tunc primum *Romana* claſſis circumvecta, inſulam eſſe *Britanniam* affirmavit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas *Orcadas* vocant, invenit, domuitque. Diſpecta eſt & *Thule*, quam eatenus nix, & hyems abdebat. Quod & *Juvenalis* poeta *Tacito* coætaneus his verſibus confirmat.

Saluſt. Lucull. perit

Tacit. in vitâ Agric.

Juven. ſat. 2.

——*Arma quid ultra*
Littora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas & minimâ contentus nocte Britannos.

Poſt *Agricolæ* diſceſſum *Caledonii* vires animoſque recollegerunt; regemque *Arviragum* in *Romanos* rursùs inſurrexiſſe, ex illis *Fabricii Veientonis Domitiano* adulanti verbis nonnulli colligunt;

Idem. Sat. 4.

Omen

Omen habes, inquit, magni clariquè triumphi,
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno,
Excidet Arviragus.——

Auſon: in Caſaribus.

de ipſo autem *Domitiano*,

—Quem calvum dixit ſua Roma Neronem

ita in eâdem ſatyrâ antea cecinerat poeta;

Cum jam ſemianimem laceraret Flavius *orbem,*
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni.

Unde ad illiuſce imperatoris uſque tempora ſuperſtitem fuiſſe atque etiam claruiſſe heroem hunc *Britannicum* conſtat. Turbatas quoque graviter circa hæc tempora fuiſſe res in *Britanniâ*, *Tacitus* in primi hiſtoriarum libri præfatione, his verbis innuit, [Perdomita *Britannia*, & ſtatim amiſſa.] Circa ultima *Domitiani* tempora deceſſiſſe videtur rex *Arviragus*, cui filius ſucceſſit *Marius*, *Britannis Meurig* dictus. Sub *Trajano*, rebellantes *Britanni*, iterum ſubacti ſunt; quo tempore *Rodericus Pictorum* rex, qui *Veſpaſiano* imperante appulerat, *Caledoniis* ſuppetias tulit, quem à *Mario* rege victum & occiſum fuiſſe *Britannica* prodit hiſtoria. Quanquam

Galfr. lib. 1. Cap. 26.

quam verò, inquit reverendiſſimus *Uſſerius*, in multis, *Britannicæ* hiſtoriæ fidem vacillare haud neſciam; non omnino tamen videtur contemnendum quod de titulo, *Marianæ* victoriæ indice, teſtimonium adjungitur. Nam & ante hiſtoriam illam à *Galfrido* è *Britannico* ſermone verſam, auctor longè gravior, *Guilielmus Malmesburienſis* (in prologo libri tertii de geſtis Pontificum) illius hunc in modum meminit. Eſt in *Lugualliâ* civitate (*Carleolo* vulgo dictâ) triclinium lapideum fornicibus concameratum, quod nullâ unquam tempeſtatum contumeliâ, quinetiam nec appoſitis ex induſtriâ lignis & ſuccenſis, valuit labefactari. *Cumberland* vocatur regio, & *Cumbri* vocantur homines, ſcripturaque legitur in fronte triclinii; *Marii Victoriæ.* Licèt, *Marti Victori*, in nonnullis exemplaribus concipi, accepiſſe ſe notet *Camdenus*; ſed planè contra *Malmesburienſis* mentem; qui ſtatim ſubjicit. Quod quid ſit hæſito; niſi fortè pars *Cimbrorum* olim his locis inſederit, cùm fuiſſent à *Mariô Italiâ* pulſi. De quo *Ranulphus* in *Polychronico.* Hìc fuit *Willelmus Malmesburienſis* deceptus, putans hunc lapidis titulum ad *Marium* Conſulem *Romanum* pertinere

Uſſer. de Brit. Eccl. prim. Cap. 15.

Camd. in Brit.

Polychron. lib. 4. Cap 9.

pertinere; nec mirum; cùm ipſe *Britannicum* librum non legiſſet, ubi de *Mario* rege continetur. In *Veſtmariæ* (ſive *Veſtmorlandiæ*) ſaxeto, quod *Stanmoria*, hoc eſt, ericetum lapidoſum dicitur, commiſſum fuiſſe hoc prælium *Eulogii* Author ſcripſit; qui *Marium Weſtmarium*; & *Rodericum Rothingerum* appellat. Poſt *Saluſtium Lucullum Cnæus Trebellius Britanniam* rexit; & poſt illum, *Julius Severus* ſub *Adriano*; quo ad comprimendos rebellium *Judæorum* motus revocato, cùm *Britanni* teneri ſub *Romanâ* ditione non poterant, *Adrianus* ipſe *Britanniam* petiit in quâ multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum, (inter *Tinæ* & *Eſcæ* fluminum oſtia) primus duxit, qui populos aquilonares *Romanoſque*, divideret, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditùs iactis atque connexis; compoſitiſque in inſulâ rebus *Romam* reverſus, numiſmata cum hâc inſcriptione ſignavit, [Reſtitutor *Britanniæ*.] Inde ſub eodem imperatore, ùt ex aliâ antiquâ inſcriptione liquet, *Britanniæ* legatus fuit *Priſcus Licinus* qui etiam adverſùs *Judæos* militavit. Anno centeſimo viceſimo quinto defunctus eſt *Marius* rex *Britannicus*, cui ſucceſſit filius *Coelus*.

Dion

Ælius Spart. in vitâ Adriani.

122

lus. Sub *Antonino Pio* a quo toti *Romano* orbi data civitas, *Brigantes* inito cum gentibus *Borealibus* fœdere, *Genuniam* graſſando incurſârunt; (quam rectiùs *Genuthiam* ſcribi debere, eandemque eſſe provinciam, quæ *Cambrobritannis Guinethia*, *Anglis Vallia Septentrionalis* dicitur, *Camdenus* cenſet.) Sed imperator eos per *Lollium Urbicum* legatum vicit, & *Brigantes* amplâ territorii parte multavit, aliumque murum (ſcilicèt alium ab eo quem *Adrianus* prius duxerat,) ceſpititium, ſubmotis *Caledoniis* inter *Glottæ* & *Bodotriæ* æſtuaria poſuit, quod anguſtum terrarum ſpatium anteà præſidiis firmârat *Agricola*. Hoc quoque tempore, *Seius Saturninus* claſſis *Britannicæ* fuit archigubernus. Commoventes ſe iterùm *Britannos*, miſſus ab *Antonino Philoſopho Calpurnius Agricola* legatus pari felicitate compeſcuit. Anno centeſimo ſexageſimo quinto *Coelus* ubi annos quadraginta regnâſſet moritur, relicto filio *Lucio*, qui *Lhes Britannis* ſuis appellatur, cognomine *Lever Maur*, hoc eſt, Splendor magnus, quòd regum primus fidem *Chriſtianam* amplexus eſt, quæ tamen in iſthâc inſulâ iam pridem a permultis ſuſcepta fuerat.

125 *Pauſan. in Arcad. in Jul. Capitol. in vitâ Anton. Pii.*

144

Digeſt. l. 39.

162

165

Inter ſummum *Tiberii* imperatoris tempus,

pus,& *Romanorum* cladem a *Suetonio Paulino* vindicatam, *Britanniæ*, Deo Optimo Maximo clementèr indulgente, Religio *Chriſtiana* invecta eſt; Ut *Gildas* ſcriptor probatiſſimus, illud temporis intervallum percurrens, his verbis teſtatur. Interea glaciali frigore rigenti inſulæ, & velut longiore terrarum ſeceſſu ſoli viſibili non proximæ, vetus ille non de firmamento ſolùm temporali, ſed de ſummâ etiam cælorum arce tempora cuncta excedente, univerſo orbi præfulgidum ſui coruſcum oſtendens, tempore (ùt ſcimus) ſummo *Tiberii Cæſaris*, quo abſque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminatâ ſenatu nolente a Principe morte delatoribus militum ejuſdem) radios ſuos primùm indulget (id eſt) ſua præcepta *Chriſtus*. Quæ licet ab incolis tepidè ſuſcepta ſunt, apud quoſdam tamen integrè, & alios minùs, uſque ad Perſecutionem *Diocletiani* tyrani novennem; in quâ ſubverſæ per totum mundum ſunt eccleſiæ, & cunctæ *Sacræ Scripturæ*, quæ inveniri potuerunt in plateis exuſtæ,& electi ſacerdotes gregis domini cum innocentibus ovibus trucidati; ita ut ne veſtigium, (ſi fieri potuiſſet in nonnullis provinciæ locis *Chriſtianæ* religionis appareret, permanſere

Gild. in Epiſt.

manſere. Quod iſthìc de *Cæſare* mortem accuſatoribus *Chriſtianorum* commi- *Tertull. apol. Cap. 5. & Euſeb. in Chron.*
nante narratur, *Tertullianus* etiam & *Euſebius* ante *Gildam* prodidere, illud inſuper adjicientes, detuliſſe cum ad Senatum cum prærogativâ ſuffragii ſui, de *Chriſti* cultu inter cætera ſacra recipiendo, ſed id, patribus abnuentibus, fruſtra fuiſſe. Idem *Euſebius* libro tertio *Evangelicæ Demonſtrationis* diſertè affirmat, Ipſorum Apoſtolorum aliquos ὡσεῤ τὸν ὠκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους trans oceanum acceſſiſſe ad inſulas quæ *Britannicæ* vocantur. Et *Tertull. lib. adv. Jud. cap. 7. Theodor.* *Tertullianus*, *Britannorum* inacceſſa *Romanis* loca *Chriſto* ſubdita, memorat. Interque converſas ab Apoſtolis ipſis nationes, expreſsè *Eritannos* recitat *Theodoretus*. Sanctum *Jacobum* majorem *Flavius* Dexter, & *Hugo* epiſcopus quidam *Portugallenſis* ex *Caledonio* ſive *Caldonio Bracarenſi*; ejus parentes *Zebedæum* & *Salomen Helecas Cæſarauguſtanus*; *Simonem Zeloten* (qui a *Canâ Galilææ Canaita* dictus eſt) *Dorotheus Tyrius*, *Nicephorus Calliſtus* & *Græcorum Menologia*; *Barnabam Thomas Dempſterus*, *Simonem Petrum Symeon Metaphraſtes* citato etiam in teſtem *Euſebio*; *Paulum* gentium doctorem *Venantius Fortunatus*

Ἕλλην. παθημ. θεραπευτ. *Hugo in epiſt. ad Maur archiep. Bracar. Dempſt. hiſt. eccl. Scot. lib 2. num. 159.*

in libro tertio de vitâ *Martini*, & *Sophronius* patriarcha *Hieroſolymitanus* (in ſermone de natali apoſtolorum) ſi *Magdeburgenſibus Centuriatoribus* credimus; & *Ariſtobulum Barnabæ* fratrem, cujus in epiſtolâ ad *Romanos* meminit divus *Paulus*, (quem cum *Zebedæo* larvati illi Compares *Dexter* & *Helecas* temere confundunt,) *Dorotheus* & *Græcorum Menologia*; in *Britanniâ* fuiſſe & prædicâſſe affirmant. *Philippum* Apoſtolum *Gallis* prædicâſſe *Chriſtum*, barbaraſque gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad ſcientiæ lucem, fideique portum deduxiſſe *Iſidorus*, *Freculphus*, aliique docent. Ab eo duodecim diſcipuli quorum præcipuus fuit nobilis ille decurio *Joſephus Arimathæenſis* anno ſexageſimo tertio in *Britanniam* miſſi dicuntur; quem *Joſephum* (unà cum *Lazaro*, *Mariâ Magdalenâ*, *Martha*, *Marcella*, *Maximino* (ſive *Maximo*) *Chelidonio* plurimiſque aliis,) a *Judæis Hieroſolymitanis* in exilium pulſum, *Maſſyliam* applicuiſſe, ſeque *Philippo* adjunxiſſe ferunt. Venientes igitur iſthùc prædicti diſcipuli ad diſſeminandum Vitæ Verbum ſe protinus accinxerunt. Rex autem barbarus, inquit *Malmeſburienſis*, cum ſuâ gente, tam nova audiens & inconſueta

Cent. Magd. Centur. I. lib. 2. chap 2.

Rom. 16. 10.

Guil. Malm. in Antiq. Glaſton.

conſueta, omnino prædicationi eorum conſentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat; quia tamen iter longius ſuſceperant, vitæque eorum exigebat modeſtia, quandam inſulam ſylvis, rubis atque paludibus circundatam, ab incolis *Tniſwitrin* nuncupatam, in lateribus ſuæ regionis ad habitandum conceſſit. Poſtea etiam alii duo reges Pagani ſucceſſivè compertâ vitæ eorum ſanctimoniâ, unicuique eorum unam portionem terræ conceſſerunt. Tres hi pagani reges, non alii quàm *Arviragus*, *Marius* & *Coelus* fuiſſe communiter cenſentur; qui *Romanorum* permiſſu aliquid in his etiam partibus juris habuiſſe poterant, quanquam in *Brigantibus* ſita videantur potiſſima illorum dominia. In hâc terrâ *Tniſwitrin* (quæ etiam *Avalonia* & *Glaſtonia* dicta eſt) *Joſephus* & ſocii eccleſiolam anno proximo extruxerunt, inferiùs per circuitum virgis torquatis muros perficientes, quam Beatæ *Mariæ Virgini* nuncupârunt, ibidemque Deo devota exhibentes obſequia, vigiliis, jejuniis & orationibus vacare aſſueverunt. Illic igitur degentes, effluentibus multis annorum curriculis carnis ergaſtulo ſunt educti; idemque locus cœpit eſſe ferarum latibulum, qui

priùs fuerat habitatio ſanctorum. In eâdem capellâ ſepultos eos eſſe tradit magna *Glaſtonienſium* tabula, his verbis: Ibi requieſcunt duodecim diſcipuli, quorum primas & cuſtos fuit *Joſeph* ab *Arimathæâ*, qui Dominum ſepelivit. Multi ex paganis per eos ad fidem *Chriſti* converſi ac baptizati ibidemrequieſcunt, quorum propter eorum multitudinem, non eſt numerus. Iſthæc igitur eccleſia *Britannicarum* omnium prima & antiquiſſima ſemper habita, ac proinde Mater Sanctorum nominata eſt. *Aulus Pudens* ejuſque uxor *Claudia Ruſina* fœmina *Britannica*, *Martiali* poetæ celebrati, illi ipſi eſſe exiſtimantur, quorum divus *Paulus* in fine poſterioris ad *Timotheum* epiſtolæ meminit; *Linumque* eodem loco memoratum, primum eccleſiæ *Romanæ* epiſcopum, eorum extitiſſe filium innuit *Clemens* libro ſeptimo *Conſtitutionem Apoſtolicarum*, capite quadrageſimo ſeptimo. In *Hartmanni Schedelii* Chronico inter eos qui ſub *Trajano* floruerunt recenſentur *Taurinus* epiſcopus *Eboracenſis*, & *Eutropius* epiſcopus *Cantu*, quos ideo *Britanniæ* primates fuiſſe quidam autumârunt. Verùm *Taurinum* non *Eboracenſium*

Tum.4.21.

racenſium in *Britanniâ* ſed *Ebroicenſium in Galliâ* epiſcopum fuiſſe, tabulæ *Ebroicenſes*, Martyrologium *Romanum*, plurimique authores docent. *Cantu* autem pro Santu perperàm exarari, *Eutrophiumque* illum *Santunicæ* ſive *Santonicæ* in *Galliâ* urbis epiſcopum eſſe, cujus (præter alios) *Gregorius Turonenſis* meminit pro comperto eſt. *Pudenti* prædictò, filios, ſanctos *Timotheum* & *Novatum*; atque ex aliâ uxore *Sabinellâ* filias ſanctas *Potentianam* (ſive *Pudentianam*) & *Praxedem*, tribuunt *Petrus Equilinus* & martyrologium *Romanum*. *Timotheus* ſub *Antonino Pio*, Martyrio coronatus dicitur. Hic *Lucium* regio *Britannorum* ſanguine prognatum doctrinâ *Chriſtianâ* imbuit; qui circiter annum centeſimum octavum, præſidente Eccleſiæ *Romanæ Evariſto*, ut ex *Nennio* colligitur, baptizatus, tam principatu quàm omni mundi cultu relicto, *Gallias* prædicandæ veritatis cauſâ primùm petiit; inde tranſmiſſo *Rheno* in ſuperiorem *Germaniam* conceſſit ut *Chriſtum Germanis* concionaretur; Converſiſque ad Fidem *Bavarorum* ac *Rhætorum* compluribus, epiſcopus urbis & eccleſiæ *Curienſis* effectus, tandem è ſpeluncâ

Greg. Tur. de gloriâ martyr. lib. 1. Cap. 36.

ſpeluncâ quâ ſe occuluerat ad *Martis* caſtrum ſive arcem *Martiolam* perductus, circa annum centeſimum ſexageſimum quintum, *Antonino* Philoſopho imperante trucidatus eſt. Ejus quoque ſoror *Emerita Trimontii* prope *Curiam* cæſa eſt. Hunc *Lucium* tametſi nonnulli eundem cum *Lucio* rege *Coeli* filio extitiſſe ſomniarent; *Achilles Gaſſarus* in *Auguſtanæ* urbis deſcriptione, diverſum fuiſſe rectè pronuntiavit. A *Britanniæ* illo rege, qui circiter annum Domini centeſimum nonageſimum floruit & patriâ nequaquam exiens piè apud ſuos obdormivit.

Munſt. Coſmogr. lib. 3. Pag. 603.

Rex ille glorioſus *Lucius Coeli* filius *Britannorum* rex, auditis *Chriſti* & Apoſtolorum miraculis, viſiſque fortaſſe literis *Marci Aurelii Antonini* graviſſimi imperatoris, quibus exercitûs ſui in bello *Germanico* ſitim, *Chriſtianorum* militum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur; turbatis inſuper nimbo, grandine, fulmine hoſtibus; unde legio illa fulminatrix dicta eſt; (quocirca imperator ſicut palam a *Chriſtianis* pœnam dimovit, ita alio modo palam diſperſit, adjectâ etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore;

Tertull. Apol. adverſ. Gent. Euſeb. Oroſ.

tetriore ;) motus ; ad *Eleutherium* (ſive *Eleutherum*) qui pontificatui *Romanæ* Eccleſiæ tunc temporis præfuit, epiſtolam miſit, obſecrans. ut per ejus mandatum *Chriſtianus* efficeretur. Et mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamque fidem *Britanni* uſque ad tempora *Diocletiani* Principis inviolatam integramque, ùt ante dictum eſt, quietâ pace ſervabant. De tempore converſionis hujus *Lucii* mira eſt inter ſcriptores diſcordia, ita ut diſcrepantes hâc de re viginti tres eorum ſententias exhibeat Reverendiſſimus *Uſſerius*, ſed *Marianus Scotus* (& ejus ſectator *Florentius Vigornienſis*) ùt ùt in applicatione annorum Domini ad annos Imperatorum ab *Euſebio*, *Bedâ* & aliis omnibus diſcedat ; initium tamen *Eleutheri* cum *Euſebio* in Chronico, ad decimum ſextum *Marci*, (decimum quintum habent vulgati codices, contra fidem *M. S. S. Mariani* exemplarium,) legationem *Lucii*, cum *Bedâ*, ad initium *Eleutheri* ; & horum utrumque non malè retulit ad conſulatum *Pollionis* & *Apri*, qui in annum centeſimum ſeptuageſimum ſextum, quo *Commodus* a patre factus eſt imperii conſors

Beda Hiſt. Lib. 1. cap. 4. & in 1 pitome.

Uſſer. in primord. cap. 3.

176

ſors, incidit. Receptis *Lucii* literis, Papam gratias agentem, præ gaudio ceciniſſe canticum angelicum, Gloria in Excelſis Deo, ſcribunt *Radulphus* de *Baldoc Londinenſis* epiſcopus, & *Gisburnenſis* Chronici author. Legati regis *Elvanus* & *Meduinus*, ùt libellus antiquus de primo ſtatu *Landavenſis* eccleſiæ, & in vitâ *Dubricii Joannes Tinmuthenſis* & *Capgravius* narrant, *Romæ* baptizantur; ordinatique *Elvanus* in Epiſcopum, *Meduinus* in Doctorem, propter eloquentiam & ſcientiam, quam in Sacris habebant Scripturis, prædicatores ad *Lucium* in *Britanniam* reverſi ſunt.

Liber Landav. Joan. Tinm. & Capgr. in vitâ Dubr.

Cum illis unà mittuntur duo viri ſanctiſſimi *Fuganus* & *Duvianus Cambrobritannis Dwywan* dictus, quorum nomina apud ſcriptores miſerè torquentur ac variantur. Prior enim, *Fugatius*, *Fagatius*, *Fagaunus*, *Foganus*, *Fuganus*, *Euganus*, *Figinus*, & *Phaganus* vocatur; alter verò, *Damianus*, *Dumianus*, *Dumanus*, *Dunanus*, *Dunianus*, *Dimianus*, *Dimanus*, *Dinnamus*, *Diwanus*, *Divianus*, *Diviniauus*, *Derwianus*, & *Donatianus*. Igitur in *Britanniâ* plurimi ab his ad amplexandam fidem cum ipſo rege perducti

ducti ſunt. Eccleſiam Sancti *Petri* in colle frumentario, (vulgò *Cornhill*) *Londini* fundâſſe perhibetur *Lucius*, adjuvantibus *Theono* primo ejuſdem urbis epiſcopo, & *Cirano* archipincernâ regio. Primus *Eboraci* epiſcopus conſtituitur *Faganus*. Epiſcopatus quoque *Legionenſis*, *Vintonienſis*, *Landavenſis*, *Congarsburienſis*, *Gloceſtrenſis* aliique fundati circa hoc temporis feruntur.

Hactenus, qui ſub *Lucii* regimine degebant priſcis ſuis legibus uſi ſunt *Britanni*, quas ubi minûs rex probaret, ab *Eleuthero*, per *Faganum* ac *Duvianum*, anno ut videtur centeſimo ſeptuageſimo nono *Romam* proficiſcentes, petiit, ut Leges *Romanas* & *Cæſaris*, integras atque illibatas ipſi tranſmitteret; qui cum Pontificem de iis quæ acta fuerant certiorem feciſſent, cum compluribus aliis comitibus inde denuò reverſi, miſſas ab eo ad *Lucium* has ſecum literas retulerunt.

Petiſtis a nobis leges *Romanas* & *Cæſaris* vobis tranſmitti, quibus in regno *Britanniæ* uti voluiſtis. Leges *Romanas* & *Cæſaris* ſemper reprobare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſce- 179

piſtis enim nuper miſeratione divinâ in regno *Britanniæ* legem & fidem *Chriſti*. Habetis penès vos in regno utramque paginam; ex illis Dei gratiâ per conſilium regni veſtri ſume legem, & per illam Dei patientiâ veſtrum rege *Britanniæ* regnum. *Vicarius* verò Dei eſtis in regno. Juxta prophetam regem; Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo. Et rursùm juxta prophetam regem; Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et rurſum juxta prophetam regem; Deus judicium tuum &c. Non enim dixit, judicium neque juſtitiam *Cæſaris*. Filii enim regis gentes *Chriſtianæ* & populi regni ſunt, qui ſub veſtrâ protectione & pace in regno degunt & conſiſtunt juxta Evangelium, Quemadmodum gallina congregat pullos ſub alis. Gentes verò regni *Britanniæ* & populi veſtri ſunt; quos diviſos debetis in unum ad concordiam & pacem & ad fidem & ad legem *Chriſti* & ad ſanctam Eccleſiam congregare, revocare, fovere, manu tenere, protegere, regere, & ab injuriis

Pſalm. 24. 1.

Pſalm. 45. 7

Mat. 23 37.

injurioſis & malitioſis & ab inimicis ſemper defendere. Væ regno cujus rex puer eſt, & cujus principes manè comedunt. Non voco regem [puerum] propter parvam & minimam ætatem; ſed propter ſtultitiam & iniquitatem & inſanitatem. Juxta prophetam regem, Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, &c. Per comeſtionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia & perverſa & mala. Iuxta *Solomonem* regem, In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Rex dicitur a regendo, non a regno. Rex eris dum bene regis; quod niſi feceris, nomen regis non in te conſtabit, & nomen regis perdes. Quod abſit. Det vobis omnipotens Deus regnum *Britanniæ* ſic regere, ut poſſitis cum eo regnare in æternum, cujus *Vicarius* eſtis in regno prædicto.

Eccles. 10. 16.

Pſal. 55. 23.

Hoc ſcilicet anno, *Commodo* nimirùm & *Veſpronio* conſulibus, datas fuiſſe has literas ſcribit *Guilielmus Harriſonus*, & eum ſecutus *Guilielmus Camdenus*. Licèt *Fagani* ac *Duviani* profectionem ad annum centeſimum octogeſimum quartum

Harris. deſcrip. Britan. lib 1. *chap.* 9.

tum *Rogerius Wendoverius*; ad annum ab illo alterum uterque *Matthæus Pariſienſis* utique & *Veſtmonaſterienſis*, hiſtoriæque *Roſſenſis* collector referant. Interim non eſt diſſimulandum, hanc epiſtolam nonnullis haud aſpernandæ eruditionis ac famæ viris, minimè ſeculum *Eleutherianum* ſapere videri. Anno converſionis ſuæ quinto 180 juxta majus *Thomæ Rudburni* Chronicon, qui fuit annus Domini centeſimus octogeſimus, *Vintonienſis* Eccleſiæ ſtructura a *Lucio* perfecta fuiſſe dicitur, *Fagano* & *Duviano* eandem dedicantibus, & *Monachis* in eâ ſecundum Sancti *Marci* ſive *Ægyptiorum* regulam vitam aſceticam profeſſis Abbatem quendam nomine *Devotum* præficientibus.

Circa hæc etiam tempora, *Bangoriæ* in agro *Flintenſi*, celebre illud monaſterium; & *Veſtmonaſterii* (deſtructo *Apollinis* templo) Sancti *Petri*; *Doveriæ*, Beatæ *Mariæ*; & in urbe *Cantuaricenſi*, *Chriſti* Salvatoris, atque illa altera, quæ poſtea ſancti *Martini* dicta eſt, eccleſiæ fundatæ ſunt. *Faganus* & *Duvianus* antedicti prædicando ac baptizando *Britanniæ* partes peragrantes, in inſulam *Avaloniæ* (ſive *Glaſtoniæ*) ſunt

Guil. Malm. in Glaſt. antiq.

ſunt ingreſſi, annosque ibi novem commorati vetuſtam ſanctæ *Mariæ* eccleſiam reſtaurârunt; indeque diſcedentes, duodecim è ſociis ſuis in memoriam duodecim Sancti *Philippi* diſcipulorum ibi reliquerunt, qui in diverſis præfatæ inſulæ locis ſicùt anachoretæ ibidem manſerunt, in eiſdem videlicet locis, quibus primi duodecim primitùs habitaverant. His igitur atque ipſorum ſucceſſoribus terras a tribus regibus paganis antea donatus, a *Lucio* confirmandas iidem *Faganus* & *Duvianus* curârunt. Mortuo *Theono Londinenſi* epiſcopo ſuffectus eſt *Elvanus* prædictus, qui bibliothecam juxta eccleſiam ſancti *Petri* cathedralem condidiſſe, multoſque *Druidas Chriſto* lucrifeciſſe fertur. *Theodoſium* quendam a *Lucio* conſtitutum *Eboraci* epiſcopum ſcribit *Guilielmus Harriſonus*, qui mortuo inter hæc *Fagano* ſucceſſiſſe videatur. Ipſe Lucius, cùm, ùt *Matthæus Pariſienſis*, ac *Veſtmonaſterienſis* & Hiſtoriæ *Roffenſis* concinnator tradunt, poſſeſſiones & territoria eccleſiis & viris eccleſiaſticis abundanter contuliſſet; chartiſque omnia communîſſet; Eccleſias verò cum ſuis cæmeteriis ita liberas

Harr. deſcrip. Britan. lib 1. Cap. 7.

liberas eſſe conſtituiſſet, ut quicunque malefactor ad illa confugeret illa ſus ab omnibus remaneret; atque a *Fagano* & *Duviano*, (quibus *Marcellum* ſive *Marcellinum Trevirorum* & *Tungrorum* epiſcopum adjiciunt *Antonius Monchiacenus Democharis* & *Petrus Cratepolius*,) baptizatus fuiſſet; tandem ubi quadraginta tres annos, juxta Genealogicon de geſtis *Anglorum*, regnâſſet; anno ducenteſimo octavo, ùt ex antiquioribus ſcriptoribus refert *Hollinſhedus*; placidè defunctus eſt. Nam ùt cum aliis duodecim tantùm annos ejus adminiſtrationi tribuamu, rerum ſub eo geſtarum copia non patitur, nedum annos cum aliis ſeptuaginta ſeptem aſſignare poſſumus, niſi patris, avi, proavique regimina decurtare nimiùm velimus. Neque eſt quod miremur, illis temporibus in *Romanâ* provinciâ regi *Britannico* locum eſſe potuiſſe, quod ab aliquibus tamen, totam hujuſce regis hiſtoriam convellere molientibus, factum videmus. Nam (præterquam quòd imperante *Marco* arma in *Romanos* ſumpſerint *Britanni*, contra quos miſſus eſt *Calpurnius Agricola*,) imperatores provincialibus compluribus

Demochar. de miſſâ. tom. 2. cap. 37. Cratep. in Trev. archiep. Catalog.

bus reges ſuos concedare ſolebant. Hinc eſt quòd ſub *Romanis* in *Paleſtinâ Agrippam*, in *Ciliciâ Tarcondemum*, in *Cappadociâ Archelaum*, in *Ponto Polemonem*, in *Mauritaniâ Jubam*, alioſque alibi regnantes legimus. Cùm & hoc ipſo tempore *Lucium Verum* imperatorem in Oriente confecto bello *Parthico*, regna regibus, provincias vero comitibus ſuis regendas dediſſe docet *Capitolinus*: *Romanis* inſtrumenta ſervitutis habere reges etiamnum geſtientibus; unde *Lucium Pium*, *Coeli* filium unicum *Romanorum* fautorem, *Cæſaris Marci Antonini Veri*, tum benevolentiâ tum authoritate, *Britannis*, (ſcilicet alicui *Britannorum* parti,) poſt patrem imperâſſe non malè ſcripſerit *Baleus*.

Julius capit. in Vero

Bal. Cent. 1. Script. Britan. cap. 29.

Nec hoc pratereundum eſt, inquit *Uſſerius*, repertos eſſe in *Angliâ* duos antiquiſſimos nummos, (argenteum unum quem habuit *M. Joſephus Hollandus*, aureum alterum quem inter Domini *Roberti Cottoni* cimelia vidimus,) *Chriſtiani* regis, ut, ex ſigno crucis appoſito colligitur, imagine & literis obſcurioribus quæ *LVC* denotare

Uſſer. in primord. cap. 3.

denotare videbantur, inſignitos. Sepultus eſt *Lucius Gloceſtriæ*, in quâ diem ſupremum obiit, in eccleſiâ primæ ſedis, hoc eſt cathedrali, ùt in *Galfrido* & magnâ *Vintonienſis* eccleſiæ tabulâ videre eſt; cujus eximiæ pietati jure acceptum refert *Britannia*, quòd provinciarum prima, uti notant *Sabellicus*, *Polydorus Virgilius*, *Georgius Lilius* & *Reginaldus Polus* cardinalis, publicitus *Chriſti* nomen receperit.

Sabel. Ennead 7. lib 5. Polyd. Angl hiſtor. lib 2. Lilii Chron. Polus in orat. ad Phil. & Mar. anno 1555.

Imperante *Commodo*, exortum eſt in *Britanniâ* bellum omnium longè maximùm; quamobrem cùm *Britanni* eſſent eum murum tranſgreſſi, qui inter ipſos & *Romanorum* caſtra intercedit, vaſtâſſentque multa duce *Romano*, & militibus quos ſecum habebat cæſis, *Commodus* timore perterritus, contra eos *Ulpium Marcellum* miſit. Is erat homo modeſtus & frugi; nam quod ad cibum cæteraque pertinet, vivebat more cæterorum militum, eratque fortis ac magnanimus, quoties bella gereret. Pecuniâ certè non corrumpebatur, minime tamen lenis aut facilis erat. Dux fuit omnium vigilantiſſimus; cumque

Dion lib. 72.

cumque vellet cæteros qui cum ipſo erant vigilantes eſſe, duodecim tabulas, quales ex tiliâ fieri ſolent, quotidie perſcribebat veſperi, mandabatque uni ex ſuis, ut alias aliis, atque aliis horis perferret ad diverſos milites, quo imperatorem ſuum vigilare ſemper rati, ipſi minùs dormirent. Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura, tamen quò magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Nam ut ne pane repleretur, eum *Româ* ad ſe jubebat exportari, ne paulo plus, quàm eſſet neceſſe, poſſet propter vetuſtatem comedere. Igitur. *Marcellus* tali ingenio prædítus, maximis atque graviſſimis damnis *Britannos* affecit. 183
Quo facto quanquam parum abfuit, quin virtutis ipſius ergo *Commodus* eum necaret, tamen ipſum dimiſit. Poſt *Marcelli* diſceſſum, petulantia ſtatim in caſtra irrupit, laxataque eſt exercitûs *Britannici* diſciplina militaris, *Commodique* imperium recuſare auſi ſunt milites atque imperatorem contra eum deligere voluerunt. *Perennis* quoque qui *Romæ* omnia apud Principem poterat, militibus bel-

Ælius. Lampr. in Com.

lo *Britannico* equeſtris loci viros
186 præfecit, amotis ſenatoribus; proditâ verò re per legatos exercitûs, hoſtis appellatus, laceranduſque militibus eſt deductus.

Julius Capitol. in Pert. Occiſo *Perenni Commodus Helvium Pertinacem*, (qui bello *Parthico* induſtriâ ſuâ promeritus, in *Britanniam* antea tranſlatus fuerat ac aliquandiu retentus) per literas petiit, ut ad inſulam proficiſceretur. Qui eò profectus milites ab omni ſeditione deterruit, quum illi quemcunque imperatorem potius quàm *Commodum* vellent habere, & ipſum ſpecialiter *Pertinacem*. Tunc ille malevolentiæ notam ſubiit; quòd dictus eſt inſimulâſſe apud *Commodum* affectati imperii *Antiſtium Burrhum*, & *Arrium Antoninum*. Et ſeditiones quidem contrâ ipſe compeſcuit in *Britanniâ*; verùm ingens periculum adiit ſeditione legionis penè occiſus, certè inter occiſos relictus. Quam quidem rem idem *Pertinax* acerrimè vindicavit. Denique, poſtea veniam legationis petiit, dicens ſibi ob defenſam diſciplinam infeſtas eſſe legiones. Accepto ſucceſſore, alimentorum

mentorum ei cura mandatur, deinde Proconſul *Africæ* factus eſt.

Poſt *Pertinacem Clodius Albinus Britanniam* rexit. Egerat ille Tribunus equites *Dalmatas*; egerat & legionem quartanorum & primanorum. *Julius Capitol. in Clod. Albin.* *Bithynicos* exercitus eo tempore quo *Avidius Caſſius* rebellabat, fideliter tenuerat. Deinde per *Commodum* ad *Galliam* tranſlatus; in quâ fuſis *Friſiis* tranſrhenanis, celebre nomen ſuum & apud *Romanos* & apud barbaros fecerat. Quibus rebùs accenſus *Commodus*, *Cæſarianum* ei nomen obtulit & dandi ſtipendii facultatem, & pallii coccinei utendi. Literæ *Commodi* ita ſe habent.

Imperator *Commodus Clodio Albino.* Aliàs ad te publicè de ſucceſſore atque honore tuo miſi ſed hanc familiarem & domeſticam. omnem ùt vides manu meâ ſcriptam epiſtolam dirigo; quâ tibi do facultatem ut, ſi neceſſitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi *Cæſareum* nomen aſſumas. Audio enim & *Septimium Severum* & *Nonium Murcum* male de me apud milites loqui; ut ſibi parent ſtationis *Auguſtæ* procurationem. Habebis præterea,

præterea, quum id feceris, dandi ſtipendii uſque ad tres aureos liberam poteſtatem. Quin & ſuper hoc ad procuratores meos literas miſi quas ipſe ſignatas excipies ſigno *Amazoniæ*, & quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant quum de ærario volueris imperare. Sanè ut tibi inſigne aliquod imperialis Majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente, & ad me, & quum mecum fueris; habiturus & purpuram ſed ſine auro; quia ita & proavus meus *Verus*; qui puer vitâ functus eſt, ab *Adriano*, qui eum adoptavit, accepit.

His literis acceptis a *Nonio* quodam, facere id quod jubebat, noluit *Albinus*, timens, odioſum *Commodum* propter mores ſuos, quibus rempublicam perdiderat & ſe dedecoraverat, quandocunque feriendum; ne ipſe pariter occideretur. Igitur rebus his omnibus ille prudenter abſtinuit, dicens, *Commodum* quærere, qui aut cum eo perirent, aut quos cum causâ ipſe poſſet occidere. Quæſturæ gratia illi facta eſt; quâ conceſſâ *Ædilis* non amplius quàm decem diebus

diebus fuit, quòd ad exercitum feſtinanter mitteretur. Deinde præturam egit ſub *Commodo* famoſiſſimam. Nam ejuſdem ludis *Commodus* & in foro & in theatro pugnas exhibuiſſe perhibetur. Quum jam *Britannicos* exercitus regerit juſſu *Commodi*, atque illum interemptum adhuc falſò comperiſſet, quum ſibi ab ipſo utì dictum eſt, *Commodo Cæſarianum* nomen eſſet delatum, proceſſit ad milites & hâc concione uſus eſt.

Si ſenatus *P. R.* Suum illud vetu haberet imperium, nec in unius poteſtate res tanta conſiſteret, non ad *Vitellios*, neque ad *Nerones*, neque ad *Domitianos* publica fata veniſſent. In imperio conſulari noſtræ illæ gentes *Ceroniorum*, *Albinorum* & *Poſthumianorum* manſiſſent; de quibus patres veſtri, qui & ipſi ab avis ſuis audierant, multa didicerunt. Et certè *Africam Romano* imperio ſenatus adjunxit; *Galliam* Senatus ſubegit, & *Hiſpanias*; orientalibus populis Senatus dedit leges. *Parthos* tentavit Senatus; & ſubegiſſet, niſi tam avarum Principem *Romano* exercitui fortuna reipublicæ tunc dediſſet. *Britannias*

tannias Cæſar ~~ſubegit~~, certè ſenator nondum tamen dictator. Hic ipſe *Commodus* quanto melior fuiſſet ſi timuiſſet Senatum? Et uſque ad *Neronem* quidem Senatûs auctoritas valuit; qui ſordidum & impurum principem damnare non timuit, quum ſententiæ in eum dictæ ſunt qui vitæ neciſque poteſtatem atqùe imperium tunc tenebat. Quare, commilitones, ego *Ceſareum* nomen, quod mihi *Commodus* detulit nolo; dii faxint ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, provincias dividat; Senatus nos conſules faciat; & quid dico, enatus; vos ipſi, & patres veſtri: eritis enim ipſi ſenatores. Hæc concio, vivo adhuc *Commodo Romam* delata eſt; quæ illum in *Albinum* exaſperavit; ſtatimque ſucceſſorem miſit *Junium Severum* unum ex contubernalibus ſuis. At imperatore mox a ſuis occiſo, provinciam exercitumque retinuit *Albinus*. Senatuique tantum placuit, ut miris acclamationibus abſentem eum ornaret, & vivo *Commodo* & deinceps interempto; ita ut nonnulli etiam *Pertinaci* qui ſucceſſerat auctores fuerint ut eum ſibi ſocium adſciſceret.

adſciſceret. Apud *Julianum* de occidendo *Pertinace* ipſius auctoritas plurimum valuit. Ut autem hoc verum intelligatur, epiſtolam *Commodi* ad præfectos prætores ſuos datam inſerui; quâ de occidendo *Albino* ſignificavit ſuam mentem.

Aurelius Commodus Severus præfectis ſalutem. Audîſſe vos credo primùm fictum eſſe quòd ego meorum conſilio interfectus eſſem; deinde concionem *Clodii Albini* apud milites meos habitam, qui ſe multum ſenatui commendat, idque quantum videmus non fruſtra. Nam qui Principem unum in republicà negat eſſe debere, quique aſſerit a ſenatu oportere totam rempublicam regi, is per ſenatum ſibi petit imperium. Cavete igitur diligentiſſimè; jam enim hominem ſcitis, vobis militibus, populoque vitandum. Has literas quum *Pertinax* inveniſſet, in *Albini* odium publicavit. Quare *Albinus* occidendi *Pertinacis* *Juliano* auctor fuit. Deinde uno eodemque tempore *Julianus* a ſenatu *Romæ*, *Septimius everus* ab exercitu in *Illyrico*, *Peſcennius Niger* in oriente, *Clodius Albinus* in *Galliâ*, imperatores appellati

193 appellati ſunt. Ex his, *Severus*, cùm
Spart. in vitâ Nigri *Julianum* peremiſſet, adversùs *Nigrum* expeditionem parat quanquam, ùt ipſe in vitâ ſuâ prodidiſſe dicitur, priuſquam filii ſui id ætatis haberent ut imperare poſſent; ægrotans, id in animo habuit, ut, ſiquid fortè ſibi
Idem in vitâ Severi accidiſſet, *Niger Peſcennius* eidem & *Clodius Albinus* ſuccederent; nihilominus eos ipſos pertimeſcens de quibus rectè judicabat, *Fulvium Plautianum* ad occupandos *Nigri* liberos miſit, & *Heraclitum* ad obtinendam *Britanniam* ùt in vitâ *Severi* ſcribit *Spartianus*, aut *Bithyniam*, ùt idem in vitâ *Nigri* ſcribit quod verius videtur; Neque enim probabile erat *Albinum* qui *Junio Severo* non ceſſerat,
Herod. lib. 2. *Heraclito* ceſſurum fore. Cæterùm *Severus*, (ut *Herodianus* ſcriptor *Græcus* ab *Angelo Politiano* latinè redditus narrat,) providus homo ac ſobrius, nonnullâ ſuſpicione tenebatur de *Britannicis* exercitibus, maximis videlicet, pugnaciſſimiſque quibus præerat univerſis prædictus *Albinus* ſenatorii patriciique generis vir, ſummis opibus ac deliciis innutritus. Hunc ſibi igitur aſtu ratus ajungendum,

dum, ne ſcilicet divitiis, genere, exercitibus, famâque nominis, magnis ad concupiſcendum imperium facibus inſtinctus ſummam ſibi rerum poſceret, *Romamque* haud procul a *Britanniâ* diſtantem, ſe bellis orientalibus implicito occuparet; ſtatuit eum ſpecie quâdam honoris in ſcare, levem alioqui & ſimplicem, tunc verò etiam juſſanti per literas credentem. Quare eum *Cæſarem* appellans ſpem cupiditatemque hominis anticipat, poteſtate participandâ. Mittit item plenas humanitatis literas, obſecrans ut ipſe potiſſimùm curam ſuſcipiat imperii. Opus eſſe viro aliquo nobili & ætatis integræ, qualis ille foret. Se jam ſenem morboque articulari affectum, natos adhuc infantes. Quibus creditis *Albinus* honorem libenter ſuſcepit, lætus, citra pugnam aut diſcrimen ullum, compotem ſe voti factum. Et *Severus* quo omnia credibiliora forent, iiſdem illis ad Senatum relatis, nummiſque imagine ejus percuti juſſis, ſtatuiſque erectis, ſimul aliis collatis honoribus, fidem gratiæ ſuæ fecit. Itaque *Albinus Cæſaris* dignitate contentus, delatâ ab

exercitu *Gallicano* Imperatoris appellatione abſtinuit, atque hanc ad milites habuit concionem.

Invitum me, commilitones, ductum ad imperium, etiam illud probat, quòd *Commodum* donantem me *Cæſariano* nomine contempſi, ſed & veſtræ voluntati & *Severi Auguſti* parendum eſt; quia credo ſub homine optimo & viro forti poſſe bene rempublicam regi; nec negari poteſt. Atqui *Severus*, victo & extincto *Nigro*, filiis jam majuſculis ſtudens iiſque imperium ſervare cupiens, cogitare cæpit quo pacto id potiſſimùm efficere poſſet. Reliquus adhuc erat *Albinus* quem ſibi parùm ex ſententiâ parumque uſui fore arbitrabatur. Vulgato rumore jam nimis illum impotenter nimiſque moleſtè nomen *Cæſaris* uſurpare, præterea multos eſſe e primoribus Senatûs qui ad eum clam darent literas hortantes ad reditum abſente adhuc occupatoque *Severo*. Quippe nobilitas omnis *Albinum* malebat Imperatorem, ortum illuſtri genere, & bonis moribus præditum.

Julius Capitol. in Clod. Alb.

Herod. lib. 3.

Quibus rebus cognitis, *Severus*, minimè utique apertis inimicitiis ac manifeſto

manifeſto bello agendum putans, nullâ exiſtente cauſâ quæ ſaltem ſpecie honeſta videri poſſet, decrevit eum dolo inſidiiſque tentare. Quare tabellarios aliquot ex iis qui literas imperatorias perferunt, fidiſſimos ſibi homines, cum literis mandatiſque ad eum mittit, præmonitos utì redditis publicè epiſtolis quædam habere ſe dicerent, quæ apud illum remotis arbitris loquerentur. Quare ùt primùm ſeorſum a cuſtodibus nacti eum forent, facto impetu obtruncarent. Quin venena quoque dedit quibus eum, ſi poſſent, per aliquem ab epulis, aut a cyatho aggrederentur. Erat autem illius amicis ſuſpecta *Severi* fides. Itaque cavendum identidem admonebant hominem perfidioſum, plenum fraudis & inſidiarum. Nam vulgo etiam parum conſtanti fide habebatur, impulſis *Nigri* ducibus, per ipſorum filios (quos *Romam* primitùs ingreſſus, a *Commodo* ibi pro more ſuo retentos, invenerat comprehenderatque,) ad res illius prodendas, dein poſtquam eorum operâ abuſus eſt, ſuaque omnia ex ſententia compoſuerat, ipſis liberiſque enecatis. Igitur

inſidum

inſidum ſubdolumque ingenium res ipſæ declarabant, obque id majore ſe cuſtodiâ *Albinus* circummunierat. Neque enim temerè quiſquam a *Severo* miſſus ad illum introducebatur, niſi priùs depoſito militari gladio, ſinuque excuſſo. Poſtquam igitur a *Severo* tabellarii ad eum pervenerant redditiſque publicè literis habere ſe dixerunt quædam ſecretiùs renuntianda; indulgens ſuſpicionibus *Albinus*, comprehendi illico jubet. Dein exploratâ re, inſidiiſque ordine intellectis, ubi noxios ſupplicio affecit, jam ipſe ſe, ùt adverſus manifeſtiſſimum hoſtem comparabat. Etiam nomen *Auguſti* ac Imperatoris ſumpſit, & in *Britanniis* imperare cæpit.

Quibus cognitis *Severus* homo iracundo ingenio, non jam celandas ſibi inimicitias putavit, habitâque acri in *Albinum* ad milites concione, effecit, ut confeſtim exercitus univerſus eum declararet hoſtem; exceptoque fauſtis acclamationibus ipſo, nihil non alacritatis & ſtudii clamoribus oſtenderent. Ille igitur, magis ſpe additâ ſuccenſus, ampliſſimo donativo milites proſecutus, ſtatim univerſos

verſos contra *Albinum* educit; Ipſe iter faciebat ſine intermiſſione, neque feſtos dies neque labores ullos magnopere curans, algoris atque æſtûs juxtà patiens, ſæpe etiam per altiſſimos montes hyeme ſævâ, nivibus cælo ingruentibus, ibat aperto capite, ut milites ad alacritatem, patientiamque laborum re ipsâ cohortaretur. Quocirca non metu quodam ac lege, ſed æmulatione magis atque exemplo Principis ad perferenda omnia incitabantur. Miſit etiam qui anguſtias occuparent *Alpium*, atque aditus *Italiæ* obſiderent. Enimverò poſtquam nuntiatum *Albino* eſt, nihil cunctari *Severum*, ſed adeſſe jam; ſupinus hactenus ac delicias agitans magno tum metu perculſus, ſtatim è *Britanniâ* tranſmittens, in adverſo *Galliæ* littore caſtra collocavit; literiſque ad vicinarum gentium præſides miſſis, pecunias commeatumque exercitibus juvandis conrogabat. Qui igitur dicto audientes fuerunt, peſſimè illud in ſe conſuluerunt, nullo non ſupplicio dein poſt bellum affecti. Qui verò imperium detrectaverunt, cùm quidem feliciùs quam prudentiùs id egiſſent, evaſere

evaſere incolumes eventu ac fortunâ rerum utraque conſilia diſcernentibus.

Sed ubi jam in *Galliam Severi* copiæ pervenerunt, leves quædam primò pugnæ, quaſique velîtares fuerunt; pulſique *Severi* duces juxta *Capitolinum* donec poſtremò apud *Lugdunum*, magnam urbem atque opulentam, prælium in manibus fuit. Nam cùm ſe mænibus tenuiſſet *Albinus*, exercitus emiſit in pugnam. Ut verò ad manus ventum, diu quidem utrinque decertatum eſt æquis viribus ſic ut ambigua victoriæ fortuna penderet. Neque enim *Britanni* vel animi magnitudine, vel aviditate cœdis, *Illyricis* conceſſerint. Ita conflictu primo valentiſſimorum exercituum neutram in partem acies inclinabat. Atque ùt nonnulli prodiderunt ejus ætatis authores, qui non ad gratiam ſed ad fidem loquebantur, longè potior fuit *Albini* acies, quâ in parte *Severus* curabat, ſic ut fugerit quoque & abequo deciderit, abjectoque paludamento delituerit. Quo quidem equi caſu ingens periculum adiit, ùt in ejus vitâ refert *Spartianus*, ita ut mortuus

tuus ictu plumbeæ crederetur; ita ut alius jam pæne Imperator ab exercitu deligeretur.

Sed, inſequentibus jam vitulantibusque *Britannis* ceu plane victoribus apparuit extemplò *Lætus Severi* dux cum recenti adhuc exercitu. Quippe male audiit quaſi eventum pugnæ expectaverit, cunctatus de induſtriâ retento milite, ut ſibimet imperium vindicaret; ſiquidem non prius in pugnam protulit pedem, quàm ubi *Severus* cecidiſſe nuntiatus eſt. Quam ſuſpicionem deinde eventus approbavit. Quippe rebus omnibus ex ſententiâ mox compoſitis, atque in maximâ ſecuritate agitans *Severus*, cùm quidem cæteros belli duces magnis affeciſſet præmiis, *Lætum* ipſum tamen (ùt par fuit) memor proditionis morte mulctavit. Sed iſta quidem pòſt fuere. Tunc autem conſpecto (ùt diximus) *Læto*, ſpes addita *Severianis* eſt; ac ſublatus in equum *Severus*, & paludamento circundatus; feliciſſimè, ut narrat *Spartianus*, pugnavit apud *Tinurtium*, non procul a *Lugduno*. At *Albiniani* jam ſe victores rati, confuſis ordinibus, incitante ſe in eos de improviſo

proviſo validâ recentique hoſtium manu, cùm paulum primo reſtitiſſent, terga demùm verterunt. Fuſos igitur fugatoſque eos perſecuti *Severiani*, magnâ edita ſtrage, ad urbem ipſam pervenerunt. Occiſorum utrinque aut captivorum numerus, variè prout viſum ejus ætatis ſcriptoribus proditur. Diripitur mox incenditurque *Lugdunum*, fugienſque inde *Albinus*, (in ædem quandam ad *Rhodanum*, ubi eam ſenſit undique ſeptam eſſe *Severi* cuſtodiâ,) ùt multi dicunt, ſe ipſe percuſſit; ùt alii, a ſervo ſuo percuſſus, ſemivivus ad *Severum* deductus eſt. Unde confirmatum eſt augurium quod fuerat antè prædictum *Severo*, venturum quidem in poteſtatem ejus *Albinum* ſed nec vivum nec mortuum. Multi præterea dicunt a militibus percuſſum, cujus nece a *Severo* gratiam requirebant. Jacuiſſe ante prætorium *Severi*, *Albini* corpus per dies plurimos dicitur uſque ad fætorem, laniatumque a canibus in profluentem abjectum eſſe. Caput verò abſciſſum *Romam* præmiſit *Victor* patibuloque juſſit publicè præfigi. Hunc finem

Julius Capitol. in Albino.

Herod. lib. 3.

nem vitæ habuit *Clodius albinus*, brevi ſane lætatus funeſto honore. Terram deinde (quam unus hactenus rexerat legatus) in duas præfecturas diſpertiit *Severus*; alterâ in Superiore ſive meridionali, alterâ in Inferiore ſive ſeptentrionali *Britanniâ* collocatâ. Rebuſque tam *Gallicis* quàm *Britannicis* ex ſententiâ ordinatis ad Urbem properavit. *Herod. lib. 3.*

At aquilonares *Britanni* quietis impatientes, iterùm *Romanos*, *Fulgentio* duce auſi ſunt laceſſere. Erat ille, juxta *Hectorem Boetium* vir nobilis, veteri *Britiannorum* regum prognatus ſanguine, juxta *Fordonum* in *Scotichronico* conſul ſive dux *Britonum Albanenſium*, juxta *Galfridum* prioris *Scveri* uxoris (ſcilicet *Marciæ*) frater; & *Mæatarum* ſanè princeps fuiſſe videtur. Hic in *Scythiam Germanicam* ſive *Seandiam* transfretans, ingentes ibi *Pictorum* auxiliarium copias conduxiſſe fertur, quorum ope, adiuvantibus præterea contra pacta conventa *Caledoniis* eò virium *Lupum Romanum* præſidem redigit, ut magnâ pecuniâ pacem redimere neceſſum haberet, paucis quibuſdam captivis receptis. *Boet. lib. 5.* *Galfr. lib 2. cap. 2.* *Dion & Eclogæ Theodos.*

tis. Quam cùm haud integrâ fide *Britanni* obſervarent ad Imperatorem poſt proſperè confecta in Oriente bella jam reverſum literas miſit *Lupus*, quibus eum fecit certiorem, Lolies agitare ſeditiones, regionemque omnem incurſionibus ac depopulationibus vaſtare; quare majore manu ad reſiſtendum, vel etiam Principis ipſius præſentiâ opus eſſe. Latus ea *Severus* accepit. Quippe homo ſuâpte naturâ gloriæ appetentior, poſt victorias ad Orientem Septentrionemque, & cognomina utrinque parta, etiam trophæa contra *Britannos* excitare aliqua cupiebat. Adhæc, filios quoque abducere ex urbe, ut procul a deliciis urbanis, in caſtris militari vitæ, ac ſobriæ juvenes inſueſcerent.

Herod. lib. 3.

Ita expeditionem in *Britanniam* edicit ſenex jam, & morbo articulari laborans; tantâ autem animi virtute, quantâ nemo unquam vel juvenum. Igitur anno ducenteſimo octavo (quo *Lucium* regem obiiſſe memoravimus) iter ingreſſus, lecticâ plurimum vehebatur nulloque ceſſabat loco. Quare confecto itinere, ſpeque omni ac ſermone celerius enavigato Oceano,

208.

ritanniam

Britanniam ingreſſus eſt; collectiſque militibus, ac maximis conflatis viribus, bellum comparabat. Cæterùm *Britanni* repentino Principis adventu perculſi, auditoque tantas contra ſe parari copias, legatos ad eum de pace ac ſeipſos expurgatum miſerunt. At *Severus* moras de induſtriâ nectens, ne vacuo ſibi *Romam* adeundum foret, cupidus victoriæ cognominiſque *Britannici*, legatos quidem re infectâ domum dimittit; ipſe quæ bello uſui forent, magnâ ſolertiâ comparabat.

Sed imprimis tamen curæ habuit pontibus occupare paludes, ut ſtare in tuto milites poſſent, atque in ſolido præliari. Siquidem *Britanniæ* pleraque loca eo tempore frequentius Oceani adluvionibus paludeſcebant. Per eas igitur paludes *Britanni* ipſi natabant, excurſabantque ad ilia uſque demerſi, ac pleraque corporis nudi cœnum contemnebant. Igitur *Severus* nihil non comparabat, quod uſui *Romano* militi, quod detrimento *Britannis* impedimentoque foret. Ubi verò ſatis ex ſententiâ prompta ſibi eſſe ac parata omnia intellexit, juniorem

iorem filium *Getam* nomine in parte inſulæ *Romanis* ſubjectâ reliquit, ut juridicundo rebuſque civilibus adminiſtrandis præeſſet, eique conſiliarios ex amicis natu grandibus adhibuit; quos inter *Æmylius Papinianus* juris ac legum verè oraculum clariſſimè præminuit, *Eboracique* prætorium ac tribunal exercuit. Ea quippe urbis tunc temporis omnium *Britannicarum* primaria extitit, imperatorio utique Palatio decorata, ex quâ *Severus* & *Baſſianus* conſulti de jure, *Cæciliæ* reſcripſerunt De rei *Vindicatione*, & a *Spartiano* per eminentiam appellatur Civitas. Illic etiam *Legio* ſexta ſtativa habuit. Filium Majorem *Baſſianum* adverſus *Britannos* ſecum eduxit pater. Tranſgreſſo igitur *Romano* exercitu omnes, aggereſque eos qui objecti *Britannis Romanorum* fines diſtinarunt, pugnæ quædam tumultuariæ fiebant, & excurſiones, victore ubique *Romano*. Cæterum facilis erat ex fuga receptus *Britannis*; inter ſylvas ac paludes, & loca ipſis notiſſima deliteſcentibus. Quæ omnia *Romanis* adverſa moram bello addebant.

Nec

Nec tamen ille deſtitit, quouſque ad extremam inſulæ partem penetraſſet, atque hoſtes ad fœdus ea conditione faciendum coegiſſet, ut non exigua regionis parte cederent. Quanquam in illa expeditione quinquaginta militum ſuorum millia repentinis *Britannorum* aſſultibus inſidiiſque ac morbis abſumpta amiſiſſet. Durante hoc fœdere, accidit, ut *Julia Auguſta* (licet & ipſa adulteriis famoſa,) Argetocoxi principis *Caledonii* uxorem perſtringeret, quod impudenter cum maribus verſaretur; cui illa, nos *Britannæ*, inquit, *multo melius explemus ea, quæ neceſsitas naturæ poſtulat, quam vos Romanæ; nam aperte cum optimis viris conſuetudinem habemus, vos autem peſsimi Homines occulte conſtuprant.* At Imperator quo tutiorem redderet Provinciam *Romanam*, eam (quod maximum ejus Imperii decus eſſe cenſet Spartianus) muro per tranſverſam inſulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit; (unde etiam *Britannici* nomen accepit;) Hunc crebris quoque turribus ornatum & foſſa vallatum alii ſcribunt. Eodem loco, quo prior ille *Adriani*, poſitus videtur hic *Severi* murus inter Tinæ & Eſcæ oſtia, quippe quem lingua ſua, *Guall Sever* & *Mur Sever*, hoc eſt *Severi Vallum* ſive *Murum*, *Spart. in Sev.* 210

ſemper vocare ſoliti ſunt *Britanni*. Murum iſtum aut vallum (nam idem denotant duæ illæ voces) triginta duorum milliarium ſpatio definit *Aurelius* Victor; ad centum triginta duo milliaria extendunt alii. At primo tum Victorem tum alios, Lxxxii. millia paſſuum ſcripſiſſe conjicit *Uſſerius Armachanus*; ac deinde librariorum vitio, numeri quinquagenarii illam notam in quibuſdam codicibus penitus omiſſam, in aliis cum nota centenarii (quod facile fieri potuit) fuiſſe commutatam; qui milliarium octoginta duorum numerus cum loci ſitu apprime quadrat. Jamque Mæatis ac *Caledoniis* violata pace deficientibus, Severus, quem longior ſenio confectum invaſerat morbus, *Baſſianum* mittit in bellum, ad obeundâ imperatoris munia, rebelles populos abſque ullo ſexus diſcrimine funditus delere juſſum. In hoc bello *Fulgentius* lethali accepto vulnere paulo poſt tempore occubuit, reliqui poſt ingentem ſuorum ſtragem in extremum inſulæ angulum compulſi; nec ſolum impræſentiarum ſubactæ quodammodo gentes fuerant quæ *Britanniæ* videbantur infeſtæ, ſed in perpetuam ſervitutem redigi poſſe aut etiam (uti juſſerat Severus) extirpari, videbantur, niſi *Baſſianus* haud magnopere de hoſtibus ſollicitus

Uſſer. in add. & emend. ad primord.

Galfr. lib. 2. cap. 2.

Dion. Spart. in ſev.

Herod. lib. 3.

licitus, exercitum ſibi adjungere, & confirmare univerſos ſategiſſet, uti ſe unum intuetentur; ſoli ſibi imperium vindicans ac fratri identidem obtrectans. Quin longior quoque Patris valetudo, ac mortis mora diuturnior anxium videlicet juvenem habebat. Sic ut medicis, miniſtriſque ſubinde conaretur perſuadere, ut ſenem e medio quam primum quoquo modo tollerent. Donec tandem *Severus Maro* magis quam morbo conſumptus, vitaque defunctus eſt *Eboraci*. Ultima ejus verba dicuntur hæc fuiſſe. Turbatam rempublicam ubique accepi; pacatam etiam *Britannis* relinquo; ſenex & pedibus æger firmum imperium *Antoninis* meis relinquens, ſi boni erunt; imbecillum, ſi mali. Nam filios jampridem *Antonines* appellari juſſerat. Signa mortis ejus hæc recenſet *Spartianus*. Poſt murum, apud vallum, (ut vulgo legitur!, vel, [vallum] ut illam vocula emendat *Salmaſius*,) miſſum in *Britannia*, quum ad proximam manſionem rediret, non ſolum victor, ſed etiam in æternum pace (uti putabatur) fundata, volvens animo quid ominis ſibi occurreret, *Æthiops* quidam e numero militari, claræ inter ſcurras famæ, & celebratorum ſemper jocorum, cum corona e cupreſſu facta eidem occurrit. 211 *Spart. in Sev.*

Quem quum ille iratus removeri ab oculis præcepiſſet, & coloris ejus tactus omine & coronæ dixiſſe ille dicitur joci cauſa, totum ſuiſti, totum viciſti, jam Deus eſto victor. Et, in civitatem (ſcilicet *Eboracum* veniens), quum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonæ Templum ductus eſt errore aruſpicis ruſtici; deinde hoſtiæ furvæ ſunt applicitæ. Quod quum eſſet aſpernatus, atque in palatium ſe recepiſſet, negligentia miniſtrorum nigræ hoſtiæ uſque ad limen Domus Palatinæ Imperatorem ſecutæ ſunt. Præclarum hoc magnanimitatis ejus ſpecimen idem ſcriptor recitat. Quum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, ejuſque filium *Baſsianum* qui una erat, *Auguſtum* feciſſent, tolli ſe atque in Tribunal ferri juſſit; adeſſe deinde omnes Tribunos, centuriones, duces & cohortes, quibus auctoribus id acciderat; fiſti deinde filium qui *Auguſti* nomen acceperat. Quumque animadverti in omnes auctores facti, præter filium juberet, rogareturque veniam ab omnibus, ante Tribunal proſtratis, caput manu contingens ait, Tandem ſentitis caput imperare, non pedes. Cumque præfecti ejus, viri graves volpiſſent, ut & hunc *Baſsianum* occideret, qui patri quondam inter agmina

agmina militum pugnanti, inſidioſe manu propria mortem intentare non eſſet reveritus; id fieri noluit imperator patriis indulgens affectibus. Hujus dictum eſt quum eum ex humili per literarum & militiæ officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxiſſet, omnia, inquit, fui & nihil expedit. Reliquit duos filios *Baſſianum* quem ex priore conjuge *Marcia* ſuſceperat, & *Getam* quem de *Julia* genuerat. Igitur *Baſsianus* mortuo *Severo*, ſummam poteſtatem nactus, ſtatim duces exercitus magnis muneribus ac promiſſis adhortabatur, perſuaderent militibus, uti ſe unum Imperatorem declararent, nullaſque non machinas adverſus fratrem intendebat. Neque id tamen perſuadere militibus potuit. Quippe memores, utrumque a *Severo* jam inde a pueritia pari honore cultuque educatum; etiam ipſi parem utrinque obedientiam, benevolentiamque exhibebant. Itaque *Baſsianus* cognito parum ſibi rem apud exercitum procedere, icto cum *Britannis* fœdere, dataque pace, & obſidibus acceptis, decedenſque illinc ad *Juliam* novercam ac *Getam* fratrem feſtinat. Congreſſos reducere in gratiam conata eſt Julia, adnitentibus honeſtiſſimis quibuſque *Severi* amicis & conſiliariis. Igitur ille cum nemo ſcilicet non ejus libidini *Herod. lib.* 3.

dini refrageretur, vi potius quam voluntate, ad concordiæ, amoriſque ſimulationem adducitur. Ita ambo pari honore imperium gerentes, ſolverunt ex *Britannia* (relicto illic viro Lupo) *Romamque* cum patris reliquiis contendebant. Nam corpore ignibus tradito, (in loco qui ad hunc uſque diem *Severi collis*, Anglice *Severs hill* dicitur, prope *Eboracum*) cinerem ipſum cum odoribus in vaſculum alabaſtri conjectum *Romam* referebant, ut videlicet in ſacris principum monimentis componeretur. Ipſi exercitum deportantes, victores *Britannorum*, in adverſam *Galliam* emenſo Oceano pervenerunt, atque inde Urbem repetierunt. Sed erumpentibus gliſcentibuſque rurſum odiis, *Baſſianus* irrupto *Getæ* cubiculo, ipſum nihil tale expectantem ſupra *Juliæ* matris pectus multo undantem ſanguine ſævus obtruncavit, conciliatoque largitionis & ſtipendii enormitate militum favore, vulgata cæde ſolus ſalutatur Imperator, *Geta* hoſte appellato. Parricidio deinde inceſtum adjicit ducta in uxorem noverca, quam & ipſam paulo antea, quia cæſi filio illacrimaſſet, occidere in animo habuit. Tandem poſt varia atque immania flagitia, inter Carras & Edeſſam, in *Meſopotamia* iter faciens, inſidiis a *Macrino* poſitis,

Idem. lib. 4.

poſitis, qui poſt eum invaſit imperium, anno ducenteſimo decimo ſeptimo interemptus eſt. 217

Quæ de *Carauſio Baſsianum* illum vincente ac interficiente *Galfridus* fabulatur, haud digna ſunt quæ refellantur, cum necdum genitus eſſet *Carauſius*, cujus ne quidem nomen ante *Diocletiani* imperium, omnino apud ullos probatæ fidei ſcriptores occurrit. *Galfr. lib. 2. cap. 2.*

Interea milites in *Britannia* ſtativa ſibi extruxerunt & advecto omnis generis commeatu probe communierunt in illa inſulæ parte extra murum quam pulſis gentibus borealibus obtinuerat *Severus*, quæ brevi poſtea iis in hæreditatem ceſſerunt. Nam cum *Alexander Severus* Imperio potiretur, ſola quæ de hoſtibus capta erant, limitaneis ducibus & militibus (tam in hac inſula quam alibi) donavit, ita, ut eorum ita eſſent, ſi hæredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos ſi etiam ſua rura defenderent. *Ælius Lampr. in Alex. Severo.*

Princeps iſte optimus *Germanis* bellum inferens in *Gallia* juxta *Rhenum* in ſuburbiali *Mogontiaci* vicolo cui *Sicila* nomen eſt, militum ſuorum conjuratione in papylione oppreſſus periit. Imperante *Gordiano* Proprætor in *Britannia* fuit *Nonius Philippus*, ut ex antiqua aræ ejuſdem Imperatoris honori olim in

Bri-

Brigantibus poſitæ inſcriptione liquet; quo etiam tempore poſitus videtur in eadem regione arcus ſic inſcriptus, *Jo. M.* ob honorem uxoris *Gordiani*. Ea erat *Furia Sabina Tranquilla*, ejuſque nomen eidem arcui inſcriptum reperiebatur. Conſtituta etiam fuit ibidem pyramis octogona cum hac inſcriptione, ob honorem *Philippi* Imperatoris nobiliſſimi ſemper *Auguſti*, & *Philippi Cæſaris Nobiliſſimi*. *Julius Philippus Arabs* hic fuit, qui proxime poſt *Gordianum* imperavit. Ex illo tyrannorum, imperante *Galieno*, emergentium examine, *Galliam Britanniamque* occuparunt ſucceſſive, *Poſthumus*, *Lollianus*, *Victorinus*, *Marius* & *Tetricus*; quo tempore floruit Sanctus *Mello Britannus*, (*Mallonus*, *Melanius* & *Meloninus* aliis nuncupatus,) qui *Valeriani* Imperatoris tempore *Romam* veniens ut Patriæ ſuæ tributum ſolveret, atque *Cæſari* ſerviret, a *Stephano* primo Pontifice ad fidem Chriſtianam converſus, baptizatus, ac clericus & gradatim ſacerdos ordinatus & *Rothomagenſis* Epiſcopus Anno Ducenteſimo Quinquageſimo ſexto conſecratus, Eccleſiam illam diutiſſime adminiſtravit, & *Diocleſiani* perſecutioni ſuperſtes, *Melchiadis Romani* Pontificis tempore feliciter obdormivit.

Vincent. Spect. Hiſt. lib. 11. cap. 74.

256

Orderic. Vital. hiſt. lib. 5. pag. 557. 558.

Anno

Anno Ducenteſimo Sexageſimo ſecùndo *Cœlus* (*Britannice Godeboc* agnominatus) *Teguani* filius *Aſlecho* Regis *Tenerantii* fratre *oriundus*, Poſthumi permiſſu in *Trinobantibus* regnare cœpit, & potiorem Ordoviciæ partem *Straduennæ* conjugis *Cadovano* natæ jure obtinuit. Poſthumus antedictus quum videret multis ſe *Galieni* viribus peti, atque auxilium non ſolum militum, verum etiam alterius principis neceſſarium, Victorinum, Victorinæ ſive Victoriæ (quæ Mater Caſtrorum appellata eſt, & *Auguſtæ* nomine affecta,) filium, militaris induſtriæ virum in participatum vocavit Imperii. Nihilominus ipſe, cum ejuſdem nominis filio, quem primo *Cæſarem* ac deinceps Auguſtum nuncuparat, *Lolliano* agente, in *Gallia* interemptus eſt. Idem *Lollianus* quod in labore nimius eſſet a militibus ſuis agente *Victorino* occiſus eſt. Qui & ipſe quod matrimoniis militum corrumpendis operam daret, a quodam Actuario cujus uxorem ſtupraverat, compoſita factione, *Agrippinæ* trucidatur; filiuſque ejus *Victorinus* junior, (ſub eadem hora, a Patre & avia *Cæſar* dictus, ſtatim) ab ejuſdem factionis militibus ibidem perimitur. *Sedata* tamen iſta ſeditione, *Victorina* Imperium, quum ipſa per ſe ſugeret tanti ponderis

Trebel. Pollio in trig. tyran.

molem in Marium opificem quondam ferrarium tranſtulit. De quo quid amplius requiratur ignoro, niſi quod eum inſignioremrem breviſſimum fecit Imperium. Nam una die factus eſt Imperator, alia viſus eſt imperare, tertia interfectus eſt a quodam milite; qui quum ejus quondam operarius in fabrili officina fuiſſet, contemptus eſt ab eodem, vel quum duxiſſet, vel quum Imperium cepiſſet. Addidiſſe hæc verba dicitur interemptor, Hic eſt gladius quem ipſe feciſti. Deinde *Tetricum* Senatorem & conſularem jure præſidali Gallias regentem eadem Victorina Imperatorem creavit, filiumque ejus *Tetricum* juniorem appellavit *Cæſarem.* Hi ubi multa feliciter egiſſent, diuque imperaſſent, quum militum ſuorum impudentiam & procacitatem ferre non poſſent, volentes victi, *Aureliano* ſeſe dediderunt, atque exinde in ſumma dignitate conſenuerunt. Receptis itaque *Gallia* ac *Britannia*, *Conſtantius Chlorus*, *Criſpi* fratris *Claudii* Imperatoris ex filia nepos, *Aureliano* in hac inſula militans, *Helenam Cœli* Regis Britanniæ filiam duxit ex qua *Conſtantinum* Magnum Anno Ducenteſimo ſeptuageſimo tertio ſuſcepit. Imperante *Probo*, duo illa ebrietatis ac libidinis portenta, *Bacchi* Veneriſque mancipia, *Bonoſus* & *Proculus* apud

Camdenus & Baronius.

273

Vopiſcus in Probo, Proculo & Bonoſo.

apud *Agrippinam* Imperium arripuerunt, omneſque ſibi *Britannias*, *Hiſpanias*, & braccatæ *Galliæ* Provincias vindicarunt. Quorum *Bonoſus*, Homo *Hiſpanienſis* fuit, origine *Britannus*; *Proculus*, *Gallus Albingaunus*; hic, hortantibus *Lugdunenſibus*, qui & ab *Aureliano* graviter contuſi videbantur, & *Probum* vehementiſſime pertimeſcebant; ille, timore ne pœnas daret, quod in *Rheno*, quo tempore ipſe erat dux limitis *Rhætici*, *Romanas* luxurias *Germani* incendiſſent, purpuram ſumpſit. *Bonoſus* longo gravique certamine a Probo ſuperatus, laqueo vitam finivit. Proculum fugatum uſque ad ultimas terras, & cupientem in *Francorum* auxilium venire, (a quibus originem ſe trahere ipſe dicebat,) ipſis prodentibus *Francis*, vicit *Probus* & interemit. *Britannis* una cum *Gallis* & *Hiſpanis* permiſit hic Imperator ut vites haberent, uinumque conficerent; & *Victorini Mauri* familiaris ſui commendatione adductus, ad magiſtratum in *Britannia* quendam evexit, qui protinus defectionem meditatus eſt; ideoque *Probus* cum *Victorino* rem expoſtulavit. Qui impetrata ad illum abeundi poteſtate, ſimulans ſe fugere Imperatorem, amanter a tyranno ſuſceptus, noctu illum occidit. Atque ita ad Probum

281

Zoſim.

rediit, ſimulque provincia ſic ex hac tur-
282 ba emerſit. Tyrannum hunc, *Claudium Cornelium Lælianum* fuiſſe, cujus monetæ ſolummodo in hac inſula reperiuntur, Camdenus exiſtimat. Victis atroci prælio Vandalis & *Burgundionibus*, quam plurimos ex iis, in *Britanniam* tranſmiſit *Probus* qui inſulanos quandocunque tumultuantes compeſcerent. *Caſtra* illi non procul a *Cantabrigia* videntur habuiſſe in amæniſſimis montanis de *Balſhamia*, ut ea loca *Henricus Huntingdonienſis* a finitimo illius nominis viculo appellat quæ *Cantabrigienſibus* montes dicuntur *Gogmagogi* quo nomine *Gormagotum* gigantem intelligunt a *Chorinæo*, ſi *Britannicæ* Hiſtoriæ credimus olim extinctum. De his *Vandalis*, *Britannos*, præſertim Chriſtianos, inclementius tractantibus, ita loquitur *Gervaſius Tilburienſis*; ſub *Cantabrigia* locus erat, *Vandelbiria* dictus; eo quod illic *Vandali Britanniæ* partes ſæva Chriſtianorum peremptione vaſtantes, caſtrametati ſunt. Ubi ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallata circumcluditur, unico ad inſtar portæ aditu patens ad ingreſſum. Poſt hæc *Carus Manlius* ad Imperium evectus, & ad bellum Perſicum proficiſcens, aſſumpto ſecum minore filio *Numeriano*, majori, ſcilicet

Gerv. Tilb.

ſcilicet *Carino*, *Gallias* atque *Italiam*, *Illyricum*, *Hiſpanias* ac *Britannias* & *Africam* decrevit, reliquitque ipſum ut *Caſarianum* teneret Imperium, ſed ea lege ut omnia faceret quæ *Auguſti* faciunt. Qua ille poteſtate adeo abuſus eſt, enormibus ſe vitiis & ingenti fæditate Maculans, ut *Conſtantium Chlorum* qui tunc præſidatum *Dalmatiæ* adminiſtrabat, in locum ejus ſubrogare, illum autem *Cæſarco* abrogato Imperio occidere in animo haberet pater. Fuit tamen in armis ſtrenuus, aliquaſque ex aquilone victorias reportaſſe creditur, ex illis *Olympii Nemeſiani* verſibus *nec taceam quæ nuper bella ſub arcto, Felici Carine manu confeceris ipſo pæne prior genitore Deo.* Quumque patrem fulmine abſumptum, fratrem ab ipſius ſocero interemptum comperiſſet, haud ei defuit ad vindicandum ſibimet Imperium vigor mentis. Nam *Sabinum Julianum* Imperium invadentem in campis Veronenſibus occidit; & contra *Diocletianum* multis præliis conflixit. Sed apud *Murtium* ſive *Murgum* in *Mæſia*, *Diocletiano* congreſſus, ingenti prælio victus eſt, proditus ab exercitu ſuo quem fortiorem habebat, certe deſertus inter *Viminatium* atque *Aueam* montem, a militibus; qui ei infeſtiores, quod libidine

Vopiſc. in Carino.

283

Aurel. Victor. & Eutrop.

im-

impatiens ipſorum nuptas affectabat, iram tamen doloremque in eventum belli diſtulerant. Quo proſperius cedente, metu ne hujuſmodi magis magiſque victoria inſoleſceret, ita ſeſe ulti ſunt. Ipſe dum hoſtes avide premeret, ſuorum ictu interiit, præcipue cujuſdam tribuni dextra cu-
284 jus dicebatur conjugem polluiſſe. Adeoque victoria pariter atque adverſo exercitu potitus eſt *Diocletianus*.

Ille ubi comperit, *Carini* diſceſſu, *Ælianum Amandumque* per *Galliam* excita manu agreſtium ac latronum quos *Bagaudas* incolæ vocabant, populatis late agris pleraſque urbium tentare; *Maximianum* veterem militiæ ſocium, *Cæſaris* dignitate ornatum ad eos ſubigendos miſit. Qui eo profectus fuſis hoſtibus aut acceptis, quieta omnia brevi patravit. Quo bello *Carauſius Menapia civis* factis promptioribus enituit; cumque in ſerenæ militiæ ordine famam egregiam conſecutus fuerat, quia gubernandi, (quo officio adoleſcentiam, utpote viliſſime natus, *Mercede* exercuerat,) parandæ claſſi præficiebatur. Igitur cum apud *Bononiam* per tractum *Belgicæ* & *Armoricæ* pacandum mare accepiſſet, quod *Franci* & *Saxones* infeſtabant, multis barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita,

aut

aut Imperatoribus miſſa, cum ſuſpicio eſſe cæpiſſet, conſulto ab eo admitti barbaros, ut tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret, a *Maximiano* juſſus occidi, purpuram ſumpſit Anno Ducenteſimo Octogeſimo Quinto & *Britannias* occupavit. 285 Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ eſſent, & *Carauſius* in *Britannia* rebellaret, *Achilles* in *Ægypto*, *Africam* Quinquegentiani infeſtarent, Orienti *Narſes Perſarum* Rex bellum inferret; *Diocletianus Maximianum* ex *Cæſare* fecit *Auguſtum*, *Conſtantium* & *Galerium*, *Cæſares*; atque ut eos affinitate conjungeret, *Conſtantius* privignam *Maximiani Theodoram* accepit, ex qua poſtea ſex liberos *Conſtantini* fratres habuit; *Galerius* filiam *Diocletiani Valeriam*; ambo uxores quas habuerant repudiare compulſi. Interea Carauſius in *Britannia* naves *Romanum* in modum conſtruxit, legionem *Romanam*, quæ ibi in præſidio erat, abduxit, aliquot militum peregrinorum cohortes intercluſit, mercatores *Gallicanos* ad delectum contraxit, Barbarorum, & maxime *Francorum* innumerabiles copias ſpoliis Provinciarum diviſis illexit, atque inde prædonum more omnia *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Italiæque* littora latrociniis infeſta habere inſtituit, unde illud

Eumen. in Paneg. & Sigon. de Occid. Imp. lib. 1.

illud piratici belli nomen invenit. Superatis
Galfr. lib. 2. Cap. 2. primo ac deinde in fœdus & ſocietatem acceptis Pictis dedit locum manſionis in *Albania*, ubi cum *Britannis* (ſcilicet *Caledoniis*) mixti per ſubſequens tempus permanſerunt. *Murum* quoque *Lolli*,
Nennius. (non, ut *Nennius* ſenſit, *Severi*) inter *Cludæ* & *Forthæ* oſtia reædificavit & ſeptem caſtellis munivit, domumque rotundam politis lapidibus ſuper ripam fluminis Caronis quod a ſuo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in Victoriæ memoriam erigens conſtruxit. *Batavia* per *Francos* aliquot reges occupata ad eum defecit; & *Maximianus*, quanquam omnes belli curas apparatuſque ad ipſum opprimendum convertiſſet, accedente tamen ad *Britannici* maris inclementiam ſumma quoque rei nauticæ imperitia, *Germanorum* etiam motibus diſtentus, bellum illud in præſens intermittere, ac vindictam in aliud tempus reiicere coactus
Eutrop. eſt. Cumque adeo, fruſtra tentata eſſent bella contra virum rei militaris peri-
Aur. vict. tiſſimum, ad poſtremum (ſimulata) pax convenit; remiſſo ſoli *Carauſio* inſulæ imperio poſtquam juſſis ac munimento incolarum contra gentes bellicoſiſſimas opportunior habitus fuiſſet. Dum hæc geruntur, Rex *Cœlus* Ducenteſimo Octogeſimo
289 nono,

nono, cum annos viginti ſeptem regnaſſet, moritur, cui ſucceſſit frater *Trahernus*. Sed Imperatorum animos urebat una illa tanti Imperii contumelia, quod, aliis hoſtibus proſpere contuſis, inſula iſta adhuc in poteſtate *Carauſii* eſſet. Deſtinata eſt igitur *Conſtantio Cæſari Britanniæ Bataviæque* vindicta, qui Anno Ducenteſimo Nonageſimo ſecundo in *Galliam*, opinione omnium citius perveniens *Geſſoriacum* (quod nunc *Bononia* dicitur) cenſibuſque & muris pertinax obſedit atque illis fretis portus ademit. Omnem etenim ſinum portus, defixis in aditu trabibus ingeſtiſque ſaxis, invium navibus reddidit, adeo ut nec obſeſſi in *Britanniam* effugere, nec iis ex *Britannia* miniſtrari ſubſidia poſſent. Captum igitur eſt oppidum, dedituſque qui illic inerat Tyranni exercitus, qui non modo clementer conſervatus, ſed et in *Cæſaris* militiam aſcriptus eſt. Soluraque ita obſidione, primus æſtus prædicta clauſtra rupit, totaque illa quoad uſus fuit invicti fluctibus acies arborum veluti ſigno dato peractaque ſtatione dilapſa eſt, Conſtantioque portus qui hoſtibus occluſus fuerat ad victoriam *Britannicam* ſponte patuiſſe viſus eſt. Circa idem fere tempus *Carauſium* dolo circumvehit & occidit *Allectus*, qui cum ejus

292

Aurel. Victor.

permiſſu ſummæ rei præeſſet, flagitiorum, & ob ea mortis, formidine per ſcelus Imperium extorſit. Atqui *Conſtantius* navibus quamplurimis ad trajiciendum ædificari juſſis, *Batavos*, dum illæ comparantur, ſibi adoriendos ſuſcipit, qui, *Britannico* tumultu, ſollicitantibus *Francis* defecerant *Cliviamque* oppidum *Romanorum* arctiſſime obſederant ac ferme exciderant; cum ſuperata locorum ſtagnantium difficultate, ſylvarumque barbaros occultantium denſitate, ſuperveniens *Cæſar* obſidione ipſos depulit, ac longiſſime conſtantiſſimeque inſectatus, ad deditionem cum conjugibus & liberis adegit. Inde captivos, quorum magna erat multitudo, in *Ambianorum Tricaſſinorum* & *Lingonum* deſerta ab iis ſolitudine vindicanda traduxit. Inſtructis tandem diverſis claſſibus, ubi diutius idoneum navigandi tempus fruſtra expectaſſet, etiam adverſo reflante vento, littore *Geſſoriacenſi* ſoluit. Quod ubi milites ſenſere, qui a fluctu in *Sequanam* amnem repulſi fuerant, cunctantibus adhuc ducibus, cæloque ac mari turbidis, ultro ſignum navigationis popoſcerunt, contemptiſque minacibus ſignis, die pluvio vela fecerunt, & ventum, quia directus non erat, obliquum captarunt. Porro tantæ ſubito ſe dorſo maris opportu-

Eumen. in Paneg.

294

ne

ne miſcuerunt nebulæ, ut inimicam *Allecti* claſſem apud *Vectam* inſulam in ſpeculis & inſidiis collocatam imprudentibus hoſtibus prætervectus inſulæ littus nemine prohibente obtineret *Conſtantius*. Cui excendenti oppreſſi nimium *Britanni* quaſi cum triumpho effuſi gaudioque exultantes ſeſe cum conjugibus ac liberis obtulerunt, ipſum ut cœlo delapſum intuentes, & vela navis qua advectus eſt atque remigia venerantes. Mox univerſis ille navibus ne quod præſidium fugæ reſervaretur ignes injecit; Quo cognito *Allectus* ab eo quod tenebat littore abſceſſit, *Romanoſque* quorum vela imminentia proſpexerat ſtatim affuturos ratus temere præliari inſtituit. Sed neque acie explicata neque omnibus quas trahebat copiis inſtructis, veteres conjurationis auctores & barbaros mercede conductos reliqui apparatus oblitus præceps rapit, atque in *M. Aurelium Aſclepiodotum* Præfectum Prætorio, cum valida *Romani* exercitus parte præmiſſum, incidens, cum ingenti ſuorum ſtrage victus occubuit, ultro depoſito ne dignoſceretur cultu Imperiali, & vix unius velaminis indicio repertus. Alii quoque *Conſtantii* milites qui per errorem nebuloſi maris a cæteris avulſi fuerant ad oppidum *Londinienſe* per *Tameſin* pervenientes, quicquid

barbarorum prælio ſuperfuit, quum direpta urbe fugam capeſſere cogitarent paſſim tota urbe cum Livio Gallo Duce confecerunt. Ita *Britannia* Decimo Anno recepta, quum per ſeptennium in ea *Carauſius* & per triennium *Allectus* imperaſſent. Tot Tyrannorum huc uſque variis vicibus a *Galieni* tempore *Britanniam* occupantium reſpectu, *Fertilem Tyrannorum Provinciam*, appellavit eam qui tum vixit Porphyrius, qui etiam e veteribus primus *Scotorum* circa hæc tempora meminit; ut & Pictorum, coætaneus eidem *Porphyrio Eumenius*. Diſcedente ad bellum *Alamannicum Conſtantio*, *Britanniam* rexit *Aſclepiodotus* (*Afranii Annibaliani* dudum Collega in conſulatu;) quem in *Aureliani* vita memorat *Vopiſcus*, & in Probi vita inter inſignes belli duces illiuſce Imperatoris Diſciplina inſtitutos, una cum *Carino Diocletiano*, *Maximiano*, *Conſtantio* aliiſque magni nominis viris recenſet. *Galfridus* tamen, a *Britannica* quam interpretandam ſuſceperat Hiſtoria diſcedens, *Britannum* atque *Cornubiæ* Ducem fuiſſe, & Allectum a ſenatu iſtuc cum tribus legionibus miſſum, ex ſuo ſabulatur; quanquam *Henricus Huntingdonienſis* in ſua ejuſdem Hiſtoriæ *Britannicæ* Epitome, *Allectum Carauſii* ſocium, *Aſclepiodotum* vero

295

Vop. in Aurel & in Probo.

Galfr. lib. 2. cap. 2.

Henr. Hunt. in Epiſt. ad Gualt.

vero Præfectum, (Romanis ſcriptoribus congruenter,) extitiſſe refert.

Anno trecenteſimo tertio qui fuit *Dioeletiani* decimus nonus, immanis menſe *Martio* adverſus *Chriſtianos* moveri cœpta eſt perſecutio, quæ *Britanniam*, (a novem præcedentibus immunem,) cum plurima confeſſionis Deo Devotæ gloria ſublimavit. Paſſus eſt in ea *Albanus* civis *Verolamienſis* nobili inter *Romanos* familia oriundus, ſed in hac inſula natus, qui charitatis gratia confeſſorem perſecutoribus inſectatum & jam jamque comprehendendum (imitans & in hoc Chriſtum animam pro ovibus ponentem) Domo primum ac mutatis dein mutuo veſtibus occuluit, & ſe diſcrimini in fratris ſupradicti veſtimentis libenter perſequendum dedit, ita Deo (inter ſacram confeſſionem cruoremque, coram impiis *Romana* tum ſtigmata cum horribili phantaſia præferentibus) placens, ſignorum miraculis mirabiliter adornatus eſt, ut oratione ferventi, (illi *Iſraeliticæ* arenti viæ minuſque tritæ ſtante diu arca Teſtamenti prope glareas in medio *Jordanis* canali) ſimile iter ignotum trans *Tameſis* nobilis fluvii alveum cum mille viris ſicco ingrediens pede, ſuſpenſis utrinque modo prærupto-
rum fluvialibus montium gurgitibus aperiret;

Euſeb. Chron. & Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 3.

Beda Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 6. Gilaas.

303

riret; & priorem carnificem tanta prodigia videntem in agnum ex lupo mutaret, & una ſecum triumphalem Martyrii palmam ſitire vehementius & excipere fortius faceret. Capite igitur plexus eſt die Decimo Calendarum *Juliarum*, una cum milite illo (Heraclium appellat *Capgravius*) qui Sanctum Dei confeſſorem ferire recuſaverat, juxta civitatem *Verolamienſem*. At quod de *Tameſi* exiccato dicitur, non aliter ferri poteſt, quam ſi Colno fluvio vetus *Verolamium* & novum Sancti *Albani* oppidum (quod ex *Verolamii* ruinis accrevit) intermeanti & in *Tameſim* illabenti, tanquam profluenti inde derivato, *Tameſis* nomen a *Gilda* communicatum fuiſſe dicamus. *Aaron* & *Julius Urbis Legionum* (ad Oſcam fluvium poſitæ) cives, paſſi ſunt, Calendis *Julii* juxta *Petrum Equilinum* & *Romanum Martyrologium* novum. Confeſſor ille ab *Albano* occultatus, (quem *Amphibalum* dictum fuiſſe ſcribunt *Galfridus* & alii, ex eadem urbe Legionum extitiſſe oriundum narrant *Giraldus Cambrenſis* & *Ranulphus Ceſtrenſis*, in Eccleſia Carmaridunenſi Monachum fuiſſe & doctorem, refert libelli de *Vintonienſis* Eccleſiæ Antiquitatibus Anno Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo editi concinnator,) de parti-

Beda Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 7.

Gildas.

partibus Hieroſolymitanis reverſus quas cum matre gratia orationis adierat, *Romæque* aliquandiu commoratus, rediit demum in *Britanniam*, & *Albanum* fidē Chriſtiana imbuit, poſt cujus paſſionem, in *Cambriam* fugit, quem mille viri *Verolamienſes* (iidem forſan qui *Albanum* per exiccatum fluvium comitati) Doctrinam Chriſtianam nuper amplexati, ad eam plenius perdiſcendam ſecuti, *Guallis* & *Pictis* concionantem invenerunt. At infidelium *Verolamienſium* exercitus cives ſuos illuc inſectati, eorum nongentos nonaginta novem comprenſarunt, quos in reditu, *Licetfeldiæ* mactarunt, ipſum *Amphibalum Redburnæ* non procul Verolamio morte crudeliſſima cum novem ſociis Decimo Sexto Septembris die affecerunt. Eodemque tempore alii plurimi, ſpectata horum Martyrum conſtantia, ſeſe Chriſtianos confeſſi, judicis mandato, circiter mille numero, a ſpiculatoribus eodem loco interfecti ſunt. Die Decimo quinto Calendarum Octobris *Martyrii palmam* hic adeptos eſſe *Socratem* & *Stephanum*, teſtantur *Petrus Equilinus* & *Martyrologium Romanum*; quem *Stephanum*, eundem eſſe cenſet *Uſſerius*, qui Archiepiſcorum *Londinenſium* Catalogo a *Jocelino Furneſio* memoratur; unde ſuboriri poſſit aliqua

Petrus. de natal. lib. 11. cap. ult. ſect. 250.

aliqua ſuſpicio, *Socratem*, qui ante illum utrobique nominatur, *Eboracenſem* extitiſſe Archiepiſcopum. *Augulius* (aliis *Augurius*, *Augulus* & *Agulinus* dictus,) qui *Stephano* in *Londinenſi* præſulatu ſucceſſerit, *Iltutumque* (ſive *Reſtitutum*) ſucceſſorem habuerit, ſeptimo idus *Februarii* vitam Martyrio glorioſo, ætate ac viribus provectus, finiit. Paſſus eſt eadem tempeſtate *Nicolaus* Epiſcopus, cujus reliquiæ in *Laudonia* apud *Peblis* Anno Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, qui fuit regis *Alexandri* Tertii decimus tertius, repertæ ſunt. De quibus ita Scotichronici ſcriptor, *Septimo idus menſis Maii*, inquit, *Anno Domini M. CCLXI Regni Regis Alexandri* XIII. *inventa eſt quadam magnifica crux & venerabilis apud Peblis, aſtantibus honeſtis viris, Presbyteris, Clericis & Burgenſibus.* Creditur quod Sæviente *Maximiani* perſecutione in *Britannia*, per quoſdam fideles abſcondebatur. Inde vero non longe poſtea ibidem reperta eſt urna lapidea, quaſi tribus vel quatuor paſſibus a loco quo illa glorioſa crux fuerat inventa, cineres & oſſa continens cujuſdam corporis humani quaſi membratim decurtati. Quidam autem autumant illius eſſe reliquias, cujus nomen inventum eſt ſcriptum in ipſa petra,

Beda & Ado Viennenſis, aliique.

Joannes Fordonus

in

in qua illa crux Sancta jacebat. Sculpebatur in ipſa forinſecus, *Locus Sancti Nicholai Epiſcopi. Scotum*, hunc, non *Britannum* fuiſſe, nulla omnino nixus ſcriptorum probatorum authoritate contendit *Dempſterus*, quanquam *Laudoniam* tum *Scotici* juris haud fuiſſe non minus compertum ſit, quam *Hagioclepten* inſignem extitiſſe *Dempſterum*. Tunc etiam tertio *Januarii* die paſſus eſt *Melorus* (ſive *Melior* ut eum appellat *Philippus Ferrarius*,) qui anno quadringenteſimo undecimò peremptum tradit, (citato perperam teſte Capgravio) qui in ipſis Chriſtianæ fidei a *Britannis* acceptæ primordiis id contigiſſe narrat, quod tamen noſtris omnibus ſcriptoribus repugnat qui *Britannorum* protomartyrem fuiſſe *Albanum* unanimi conſenſu ſtatuunt. Cæteri vero, inquit *Gildas*, ſic diverſis cruciatibus torti ſunt, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati, ut abſque cunctamine glorioſi in egregiis *Hieruſalem* veluti portis, Martyrii ſui trophæa defigerent. At qui ſuperfuerant, ſylvis ac deſertis abditiſque ſpeluncis ſe occultavere, expectantes a juſto omnium Rectore Deo, carnificibus ſevera quandoque judicia, ſibi vero animarum tutamina. In Oriente inter alios innumeros paſſus eſt *Martyrium Georgius Cappadox* Tropæopho- *Gildas.*

rius dictus. Parentibus ille *Chriſtianis* natus, ac poſt Patris mortem, in *Palæſtinam*, Matris, cui ampla ibi erat hæreditas, patriam, ab ea abductus eſt. Ubi adolevit, mortua jam matre opulentus, in *Cæſarianam* ſeſe militiam tradidit, ſtrenuamque bello *Perſico* operam navavit. Factus igitur Tribunus militum atque exinde Comes Imperialis magna apud *Diocletianum* & *Galerium* gratia floruit, donec *Nicomediæ* adverſus *Chriſtianos* edictum promulgarent. Quod *Georgius*, eo accedens, *zelo* pioque ardore accenſus, diſcerpſit, depoſitiſque indumentis militaribus ac diſpertitis inter pauperes facultatibus, tertio Senatorum conſeſſu, quum jam confirmandum eſſet decretum Imperiale, audacter ſe confeſſus Chriſtianum; cum nullis nec blanditiis nec minis ad abnegandam fidem perduci poſſet, tormenta immania animo invicto atque inconcuſſo perpeſſus, *Diocletiani* & *Galerii* juſſu per Urbem tractus viceſimo tertio Aprilis die, & capite multatus eſt. Ad hunc annum *viz.* trecenteſimum tertium, ejus mortem refero; quippe Doctori *Heyleno*, qui hujus *Martyris* Hiſtoriam contexuit, annoque ducenteſimo nonageſimo occubuiſſe ſcripſit, quo necdum moveri cæptam eſſe perſecutionem ex *Euſebio* conſtat, et

Simeon Metaphr.

in

in re non poſſim aſſentiri. *Galerium* prædictum (perſarum Triumphatorem) a *Dacia* patria *Dacianum* nominant *Legendarii*; niſi ex priſtino *Dazæ* nomine quo ante Imperium eum dictum eſſe refert *Aurelius Victor*, *Romana* lima incude concinnius *Daciani* nomen effictum crediderimus; ſicut paulo ante, qui privatus dicebatur *Diocles*, Imperator factus *Diocletianus* appellatus eſt. Meminiſſe *Georgii* (utcunque nomen ejus fileat) videtur *Euſebius*. Extemplo igitur, inquit, ex illis quiſpiam qui haud obſcuri, ſed ſecundum ſeculi hujus excellentias, ſicut putantur, glorioſiſſimi erant, ſimulatque edictum contra Eccleſias, *Nicomediæ* eſſet propoſitum, zelo Dei motus ac ferventi fide impulſus, in manifeſto ac publico poſitam ſcripturam, tanquam profanam & impiiſſimam ſuſtulit ac diſcerpſit, quum duo Imperatores in eadem civitate, & qui inter reliquos erat honoratiſſimus (ſcilicet *Diocletianus*,) & qui quartum ab Imperatore (*Diocletiano*) Imperii gradum tenebat (ſcilicet *Galerius Dacianus*) adeſſent. Verum hic qui primus tum ad hunc modum præclare ſe geſſit, ſimul ea, quæ vero ſimiliter tanquam rem tantam auſo illata ſunt, perpeſſus eſt, & animum erectum & imperterritum ad ultimam uſque

Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 5.

ſpiritus exhalationem conſervavit. Corpus egregii martyris in Palæſtinam a ſervo avectum ac, (prope *Ramam* ſeu *Ramulam*) *Lyddæ* (quæ etiam *Dioſpolis* dicta) humo mandatum eſt, unde locus ille nunc dierum, Sancti *Georgii* dicitur. Ubilibet conſpicitur emblematica ejus pictura virginem cæſo dracone liberantis; quæ virgo ipſius animam denotare creditur, quam cum eximia pietatis & conſtantiæ laude, a draconis, hoc eſt, diaboli molitionibus immunem atque illibatam Deo juvante miles Chriſtianus conſervavit. Hujus alloquio ad fidem Chriſtianam converſus eſſe fertur Sanctus *Vincentius* cum aliis compluribus. *Ariani* ut aliquam *Georgio* ſuo, Pſeudepiſcopo *Alexandrino*, Sanctitatis opinionem pararent, hunc cum illo in legendis ſuis fædiſſime confuderunt; quas ideo cum aliis ejuſdem farinæ actis explodendas tanquam apocryphas duxit Papa *Gelaſius*. Qui tamen ne Sanctos ipſos, quorum legendas ab hæreticis conſarcinatas damnarat, repudiaſſe putaretur, hanc demum adiicit coronidem, *nos tamen cum prædicta Eccleſia omnes martyres atque eorum glorioſos agones qui Deo magis quam Hominibus noti ſunt, cum omni devotione veneramur.* Nec tamen hæc cenſura pluſquam ſeptuaginta Præſulum cal-

calculis probata efficere valuit, quo minus alii dehinc ſcriptores futiliſſima illa de *Aſthanaſio* (quem Magum fuiſſe mendaces clamitarunt Ariani) & *Alexandra* Imperatrice deliria, ſuis de *Georgio* Martyre narrationibus inſererent. Unde nonnulli, inter quos *Calvinus* & *Chemnitius*, haudquaquam in rerum natura extitiſſe unquam hunc *Georgium* exiſtimarunt. Alii *Arianorum* inſutis fabulis decepti, eundem temere illum cum *Georgio Alexandrino* conſtituunt. Horum coryphæus eſt *Raineldus*, qui Papam tamen *Gelaſium* pro vero eum Martyre habuiſſe fatetur, qualis certe opinio de infami hæretico, annorum centum triginta aut circiter ſpatio ab ejus cæde elapſo, invaluiſſe atque apud tantum virum obtinuiſſe minime poterat. Nec ejuſmodi hominicionis memoriæ ac honori *Childebertus Francorum* Rex & *Juſtinianus* (Imperator qui brevi poſt tempore claruerunt) Baſilicas extruxiſſent atque nuncupaſſent. Nec patria *Cappadox* fuit ille hæreticus *Raineldus* contendit, ſed *Cilix*, *Epiphaniæ* in *Fullonio* natus & aliquandiu in *Cappadocia* degens, unde (Conſtantio evocante) in *Alexandrinam* pulſi crudeliter *Athanaſii* Cathedram violentus irruit. Hæc eo fuſius de *Georgianorum* apud *Anglos* militum patrono *Georgio Martyre*,

Rain. de Idol. Rom. lib. 1. cap. 5.

Ammian. Marcell. lib. 22.

tyre, cujus in *Græcorum* ac *Romanorum Martyrologiis*, multiſque aliis luculentis authoribus, mentio habetur celebris, diſſerere viſum eſt, quo clarius, Reges noſtros nec *Larvæ* nec hæretico tantum honoris impendiſſe, omnibus innoteſcat. Qui amplius quicquam de hoc Heroe ſcire deſiderant, *Heylenum* ac *Seldenum* conſulant.

Dr. Heyl. Hiſt. Sancti Georgii & Selden. Tit. Aon.

Anno trecenteſimo quarto, qui fuit perſecutionis ſecundus, *Diveletianus* & *Maximianus* Imperio ſe abdicarunt, illo nonum hoc octavum conſulatum gerente; unde *Conſtantius* factus *Auguſtus Hiſpaniæ*, *Galliæ*, & *Britanniæ* Eccleſiis pacem reſtituit, ſæviente nihilominus in aliis omnibus *Ditionis Romanæ* Provinciis per octennium ultra *Galerii* cæterorum qui Tyrannorum rabie, quapropter hæc perſecutio a *Gilda novennis* vocatur, quanquam in his regionibus per unici duntaxat anni curriculum debaccharetur. *Bouchetus* ex hymno de *Lucionenſis Eccleſiæ* fundatione compoſito (cujus initium *Gaude Lucionum*) *Conſtantium* duos ex *Helena* præter *Conſtantinum* filios ſuſcepiſſe ſcribit, quorum alter *Lucius* interfecto fratre ſeniore, patria expulſus & ad vitam Monaſticam damnatus eſt. Inde a patre navigio cum multis Presbyteris & viris Religioſis impoſitus, ducentibus

304

Bouch. Ann. Aquit. part. 1. cap. 5.

ventis,

ventis, ad locum inter *Pictavienſes* Aquitanico Oceano vicinum appulit; ibique Abbatiam Eccleſiamque *B. Mariæ* dicatam condidit, & a nomine ſuo *Lucionum* appellavit. Cum vero Antiquiores Hiſtorici unicum tantum (ſcilicet *Conſtantinum*) *Helenæ* filium tribuunt, hunc *Lucium*, principem illum *Britannicum* eſſe reor qui *Rhatis* & *Bavaris* prædicavit, quum *Gallias* primo eum annuntiandæ veritatis cauſa petiiſſe doceant cuncti ejus vitæ ſcriptores. At *Conſtantius* ſicut antea *Francos* in *Ambianorum*, *Tricaſſinorum*, *Lingonumque* agros deduxerat, ita nunc *Britannos* in *Armoricorum* Regionem transfert, quorum viginti una millia cum *Helena* & *Conano* ejus fratre eo migrarunt. Anno trecenteſimo quinto quo *Maximus* & *Severus* facti ſunt *Cæſares*, *Conſtantinium Galerius* patri remiſit. Qui ut *Severum* per *Italiam* tranſiens vitaret, ſumma feſtinatione veredis poſt ſe truncatis *Alpes* tranſgreſſus, ad patrem *Conſtantium* venit apud *Bononiam*, quam *Galli* prius *Geſſoriacum* vocabant; (ut ſcribit Author antiquus ab *Henrico Valeſio* ſimul cum *Ammiano Marcellino* editus;) & ab eo *Cæſar* creatus eſt, juxta veterem Actorum *Metrophanis* & *Alexandri* ſcriptorem. Quod in *Gallia* factum priuſquam in *Britanniam*

Rad. Niſter. liber Triad. & Priſ. Hiſt. Brit. Def.

Euſeb. in Chron. & Aurelius Victor. Niceph. Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 19. Biblioth. Photii Cod. 256.

tanniam ad morientem patrem accederet, ipſa temporum ratio evincere videtur. Eodem quippe tempore *Conſtantinus* juxta *Aurelium Victorem Cæſar* efficitur, quo *Maximinus* & *Severus*. Hos autem a *Galerio* Anno *Conſtantii* mortem antecedente creatos eſſe *Cæſares Euſebius* in *Chronico* annotavit, qui etiam, in ſua *Conſtantini vita*, Regni ejus epocham ab
305 eodem Anno deducit. Unde *Eumenius*
Paneg. 9. *Rhetor* in hac ad *Britanniam* apoſtrophe, O fortunata & nunc omnibus beatior terris *Britannia*, quæ *Conſtantinum Cæſarem* prima vidiſti; neutiquam de Creato *Cæſare* (quicquid alii ogganniunt) ſed de *Naſcente* in hac inſula, loqui intelligendus eſt. Quod alio quoque Panegyriſtæ ipſum alloquentis teſtimonio comprobatur,
Paneg. 5. *liberavit ille* (Pater videlicet *Conſtantius*) *Britannias ſervitute, tu etiam nobiles illic oriendo feciſti.* Vela facturus erat *Conſtantius Britanniamque* petiturus quum filius ad ipſum accederet, ubi *Pictos* tumultuantes vicit, ut citatus ante *Valeſii* Hiſtoricus tradit, quos tamen, ubi potuiſſet, nulla territorii parte ſpoliavit, ſilveſtrem eorum Regionem ac paluſtrem aſpernatus. Poſt quam victoriam reverſus *Eboracum*, in medio liberorum, Anno trecenteſimo ſexto vita exceſſit & *Canarvonia* (quæ olim

olim *Segontium* dicta) ſepultus eſt. Deinde *Conſtantinus* injecta a militibus purpura ornatus atque *Auguſtus* ſalutatus, *Cæſaris* tamen appellatione quam jam ante habebat contentus, expectare quidem maluit, donec in *Galliam* revectus, ab adveniente *Maximiano* declararetur *Auguſtus*, a quo pater *Conſtantius* eodem honore auctus fuerat. Ille etiam viginti una militum *Britannorum* millia ſub Caſſuellano, Guenone & Guavaro ducibus abduxit, quos tandem emeritos in Armoricæ parte Aquitaniæ adjacente collocavit. Per hæc tempora *Octavius* (*Britannis* lingua vernacula *Enicta* & *Euicthaf* dictus) *Eviſſeorum Monumethenſis* & *Herefordienſis* partem (*Ewias* Britannice dictam) incolentium Regulus, rebellionem excivit, adverſus quem remiſſus Rex *Trahernus*, qui nepotem trans mare comitatus fuerat, congreſſu primo ſuperatur. Fugiens igitur ad *Borealem* Provinciæ plagam, militum *Romanorum* ope, qui ibi *Pictis* oppoſiti erant, inſequentem hoſtem profligavit, & in *Scandiam* profugere coegit. Ipſe poſt paulo a *Verolamienſi* quodam nobili ac præpotente, *Octavii* partibus ſtudente, inſidiis circumventus opprimitur, cum annos viginti duos regnaſſet. *Octavius* cognita *Traherni* cæde, (Regis

Guilielm. Malm. lib. 1. & liber Triadum.

Norvegici nomine *Gomberti* (ſi *Galfrido* credimus) auxiliis impetratis, in *Britanniam* remeavit, allectiſque in ſocietatem gentibus aquilonaribus, bellum inſtauravit. At *Conſtantinus* minime cunctandum ratus, eodem anno, ſcilicet trecenteſimo undecimo ſuperveniens *Octavium* debellavit, domitumque, ſub Imperio *Romano* regnare, paſſus eſt. De hac Imperatoris Victoria *Euſebius*; porro autem, inquit, cum manſuetis & modeſtis pietatis præceptis exercitum muniviſſet, in *Britanniam*, & eos qui fluctibus Oceani ſolis occaſum ſuis quaſi oris terminantis, undique circundati habitant, invaſit. Et alibi, Reliquas orbis partes ante oculos proponens, tandem trajecit ad *Britannos*, Oceani littoribus undique concluſos. Quos cum viciſſet, alias mundi partes animo complecti cœpit, ut his qui opis indigerent, ſubſidio mature veniret. Ab illo *Britannia* in quatuor præfecturas diſpertita eſt; ad *Britanniam Primam & Secundam*, adjecta *Flavia Cæſarienſi* & *Maxima*; illa, a *Flavio Conſtantini* prænomine; hac, a quantitate appellationem ſortiente. Proinde *Britanniæ* adminiſtrationem ſub *Conſtantino* & ſuccedentibus annis ſic ſummatim *Camdenus*, depinxit. Præfuit *Britanniæ* præfectus Prætorio *Galliarum*,

311

Euſeb. de vita Conſt. lib. 1. cap. 4. & cap. 19.

Camd. in Rom.

&

& ſub eo vicarius *Britanniæ*, qui ejus vices agebat, & *Spectabilis* dictus, cui parebant pro numero Provinciarum, duo conſulares, (quo tempore ſcripta erat *Notitia Imperii*,) in *Maxima Cæſarienſi & Valentia*, & tres præſides (in reliquis tribus Provinciis) qui cauſas civiles & criminales audiebant. Quoad rem militarem, imperavit *Magiſter Peditum* Occidentis, ſub cujus diſpoſitione erant *Comes Britanniarum*, *Comes Littoris Saxonici per Britanniam*, *Dux Britanniarum*. *Comes Britanniarum* interioribus inſulæ partibus præfuiſſe videtur qui ſecum habuit ſeptem numeros peditum & novem vexillationes equitum. Comes littoris *Saxonici* qui littora (& maria) contra *Saxones* tuebatur & Comes tractus maritimi ab *Ammiano* dicitur (quales erant *Carauſius & Nectaridius*,) ad tuendam oram maritimam habuit ſeptem numeros peditum & duas vexillationes equitum, legionem ſecundam, & cohortem unam. *Dux Britanniarum* qui limites contra barbaros tuebatur imperavit 38 præſidiis, in quibus ſtationes egerunt 14000 pedites & 900 equites. Ita ut eo ſeculo, ſi *Pancirollus* recte rationes ſubduxerit, aluerit *Britannia* 19200 pedites, & 1700 equites plus minus ordinarios. Præter hæc *Comes Sacrarum largi-*

tionum qui donorum & liberalitatis Imperatoris curam gerebat, habuit ſub ſe in *Britannia* *Rationalem ſummarum Britanniæ*, *Præpoſitum Theſaurorum Auguſtenſium* in *Britannia*, & *Procuratorem Gynegii* in *Britannia*, in quo principis militumque veſtes texebantur. *Comes* etiam *rerum privatarum* ſuum habuit *rei privatæ* *Rationalem* in *Britannia*. Ut taceam *Procuratorem ludi gladiatorii* per *Britanniam* cujus meminit vetus inſcriptio, & alios ſubſellii inferioris. Littus *Saxonicum* Orientalem *Cantij* oram non fuiſſe ut quidam inſignes viri autumarunt, ſed adverſas *Cimbriæ*, *Batviæ*, *Belgicæ* & *Armoricæ* oras optime oſtendit *Seldenus*, ad quas uſque a *Saxonibus* magna ex parte inſeſſas atque infeſtas redditas, hujuſce *Comitis* Imperium pertingebat. *Limitanei* quippe *Duces* & *Comites* ſub Imperio *Romano* ab extremis Provinciarum ſuarum limitibus denominari conſueverunt. Atque in *Notitia Imperii* inveniamus, ſub *Duce Belgicæ Secundæ* Equites *Dalmatas Marcis* in littore *Saxonico*, & ſub *Duce Armoricæ Tribunum cohortis primæ novæ Armoricæ Grannonæ* in litore *Saxonico*. His utique ducibus quorum ditiones a *Ligeri* ad *Moſam* juxta mare procurrebant demandata erat cura, terra ubicunque opus foret *Comiti* prædicto auxi-

Selden. Mar. Clauſ. lib. 2. cap. 6. 7.

auxiliandi, qui *Comes* littoris *Saxonici* per *Britanniam* idcirco nuncupatus eſt, quia in hac inſula ſedem habuit, in qua maritima *Suſſexiæ Cantii*, *Eſſexiæ*, *Suffolciæ*, & *Norfolciæ* oppida ipſi paruerunt. *Vicarius* Britanniæ primus fuit *Pacatianus*, diſcedente ad bellum *Maxentianum Conſtantino*; cujus mater *Flavia Helena Auguſta* Britanniæ nobilis alumna (ut *Huntingdonenſis* ſcribit, qui paulo ante ipſam appellaverat, Filiam *Regis Britannici* de *Colceſtria* cui nomen erat *Coel*,) *Londoniam* muro qui adhuc ſupereſt cinxiſſe fertur et *Colceſtriam* mœnibus adornaſſe. Huic *Trevericam* nonnulli originem, alii *Bithynicam* aſtruunt; utramque vero opinionem ſatis refutavit *Uſſerius Reverendiſſimus*. *Judæis* et *Gentilibus* dictam eſſe per contemptum *Stabulariam*, ait *Camdenus*, quia præſepe, in quo Chriſtus jacuit, quæſivit, et ubi ſtabulum fuit, Eccleſiam fundavit; quod etiam ante eum in *Legenda Helenæ* tradidit *Capgravius*. Quæ de illa *Julianus Apoſtata* ac *Zoſimus* calumniantur, quaſi *Conſtantii* pellex non uxor extiriſſet, ex odio et livore conficta eſſe, ex *Aurelio Victore* et *Eutropio* liquet; *Conſtantium* et *Galerium* priora conjugia dirimere, uxoreſque repudiare, compulſos fuiſſe a *Diocletiano* et *Maximiano*

Henric. Hunting. lib. 1.

Uſſer. de Primord.

Aur. Vict. & Eutr.

miano, ut ductis eorum filiabus affinitate
314 illis conjungerentur, teſtantibus. Anno trecenteſimo decimo quarto habitum eſt *Arelatenſe* in *Gallia* Concilium ad cauſam *Donatiſtarum* cognoſcendam, cui interfuerunt ex *Britannia* *Eborius Epiſcopus Eboracenſis*, *Reſtitutus Epiſcopus Londinenſis*, *Adelphius Coloniæ Londinenſium* ſive *Colceſtriæ* (nam ea *Antonino* in itinerario *Colonia* appellatur) *Epiſcopus Sacerdos Presbyter* & *Arminius Diaconus*.
325. Undecimo poſt Anno in *Niceno* Concilio Oecumenico conſtitutum eſt *Paſchalis* obſervantiæ tempus & impia *Arianorum* hæreſis condemnata, *Britannis* etiam hic cum reliqua Eccleſia Catholica conſentientibus. Anno trecenteſimo triceſimo ſeptimo
337. *Conſtantinus* maximus obijt, diviſo tribus quos reliquit filijs imperio; nam *Criſpum* Cæſarem ex *Minervina* concubina ſuſceptum ipſe antea *Fauſtæ* conjugis inſtinctu perimi juſſerat. Ex his *Conſtantinus*, *Britanniam*, *Gallias* &
Aur. Vict. *Hiſpanias* obtinuit; quibus minime contentus, *Italiæq;* & *Africæ* inhians, dum latrocinij ſpecie, incautus fædeq; temulentus in aliena irruit tertio imperij anno a *Conſtantis* fratris ducibus prope *Aquileiam* obtruncatus eſt. Proinde ejus provincijs Conſtans potitur; & circa annum trecenteſimum

tesimum quadragesimum tertium, ipse fraterq; *Constantius* in *Britanniam* hyberno tempore navigantes rebellantium post occisum *Constantinum* juniorem *Britannorum* aquilonarium motus compescuerunt; unde sic eos affatur *Julius Firmicus*, Hyeme, quod nec factum est aliquando nec fiet, tumentes & sævientes undas calcastis Oceani *Britannici* sub remis vestris. Incogniti jam nobis pene maris unda contremuit & insperatam faciem imperatoris *Britannus* expavit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt. Concilio *Sardicæ*, ab eisdem Imperatoribus Coacto *Britannorum* Episcopos interfuisse, suoso; ad *Arianorum* condemnationem & *Athanasij* absolutionem calculos adjecisse, idem ostendit *Athanasius* sub initium secundæ suæ contra *Arianos* apologiæ. Circa hæc tempora *Gratianus Valentiniani* & *Valentis* pater cognominatus *Funarius*, ea re quod nondum adultus venalem circumferens funem, quinq; militibus eum rapere studio magno conatis nequaquam cessit, cum ob validi corporis robur & peritiam, militum more luctandi notior multis, post dignitatem protectoris atque tribuni, *Comes* præfuisset rei castrensi per *Africam*; (unde furtorum suspicione contactus digressusq;) pari potestate *Britannum* rexit exercitum, tandemq; honeste sacramento

Libanius in Basilico & Julius Firmicus de error. profan. relig. cap. 29.

343.

347.

Βρεττανίαν *Athanas. Græcolat. tom. 1. pag. 560 edit. commel. Amm. Marcel. lib. 30.*

ſacramento ſolutus revertit ad larem. Interim *Magnentius* cognomento *Taporus* patre *Britanno* inter *Lætos Galliæ* natus *Conſtantem* Imperatorem oppreſſit, atque intra triennium a *Conſtantio* debellatus & ad inferendam ſibi mortem adactus juſtiſſimas conjurationis pœnas exolvit. Complures infauſto ejus fato involuti ſunt, inter quos *Gratianus* procul a ſtrepitu agens, mulctatione bonorum afflictus eſt a *Conſtantio*, hoc nomine quod civili fragrante diſcordia, hoſpitio dicebatur ſuſcepiſſe *Magnentium*, per agrum ſuum ad propoſita, feſtinantem.

Idæm. lib. 14. In *Britanniam* quoq; miſſus *Paulus* notarius ut militares quoſdam perduceret auſos conſpitaſſe *Magnentio*, quum reniri non poſſent, his licentius ſupergreſſus, fluminis modo fortunis complurium ſeſe repentinus infudit. Et ferebatur per ſtrages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum affligens, & quoſdam obterens manicis, crimina ſcilicet multa conſarcinando a veritate longe diſcreta. Unde admiſſum eſt facinus impium, quod *Conſtantij* temporibus notam inuſſerat ſempiternam: *Martinus* regens illas provincias pro Præfecto, ærumnas innocentium graviter gemens, ſæpeq; obſecrans ut ab omni culpa immunibus parceretur, quum non impetraret, minabatur ſe diſceſſurum; ut ſaltem id metuens

metuens perquiſitor malevolus, tandem deſineret quieti coalitos homines in aperta pericula prolectare. Per hoc minui ſtudium ſuum exiſtimans Paulus, ut erat in complicandis negotijs artifex dirus, (unde & catena inditum ei eſt cognomentum) Vicarium ipſum eos quibus parſerat adhuc defenſantem, ad ſortem periculorum communium traxit. Et inſtabat ut eum quoq; cum tribunis & alijs pluribus ad comitatum Imperatoris vinctum perduceret Quo percitus ille, exitio urgente, abrepto ferro eundem adoritur *Paulum*. Et quia languente dextera lethaliter ferire non potuit, jam diſtrictum mucronem in proprium latus impegit, hocq; deformi genere mortis exceſſit e vita juſtiſſimus, remora auſus miſerabiles caſus levare multorum. Quibus ita ſceleſte patratis, *Paulus* cruore perfuſus, reverſus eſt ad principis caſtra, multos cooopertos pæne catenis adducens, in ſqualorem dejectos atque mæſtitiam; quorum adventu intendebantur eculei, uncoſque parabat carnifex & tormenta Et ex ijs proſcripti ſunt plures, actique in exilium alij, nonnullos gladij conſumpſere pænales. Anno trecenteſimo quinquageſimo nono convocata eſt, a *Conſtantio Ariminenſis* in 359.
Italia Synodus, qua miſſis per *Illyricum*, *Italiam*, *Africam*, *Hiſpanias*, *Gallias*, *Britan-*

niaſq; Magiſtris officialibus acciti aut coacti ſunt quadringenti & aliquanto amplius *Occidentales Epiſcopi*, quibus omnibus annonas et cellaria dare Imperator præceperat. Sed id *Aquitanis Gallis* ac *Britannis* indecens viſum, qui repudiatis fiſcalibus, propriis ſumptibus vivere maluerunt. Tres tantum ex *Britannia*, inopia proprii publico uſi ſunt, cum oblatam a ceteris collationem reſpuiſſent, ſanctius putantes fiſcum gravare quam ſingulos. Etſi autem hic Epiſcopi in *Arianum* dogma fuerant ſubacti opprimente *Conſtantio*; *Britannia* tamen reliquæque unde illi evocati ſunt Provinciæ ad annum trecenteſimum ſexageſimum tertium ab *Ariana* labe immunes perſtitiſſe cognoſcuntur, prout datæ tunc temporis ad *Jovianum* Imperatorem ab *Athanaſio* cæteriſque Epiſcopis omnium *Ægypti*, *Thebaidis* et *Libiæ* Epiſcoporum nomine congregatis literæ diſerte teſtantur. Anno proxime poſt *Ariminenſe* conſilium ſequente, *Conſtantio* decimum conſulatum gerente, *Juliano* tertium, in *Britannis* quum *Scotorum Pictorumque* gentium feroci excurſu, rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vaſtarentur, et implicaret formido Provincias præteritarum cladium congerie feſſas, hyemem agens apud *Pa-*

Sulpit. Stver. Hiſtor. Sacr. lib. 2.

Facund. Hermian. l. 5. c. 3.

riſios

riſios *Julianus Cæſar*, diſtractuſque in ſollicitudines varias, verebatur ire ſubſidio tranſmarinis, ne rectore vacuas relinqueret *Gallias*, *Alemannis* ad ſævitiam etiam tum incitatis et bella. Mittere igitur ad hæc loca ad rationes componendas *Lupicinum* placuit, ea tempeſtate *Magiſtrum armorum*, bellicoſum ſane et caſtrenſis rei peritum, ſed ſupercilia erigentem ut cornua, et de Tragico (quod aiunt) cothurno ſtrepentem; ſuper quo diu ambigebatur, avarus eſſet potius an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, *Herulis* ſcilicet et *Batavis*, numeriſque *Mæſiacorum* pluribus, adulta hyeme dux antedictus *Bononiam* venit, quæſitiſque navigiis, et omni impoſito milite, obſervato flatu ſecundo ventorum, ad *Rutupias* ſitas ex adverſo defertur, petitque *Londinium*, ut exinde ſuſcepto pro rei qualitate conſilio, feſtinaret ocius ad procinctum. At ubi *Julianum* exercitus *Auguſtum* ſalutaſſet, gerendumque videretur cum infenſo *Conſtantio* bellum civile; timebatur *Lupicinus*, licet abſens; eratque ſuſpicio, quod Homo ſuperbæ mentis et turgidus, ſi hæc trans mare didiciſſet, novarum rerum materias excitaret; ideoque Notarius *Bononiam* mittitur, obſervaturus ſollicite ne quiſquam fretum Oceani tranſire permitte-

mitteretur. Quo vetito reverſus *Lupicinus* antequam horum quicquam ſciret, nullas ciere potuit turbas. Per hæc tempora *Vicarius Britanniæ* fuit *Alypius Antiochenſis*, qui poſtea, *Juliano Auguſto* et *Saluſtio* conſulibus, inanem acceleran-

Idem lib. 13.

dæ templi *Hieroſolymitani* inſtaurationi operam impendit. Interea *Conſtantius* ex oriente adverſus *Julianum* movens procinctum, cum *Mopſueſtiam* in *Ciliciæ* confiniis ſitam perveniſſet, illic febri extinctus eſt; qui cum *Maximi* etiam agnomen æque ac Pater haberet, id vero a nonnullis minus diligenter obſervatum eſſet, hinc factum eſt ut apud *Julium Firmicum*, *Matheſeos libro primo capite quarto*, *Conſtantius Maximus divi Conſtantini* filius apud *Naiſum* genitus, in, *Conſtantinum Maximum Divi Conſtantii* filium apud *Naiſum* genitum, commutaretur, quaſi *Naiſus Conſtantini* patria fuiſſet, non *Conſtantii* quem tamen in *Illyrico* natum fuiſſe extra controverſiam ponit *Juliani* ſucceſſoris in ejus laudem oratio; *Naiſus* autem *Daciæ* urbs eſt et *Dacia* pars *Illyrici*. Qui vero *Tarſi* in *Bythinia Conſtantinum* eſſe natum contendunt, id depravato ejuſdem *Firmici* teſtimonio decepti faciunt, cum codices manuſcripti pro *Tarſo* hic *Naiſum* habeant. *Nicephori* quoque *Calliſti* fabellam

bellam de *Conſtantio Chloro* legationem a *Diocletiano* ad *Perſas* obeunte atque in itinere *Drepanum* divertente, ibidemque ex *Helena* (quam idcirco de regno *Perſarum* extitiſſe creditam refert *Gottefridus Viterbienſis*) *Conſtantinum* gignente, abunde ex temporis ratione refutavit *Baronius*. Sed hæc, occaſione mortis *Conſtantii* de ſua patriſque patria iſtic memorata ſufficiant. *Chebius Britannus Hilarii Pictavienſis* (cujus celebris apud *Britannos* fama) Diſcipulus hoc tempore floruiſſe fertur, qui poſtquam viginti annis inter *Cornubienſes* apud quos natus eſt, ſtudiis incubuiſſet, ac per alios quinquaginta annos apud magiſtrum prædictum commoratus eſſet, accepto per eum gradu Epiſcopali in patriam rediit *Menevíæque* aliquantiſper ſubſtitit, unde in *Hiberniam* trajiciens, conſtructa in quadam inſula Eccleſia, annis ibi quatuor manſit, ac demum cum diſcipulis ſuis secedens in *Mona* (quæ nunc *Angliſeia*) conſedit, a quo urbecula in promontorio *Sacro* ſita, urbs *Chebii* (*Britannice Caer Guby*) dicta, ut & alterum ejuſdem inſulæ promontorium ab ejus magiſtro *Hilario* denominatum eſt. *Baron. Annal. Tom. 3.*

364

Anno trecenteſimo ſexageſimo quarto *Picti*, *Saxones*, *Scoti* & *Attacotti Britannis* arma intulerunt, eoſque per annos *Amm. Marcel. lib. 26.*

ali-

aliquot ærumnis vexavere continuis, barbaricaque conſpiratione ad ultimam vexarunt inopiam, *Nectaridium* Comitem maritimi tractus occiderunt, & *Bulchobaudem* Ducem hoſtilibus inſidiis circumvenerunt. Quibus magno cum horrore compertis, *Valentinianus* Imperator *Severum* etiam tum domeſticorum Comitem miſit, ſi fors caſum dediſſet optatum, correcturum ſecius geſta; quo paulo poſtea revocato, *Jovinus* ad eadem loca profectus, Proventuſidem celeri gradu præmiſit, adminicula petiturus exercitus validi. Id enim inſtanter neceſſitates flagitare firmabant. Poſtremo ob multa & metuenda quæ ſuper eadem inſula rumores aſſidui perferebant, electus *Theodoſius* illuc properare diſponitur, officiis Martiis feliciſſime cognitus; adſcitaque animoſa legionum & cohortium pube, tendebat præ-
367 eunte fiducia ſpecioſa. Eo tempore *Picti* in duas gentes diviſi, *Dicaledonas* (rectius *Deucaledonas*) & *Vecturiones*, itidemque *Attacotti* bellicoſa Hominum natio, & *Scotti* per diverſa vagantes, multa populabantur. *Gallicanos* vero tractus *Franci* & *Saxones* iiſdem confines, quo quiſque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiiſque & captivorum funeribus Hominum violabant. Ad hæc prohibenda

Idem lib. 27.

benda ſi copiam dediſſet fortuna proſperior, orbis extrema dux efficaciſſimus petens, quum veniſſet ad *Bononiæ* littus, (quod a ſpatio controverſo terrarum anguſtiis reciproci diſtinguitur maris attolli horrendis æſtibus adſueti, rurſuſque ſine ulla navigantium noxa in ſpeciem complanari camporum,) exinde tranſmeato lentius freto, defertur *Rutupias* ſtationem ex adverſo tranquillam. Unde quum conſecuti *Batavi* veniſſent & *Heruli*, *Fovitique* & *Victores* fidentes viribus numeri, egreſſus tendenſque ad *Lundinium* vetus oppidum, quod *Auguſtam* poſteritas appellavit, diviſis plurifariam globis, adortus eſt vagantes hoſtium vaſtatorias manus, graves onere ſarcinarum. Et propere fuſis qui vinctos Homines agebant & pecora, prædam excuſſit, quam tributarii perdidere miſerrimi. Denique reſtituta omni, præter partem exiguam impenſam militibus feſſis, merſam difficultatibus ſuis antehac civitatem, ſed ſubito qua ſalus ſperari potuit recreatam, ovantis ſpecie lætiſſimus introiit. Ubi ad audenda majora proſpero ſucceſſu elatus, tutaque ſcrutando conſilia, futuri morabatur ambiguus, diffuſam variarum gentium plebem & ferocientem immaniter, non niſi per dolos occultiores & improviſos excurſus ſuperari poſſe,

poſſe, captivorum confeſſionibus et tranſfugarum indiciis doctus. Denique edictis propoſitis impunitateque promiſſa, deſertores ad procinctum vocabat, et multos alios per diverſa libero commeatu diſperſos. Quo monitu ut rediere plerique, incentivo percitus, retentuſque anxiis curis, *Civilem* nomine recturum *Britannias* pro præfectis, ad ſe popoſcerat mitti, virum acrioris ingenii, ſed juſti tenacem et recti; itidemque *Dulcitium*, ducem ſcientia rei militaris inſignem. Ipſe vero *Theodoſius* dux nominis inclyti, animi vigore collecto ab *Auguſta* profectus, quam veteres appellavere *Lundinium*, cum milite induſtria comparato ſolerti, verſis turbatiſque *Britannorum* fortunis opem maximam tulit, opportuna ubique ad inſidiandum barbaris præveniens loca, nihilque gregariis imperans cujus non ipſe primitias alacri capeſſeret mente. Hocque genere quum ſtrenui militis munia et præclari ducis curas expleret, fuſis variis gentibus et fugatis, quas inſolentia nutriente ſecuritate aggredi *Romanas* res inflammabat, in integrum reſtituit civitates et caſtra, multiplicibus quidem damnis affectas, quiete temporis longi fundata. Evenerat autem eodem hæc agente facinus dirum, erupturum in periculum grave,

Idem lib. 28.

ni

ni inter ipſa conatus principia fuiſſet extinctum. *Valentinus* quidam e *Valeria Pannonia* ſuperbi ſpiritus homo, ob grave crimen actus in *Britannias* exul, quietis impatiens maleſica beſtia, ad res perniciosas conſurgebat & novas in *Theodoſium*, tumore quodam, quem ſolum reſiſtere poſſe nefandis cogitationibus advertebat. Multa tamen clam palamq; circumſpiciens, creſcente flatu cupiditatis immenſæ, exules ſollicitabat & milites, pro temporis captu auſorum illecebras pollicendo mercedes. Jamq; propinquante tentatorum effectu, doctus hæc unde convenerat Dux alacrior ad audendum, & corde celſo ad vindictam compertorum erectus, *Valentinum* quidem cum paucis arcta ſocietate junctiſſimis, letali pœna plectendos *Dulcitio* dediderat duci; militari vero ſcientia qua ſuperabat præſentes, futura conjiciens, de conjuratis quæſtiones agitari prohibuit, ne formidine ſparſa per multos, reviviſcerent provinciarum turbines compoſiti. Hinc ad corrigenda plura converſus & neceſſaria, periculo penitus dempto, quum aperte conſtaret nulla ejus cæpta propitiam deſeruiſſe fortunam, inſtaurabat urbes & præſidiaria (ut diximus) caſtra, limiteſq; vigiliis tuebatur & prætenturis; recuperatamq; provinciam quæ in ditionem conceſſerat hoſtium,

ita reddidit ſtatui priſtino, ut eodem referente & rectorem haberet legitimum, & *Valentia* deinde vocaretur arbitrio Principis. *Areanos* genus hominum a veteribus inſtitutum paulatim prolapſos in vitia, a ſtationibus ſuis removit, aperte convictos, acceptorum promiſſorumq; magnitudine præmiorum allectos, quæ apud *Romanos* agebantur, aliquotiens barbaris prodidiſſe. Id enim illis erat officium, ut ultra citroq; per longa ſpatia diſcurrentes, vicinarum gentium ſtrepitus *Romanis* ducibus intimarent. Ita ſpectatiſſime antedictis rebus aliiſq; adminiſtratis, ad comitatum accitus tripudianteſq; relinquens provincias, ut *Furius Camillus* vel *Curſor Papyrius*, victoriis crebris & ſalutaribus erat inſignis. Et favore omnium aduſq; fretum deductus, leni vento tranſgreſſus venit ad commilitium Principis. Cumq; gaudio ſuſceptus & laudibus, in locum *Valentis Jovini* ſucceſſit, qui equorum copias tuebatur. Deinde *Fraomarium* Imperator, quia *Bucinobantum* (*Alemannicæ* contra *Mogontiacum* gentis pagum) cui eum ordinaverat Regem, recentes excurſus penitus vaſtaverant, in *Britanniam* tranſtulit, ac poteſtate tribuni *Alemannorum* præfecit numero, multitudine viribuſq; ea tempeſtate florenti. Jamq; erant in hac inſula quinq; *Romani* Imperij pro-

Idem. Am. Marcel. lib. 29.

Camden in Divis Brit.

provinciæ, quarum, quæ dicta eſt *Britannia prima* a Mari *Gallico* ad *Tamiſim* fluvium & *Sabrinæ* æſtuarium, *Britannia ſecunda* a *Sabrina* fluvio ad Mare *Hybernicum*, pertingebat, *Flavia Cæſarienſis* inter *Tamiſim Sabrinam* & *Humbrum* fluvios, *Maxima Cæſarienſis* inter *Humbrum* & *Adriani* murum, & *Valentia* (pars olim *Maximæ* borealior) inter *Adriani* & *Lollij Urbici* muros interiacebat. Ubi obiter notandum, quod cum in *Sexti Ruſi* (qui ſub initia *Valentiniani* ſenioris ſcripſit) breviario, provinciarum *Flaviæ* & *Maximæ* occurrant nomina, rectius exiſtimaſſe putandos eſſe, qui *Flaviam a Flavio Conſtantino*, *Maximam* a magnitudine, quam qui illam a *Flavio Theodoſio*, hanc a tyranno *Maximo* appellatas volunt. Anno trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, cum *Gratianus* Imperator legem tuliſſet, ut quiſq; libere quamcunq; religionem, quemcumq; cætum vellet, ſectaretur, exceptis *Manichæis*, *Photinianis*, & *Eunomianis*; *Ariana* hæreſis non ſolum Orientis & Occidentis partem maculavit, ſed & Meridianam et Septentrionis plagam, & ipſas inſulas ſua perfidia irretivit, interq; cæteras *Britanniam* in qua eouſq; manſerat *Chriſti* capitis membrorum conſonantia ſuavis; fratreſq; in unum habitantes, exitiabiliter ſejungi fecit; ac ſic quaſi via facta trans oceanum, omnes omnino beſtiæ feræ, mortiferum

378. *Socrat. lib. 5. cap. 2. Sozom. lib. 7. cap. 1. Joannes Antioch. in Chron.*

Joannes Biclar in Chron. Gildas in Epiſt.

cujuſlibet hæreſeos virus horrido ore vibrantes letalia dentium vulnera inſulæ infigebant.

Matth. Weſtm.

Anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto *Octavius* Rex *Britannicus* ſenio confectus, cum annos ſexaginta quatuor regnaſſet, defunctus erat, relicta filia unica *Helena*, quam ſibi connubio ſociaſſe *Clementem Magnum*, *Maximum* ſerunt *Britannici* ſcriptores. Tradunt iidem *Cœlum* & *Trahernum* reges, duos alios habuiſſe fratres *Leolinum* & *Marium*, & *Leolini* ex uxore *Romana* filium fuiſſe *Maximum*; quem in *Britannia* natum eſſe *Fabius Athervardus* atque Annales *Angloſaxonici* aſſerunt.

Socrat. lib. 5. cap. 11.

Idemque alii ex Eccleſiaſtica *Socratis* Hiſtoria colligere ſunt conati; *Britannicaque* plantationis germen a *Gilda* vocatur. In *Hiſpania* fuiſſe educatum conſtat, eoque egeſtatis quondam redactum, ut menſularium ſervilium ſtatarium lixam, patris incertum, ac patriæ fugitivum, qui tum vixit *Latinus Pacatus* illum diceret; armigerique lixæ & *Rutupini* latronis appellationem ei inureret *Auſonius Pacato* Coœtaneus. Sed hos ob *Gratiani* necem ei fuiſſe infenſiores pro comperto eſt. Fuerat ille *Theodoſii* Imperatoris ſub ejus patre in *Britannia* commilito, cujus etiam affinitate ſe jactavit, quod procul dubio facere erubuerat, ſi tam viliſſimo editus gene-

re

reextitiſſet. Variis militiæ gradibus præclare functus, regendo demum exercitui *Britannico* præficitur, & honorifico a *Sulpitio Severo*, *Oroſio* & *Beda* elogio ornatur. *Conanum Meriadocum* ſibi adverſari auſum fudit & in *Caledoniam* fugavit. Adeoque cum per tyrannidem oppreſſis *Britannis* ſumpſiſſet victoriam, a militibus Imperator eſt conſtitutus; annoque trecenteſimo octogeſimo ſecundo, ferentes *Conano* ſuppetias, ac ferociter regionem incurſantes *Pictos* & *Scotos* ſtrenue ſuperavit. Anno proxime ſequente cum *Gratianus* militum, prælatos ſibi *Alanos* ægerrime ferentium, animos irritaſſet, *Maximus* captata occaſione, exercitum ingenti *Britannicæ* juventutis multitudine auctum, in *Gallias* ad *Rheni* oſtia tranſmiſit, ubi a *Romanis* præſidiariis gratanter acceptus eſt. Cujus molimina Imperator parvi faciens, *Alanos* tantum conductitios ei oppoſuit, quod ubi pro inſigni ſibi injuria facta *Romani* interpretarentur, quaſi barbaros, aut fortitudine aut fide potiores, judicaſſet, hoſti ſe protinus adjunxerunt. Qui *Gratianum* defectione legionum graviter perculſum, atque in *Italiam* tranſire meditantem, Comitis *Andragathii* dolis circumventum juxta *Lugdunum* interemit. Inde, filio *Flavio Victore* appellato

Sulp. Sev. Dial. 2. Cap. 7. Oros. lib. 2. Cap 34. Bed. lib. 1. cap. 9. Gregor. Turon. lib. 1. cap. 38. (al. 43.) Itto Proſper in Chron. 382. 383.

Zoſim. lib. 4.

pellato *Cæsare*, *Ballione* ac *Meraubaude Gratiani* ducibus morte multatis, Imperii sedem *Treviris* statuit, *Britannisque* bene meritis *Brittiæ* insulæ *Batavicæ* partem haud exiguam concedit incolendam, priscis habitatoribus *Frisonibus* intra angustiores terminos coarctatis. Ejusdem insulæ partem *Angli* quoque postea sibi vindicarunt, ut ex *Procopio* colligitur de Oceano *Germanico* ita disserente, Βριττία δε ἡ νῆσος τούτου μεν τοῦ ὠκεανοῦ κεῖται τῆς ἠόνος οὐ πολλῷ ἀπόθεν, ἀλλ' ὅσον σταδίων διακοσίων, καταντικρὺ τῶν τοῦ Γήνου ἐκβολῶν μάλιστα. Βρεττανίας δε καὶ Θούλης τῆς νήσου μεταξύ ἐστιν. Ἐπεὶ Βρεττανία μὲν πρὸς δύοντα που κεῖται ἥλιον, κατὰ τῶν Ἱσπανῶν τὰ ἔχαταχώρας ἀμφι σταδίους οὐχ ἧσσον ἢ ἐς τετρακιχιλίους τῆς ἠπείρου διέχουσα. Βριττία δὲ ἐς τῆς Γαλλίας τὰ ὄπισθεν, ἃ δὴ πρὸς ὠκέανον τετραμμένα, Ἱσπανίας δηλονότι καὶ Βρεττανίας προς Βορρὰν ἄνεμον. Θούλη δὲ, ὅσα γε ἀθρώπους εἰδέναι, ἐς ὠκεανοῦ τοῦ πρὸς τῇ ἄρκτῳ τὰ ἔχατα κεῖται. Ἀλλὰ τὰ μεν ἀμφὶ Βρεττανίαν καὶ Θούλην ἐν τοῖς ἔμπροσθεν μοι λόγοις ἐῤῥήθη. Βριττίαν δε τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότατα ἔχουσι, Βασιλεύς τε εἷς αὐτῷ ἑκάστῳ ἐφέστηκε, καὶ ὄνομα κεῖται τοῖς ἔθνεσι τούτοις Ἄγγιλοι, Φρίσσονες, καὶ τε οἱ νήσῳ ὁμώνομοι Βρίττονες. Τοσαύτη δὲ ἡ τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι ξυν γυναιξὶ

Procopius lib. 4. de bello Goth.

γυναιξὶ καὶ παίσιν, εἰς Φράγγους χορεύσι. Οἱ δὲ ἀνοικίζωσι ἐς γῆς τῆς ἑφετέρας τὴν ἐρημότεραν δοκοῦσαν εἶναι. Καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαι φασίν. Ὥςε ἀμέλει ὁ πολλῶ πρότερον ὁ Φράγγων Βασιλεὺς ἐπὶ πρεσβείᾳ τῶν ὁι ἐπιτηδείων τινὰς παρὰ Βασιλέα Ιυςινίανον ἐς Βιζάντιον ςείλας ἀνδρας, αὐτοῖς ἐκ τῶν Ἀγγίλων ξυνέπεμπε, φιλοτιμούμενος, ὡς καὶ ἡ νῆσος ἥδε πρὸς αὐτοῦ ἄρχεται. *Brittia* autem inſula, in hoc Oceano non ultra ducenta ſtadia a littore jacet remota, e regione oſtiorum *Rheni*, media *Britanniam* inter & *Thulen*. *Britannia* enim ad occidentem ſita eſt, e regione extremæ *Hiſpaniæ*, haud minus quatuor ſtadiorum millibus a continente diſtans. *Brittia* vero, poſt Septentrionales, *Hiſpaniæ* ſcilicet & *Britanniæ* reſpectu, poſitas ad Oceanum *Galliæ* oras. At *Thule*, quantum ſciri hactenus potuit, in ultimis Oceani partibus ad aquilonem jacet. Sed de *Britannia* ac *Thule* jam ante diximus. *Brittiam* vero inſulam tres numeroſiſſimæ gentes incolunt, ſuis quæque regibus parentes. Suntque *Angli*, *Friſones*, & cognomines inſulæ *Britones*. Porro tanta Hominum videtur multitudine affluere, ut ſingulis annis quam plurimi exinde cum uxoribus liberiſque conſurgentes, ad *Francos* commigrent, qui in deſertiſſimis ſuæ regionis partibus eos collocant, ſuæque

que hinc ditionis eſſe inſulam obtendunt; ſicut haud ſita pridem, rex *Francorum*, miſſa *Byzantium* ad *Juſtinianum* Imperatorem legatione, *Anglos* aliquot cum ſuis miſit, ambitioſa quadam jactantia, quaſi hæc ipſi inſula eſſet ſubdita. Integrum hunc *Procopii* locum *Camdenus* ſi vidiſſet, *Brittiam Batavicam* noſtra cum *Britannia* minime confudiſſet. Interea *Maximus* ut *Galliæ* res componeret reinque pecuniariam conſtitueret, pacem cum *Valentiniano* juniore & *Theodoſio Auguſtis* pro præſenti compoſuit, & *Theodoſius*, *Maximo* collega & *Auguſto* appellato, etiam *Cynegio* prætorii præfecto in *Ægyptum* eunti mandavit, ut *Alexandriæ*, ejuſdem tanquam Imperii conſortis imaginem poneret. Fluentibus ad votum rebus, cauſis quoque Eccleſiaſticis ſe ingeſſit *Maximus*; a quo *Priſcillianus* hæreticus, qui ipſum appellaverat, multorum præterea maleficiorum convictus, capite plectitur, *Martino Turonenſi* fruſtra monente ut ſanguine abſtineret; *Inſtantius* & *Tiberianus* in *Syllinas* prope *Cornubiam* inſulas deportantur, aliique aliis ſupplicii generibus afficiuntur. Mox in *Italiam* irrumpens, relicto in *Gallia Victore* filio quem *Auguſti* dignitate jam ornaverat, *Valentinianum* cum *Juſtina* matre expulit, atque

Camd in Angloſax.

que ita extenſis alis, una (ut *Gildas* loquitur) ad *Hiſpaniam*, altera ad *Italiam*, *Africa* ſubinde in fidem ejus poteſtatemque ſe tradente, late imperabat. At *Theodoſius* duplici injuria, *Gratiani* cæde ac *Valentiniani* exilio accenſus, haud ultra armis abſtinendum ratus, utrumque vindicare ſtatuit, exercitumque ingentem, aſſumptis inſuper ad commilitium permultis *Getharum*, *Hunnorum*, *Alanorumque* millibus conflavit. Moto itaque verſus *Pannoniam* procinctu, *Valentinianum* navibus impoſitum cum *Juſtina* matre, datis qui tuto deducerent, in *Italiam* deſtinavit. Quod ubi *Maximus* comperit, qui motis *Aquileia* caſtris in *Pannoniam* jam proceſſerat, *Theodoſium* cum univerſis copiis ea ſubſecuturum arbitratus, præfectum *Andragathium* cum valida claſſe, iis, quibus *Alpium Juliarum* clauſtra prius cuſtodienda demandarat, militibus inſtructa, ad eos intercipiendos miſit. Quod tamen incaſſum ceſſit, cum *Valentinianus* ante ejus adventum ſinum *Jonium* trajeciſſet, & *Theodoſius* itinere terreſtri recta in hoſtem duceret. *Syſciæ* in *Pannonia* acerrimo prælio duces ſtrenuiſſimi conflixerunt, quo tanta mole pugnarunt *Theodoſiani* ut motos tandem loco *Maximianos* in fugam converterent; ex quibus qui in oppidum ſe receperunt, aut foſſas ca-

Latin. Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

daveribus oppleverunt, aut obviis ſe ſudibus induerunt, aut portas morte clauſerunt; quorum vero fugam inhibuit fluvius, ii trepidi & invicem complexi in gurgites ſe dejecerunt, quos inter abſorptus eſt illius expeditionis vexillifer, cujus cadaver inveniri non potuit. Victus *Patavionem* fuga petiit *Maximus*, quo frater ejus *Marcellinus* delectas ei in ſubſidium cohortes attulit, quarum ope alterum cum *Theodoſio* illic prælium conſerit. Edita utrinque cruenta ſtrage, fuſos iterum fugatoſque poſt longum certamen *Maximianos* nox victoribus ſubtraxit. Refugientem in *Italiam Maximum Theodoſius* propere inſectatus, in quaſdam hoſtium copias inter ſequendum incidens, veniam ſummiſſis vexillis ſuppliciter poſtulantes in fidem accepit, atque *Hemonam* civitatem ad *Alpium* radices ſitam, (quæ a *Maximi* militibus diu obſeſſa, ejus adventu liberata erat,) procedentibus obviam civibus, fere triumphabundus intravit. Superatis *Alpibus*, quarum (uti dictum eſt) clauſtra, amandatis ad expeditionem navalem præſidiariis, imprudentius *Andragathius* laxaverat, *Aquileiam* adveniens, magnum hoſtem ac trucem *Maximum*, & ab immaniſſimis quoque *Germanorum* gentibus tributa ac ſtipendia ſolo terrore nominis exi-

Oroſius.

exigentem ſine controverſia clauſit; & cum *Maximi* milites impetum victoris *Theodoſii* ſuſtinere non prævalerent, ipſum apprehendentes, vinctum ei protinus obtulerunt, cujus a miniſtris certio ab urbe lapide caput illi a cervicibus amputatum eſt. Percepta ejus clade; *Andragathius* Comes, *Gratiani* Imperatoris Occiſoris, acerbiſſima ſe paſſurum metuens, e navi ſe in mare præcipitem dedit. Nec laboranti *Maximo* opitulari poterant exercitus *Gallicani*, bellis *Francicis* impediti, quorum Duces *Nannienus* & *Quintinus*, quibus *Victoris* filii adoleſcentiam & *Galliarum* defenſionem commiſerat, collatis apud *Carbonariam* ſignis eximiam de hoſtibus Victoriam reportaverant; Quo ſucceſſu elatus nimium *Quintinus*, abnuente licet ac recedente *Moguntiacum Nannieno*, *Rhenum* tranſgreſſus a *Francis* metum ſimulantibus, inſidiis circumventus profligatur, *Heraclio Joviorum* tribuno ac pæne omnibus qui militibus præerant interfectis, effugium paucis nocte & ſylvarum latibulis tutum præſtantibus. At *Valentinianus Italia* recuperata *Arbogaſten* in *Galliam* mittit, a quo *Victor* levi dimicatione ſuperatus, compreſſus, atque interfectus eſt; ac proinde *Gallia* univerſa in fidem accepta, *Carietto* & *Syrus* in 388

Greg. Turon.

Nannieni & *Quintini* locum ſuffecti, cis *Rhenum* adverſus *Francorum* exercitum conſtitere. *Britannorum* vero in *Brittia* collocatorum pars, poſt antedictam *Nannieni* & *Quintini* Victoriam, in *Armoricam* tranſlata illic ſub *Conani Meriadoci*, qui ſe jam *Maximo* ſubmiſerat, regimine, inter congentiles ſuos, antea a *Conſtantio Chloro* & *Conſtantino* magno eo traductos, conſederunt. *Genebaldum Francorum* ducem a *Nannieno* et *Quintino* apud *Carbonariam* ſuperatum, *Galfridus, Fubaldum* appellat, nec victum modo ſed et occiſum perperam prodit. Atque de *Maximo Ambroſius*, Deſtitutus, inquit, eſt a ſuis, quod ante ipſos expeditionis dies, cum audiſſet, *Romæ* Synagogam incenſam, edictum ſtatim eo miſerat, quaſi vindex publicæ Diſciplinæ, cum dicerent, Rex iſte *Judæus* factus eſt, atque idcirco *Syſciæ* et *Pætovione*, atque ubique terrarum victus eſt. Poſt ejus mortem recepta eſt *Britannia* atque a *Chryſantho* Vicario adminiſtrata, quam militari robore ſpoliatam *Scoti* a Circio et *Picti* ab aquilone, Anno trecenteſimo nonageſimo tertio, *Theodoſio* Imperatore et *Abundantio* Conſulibus, vaſtarunt; qui cum diutius graſſarentur, atque appulſi navibus piraticis *Saxones* prædas agerent continuas, *Stilico*

Galfr. lib. 2. cap. 4.

393. *Florent. Vigorn.*

393.

(quem

(quem tutorem filio impuberi *Honorio* reliquit *Theodoſius* locata etiam ei filia *Honorii* patrui *Serena*,) *Victorinum Toloſanum* iſtuc miſit, qui hoſtes repulit, ac Provinciales adverſus *Pictorum Scotorumque* incurſiones munivit, *Romana* legione in limite ad eos propulſandos conſtituta. Præclara hujus facinora ipſi, qui eum miſerat *Stiliconi*, cujus ſcilicet auſpiciis geſta ſunt, Poeta tribuit *Claudianus*, *Britanniam* ita loquentem inducens,

Me quoque vicinis perennem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, *totam cum* Scotus Jernam
Movit, *& infeſto ſpumavit remige* Tethys.
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, *nec* Pictum *tremerem, ne littore toto*
Proſpicerem dubiis venientem Saxona *ventis.*

Claud. lib. 2. de laudib. Stilic.

Et *Stiliconis* virtuti deberi idem alibi ſcribit, *domito quod Saxone Tethys mitior*, *aut fracto ſecura Britannia Picto.* Atque hinc *Saxones* illo tempore non minus quam *Pictos* & *Scotos Britanniæ* infeſtos fuiſſe liquet, unde eidem Poetæ in Epithalamio *Palladii* & *Celerinæ* inter ſparſas Imperii *Romani* vires recenſetur ac communeratur in *Britannia*, *Qua Saxona frenat vel Scotum legio.* Sed æquior *Victorino* alter Poeta ita de ipſo canit,

Idem lib. 2. in Eutrop. Eunuch.

Con-

Rutilius Claudius Numatianus.

Conſcius Oceanus, virtutum conſcia Thule,
Et quæcunque ferox arva Britannus *habet.*
Qua Præfectorum vicibus frænata poteſtas,
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem diſceſſit in orbem,
Sed tanquam medio Rector in orbe fuit.
Plus Palmæ eſt illos inter voluiſſe placere,
Inter quos minor eſt diſplicuiſſe pudor.

Cum autem in *Italiam* irrumperet *Alaricus* legionem illam limitaneam extremis
402. prætentam *Britannis Stilico* revocavit, ejuſque ope *Gothos* tribus prœliis, *Aſte* ſcilicet, *Pollentiæ* & *Veronæ*, victos *Italia* exturbavit. Hiſce temporibus *Britanni Romam*, *Hieroſolymam*, & *Syriam*, inviſere ſolebant, inter quos *Pelagius* monachus magnæ aliquantiſper famæ fuit, donec hæreticum nominis ſui dogma, ut *Proſper* in *Chronico* ſcribit, contra gratiam *Chriſti*, *Celeſtio* & *Fuliano* adjutoribus, exereret.
405. Anno quadringenteſimo quinto, rurſus a *Scotis* & *Pictis* infeſtatos eſſe *Britannos*
406. in annalibus connacienſibus legimus, & ſequente anno *Vandali*, *Alani*, *Quadi*, *Marcomanni*, *Heruli*, *Gepidæ*, *Suevi*, *Alemanni*, *Burgundiones* & *Saxones*, pulſis qui occurrerant *Francis* ac trajecto *Rheno* in *Galliæ* ſe infuderunt, cuncta vaſtantes ac diripientes, quorum impetum in ſe veriti milites *Britannici*, ab

Hono-

Honorio desciscentes, alium sibi deligendum Imperatorem censuerunt. Adeoque Anno quadringentesimo septimo, *Honorio* septimum, *Theodosio* secundum consulatum gerente, seditione concitata, *Marcum*, qui præfuisse illis tunc temporis videtur, in regio solio collocabant, eique tanquam rerum in iis locis potienti parebant. Eo deinde necato velut illorum moribus non respondente, *Gratianum* municipem in medium producunt, & purpura coronaque cinctum ceu principem observantes comitabantur. Verum & huic improbato post menses quatuor imperium abrogant & vitam eripiunt; *Constantino* rerum summa tradita, quem etsi *Orosius* ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis electum scribit, *Procopius* tamen οὐκ ἀφανῆ ἄνδρα Haud obscurum ignobilemve virum appellat.

Zosim. lib. 6.
Sozom. lib. 9.
Procop. lib. 1. de bello Vand.

Ille igitur ubi *Justinianum* & *Neviogasten Celticis* militibus præfecisset, *Britannia* relicta in *Galliam* transmisit; quumque *Bononiam* venisset, & in ea dies aliquot fuisset commoratus, omnesque sibi conciliasset exercitus ad *Alpes* usque *Galliam* et *Italiam* disterminantes; (fugatis in *Italiam* Limenio præfecto prætorio *Galliarum* et *Cariabaude* magistro militum,) Imperium tuto jam possidere videbatur.

Zosim. lib. 6.

Eodem

Eodem tempore *Sarum Stilico* ducem cum exercitu contra *Conſtantinum* ablegabat. Is *Juſtiniano* duci cum copiis ſuis obviam profectus, tam ipſum quam majorem exercitus partem interfecit; et ingenti præda potitus, quod *Conſtantinum* intellexiſſet ſe recepiſſe *Valentiam* Urbem ad ſui defenſionem ſatis idoneam, hanc ipſam obſidere inſtituit. Alter copiarum dux *Neviogaſtes* cum *Saro* de pace collocutus, amice quidem ab eo fuit exceptus, ſed ultro citroque præſtitis Sacramentis confeſtim interfectus, religione jurisjurandi ab *Saro* violata. At ubi ducem *Conſtantinus* feciſſet *Edobichum* natione *Francum*, atque jam e *Britannia* cum ſuis *Gerontius* adventaret, *Sarus* horum ducum in re militari tum experientiam tum fortitudinem veritus, *Valentia* diſceſſit, quam ſeptem diebus obſederat. Quumque *Conſtantini* duces in eum maximis viribus procurriſſent, multo labore ſalvus evaſit; univerſalem prædam *Bagaudis* qui ad *Alpes* illi occurrerant largitus, ut ab eis adeundæ *Italiæ* facultatem impetraret. Quum *Sarus* hoc modo incolumis perveniſſet in *Italiam*, *Conſtantinus* univerſis collectis copiis, *Alpes* idoneo præſidio munire decrevit. Eæ tres omnino ſunt quæ in *Italiam* a *Celtis* atque inde ulterius ducentia itinera claudunt,

dunt, uidelicet, *Cottiæ*, *Peninæ*, *Maritimæ*. Hoc uti faceret ea cura quam diximus, causa quædam erat hujusmodi; *Vandali Suevis* et *Alanis* permisti superatis hisce locis nationes *Transalpinas* vastarunt, editaque ingenti cæde, *Britannicis* etiam exercitibus formidabiles extiterunt quos quidem eo pepulerunt, ut veriti ne ulterius progrederentur, ad tyrannos ut ante dictum est eligendos se converterent, *Marcum* inquam & *Gratianum*, & secundum hos *Constantinum*, adversus quem acri commisso prælio, victoria quidem *Romani* potiebantur, majore barbarorum parte jugulata, sed quod fugientes insecuti non essent, (omnes enim ad internecionem usque cecidisse poterant,) facultatem eis concesserunt, ut resarcita clade quam acceperant, & collecta barbarorum multitudine, rursus hosti pares evaderent. Itaque propter has causas præsidiarios in hisce locis *Constantinus* collocabat, ne isti liberum in *Galliam* aditum haberent. *Rhenum* quoque flumen præsidio muniit, quod a *Juliani* principis temporibus neglectum fuerat. Hoc modo rebus in *Gallia* constitutis, *Constantem* filiorum natu maximum, habitu *Cæsaris* ornatum in *Hispaniam* ablegat, tum ut dilataret Imperii limites, tum etiam ut *Honorii* pro-

pinquorum potentiam in eis locis excinderet. Metuebat enim ne quando coactis militum in ea regione copiis, ipſi quidem monte *Pyrenes* ſuperato ſe adorirentur, Imperator autem *Honorius* ex *Italia* miſſis exercitibus, undique circundato tyrannidem abrogaret. Itaque *Conſtans* in *Hiſpaniam* tranſibat, quum Ducem *Terentium* & *Apollinarem* Præfectum prætorio haberet, ac Palatinis etiam ordinibus magiſtratus tam civiles quam militares dediſſet. Atque his ductoribus copias in eos movit, qui genetis affinitate *Theodoſium* principem contingentes, *Hiſpanas* res conturbabant. Illi primo per *Luſitanicas* exercitus concitato adverſus *Conſtantem* bello, quum ab illo ſe vinci viderent, cum ſervorum & agricolarum multitudine hoſtem aggreſſi, parum abſuit, quin eum, graviſſimum in periculum conjicerent. Sed hic quoque ſpe ſua fruſtrati, a *Conſtante* cum uxoribus in cuſtodiam dati ſunt. Qua re fratribus eorum *Theodoſio* Lugodioque nuntiata, ille in *Italiam* ad *Honorium* Imperatorem profugit, hic in *Orientem* ad *Theodoſium* Imperatorem ſalvus evaſit. His rebus *Conſtans* in *Hiſpania* geſtis ad patrem *Conſtantinum* reverſus eſt, adductis ſecum *Vereniano* & *Didymio*, relictoque iſtic Duce *Gerontio*, qui cum *Gallicis* militibus ite[r]

illud

illud, quod e *Celtis* in *Hiſpaniam* ducit cuſtodiret, quanquam exercitus *Hiſpanici* hanc cuſtodiam ſibi pro more credi, nec regionis tutelam extraneis committi petiiſſent. Cæterum *Verenianus* & *Didymius* ad *Conſtantinum* perducti, mox interfecti ſunt. Secundum hæc Eunuchos ad *Honorium* mittebat *Conſtantinus*, ſibi condonari petens quod Imperium ſibi tradi paſſus fuiſſet. Non enim id ſe ſponte ſua rapuiſſe, ſed a militibus vi coactum. Hoc poſtulatum ubi Princeps audiviſſet, animadvertens non facile ſe, quamdiu militantes Regi *Gothorum Alarico* barbari non procul abeſſent, de bellis aliis cogitare poſſe, prætereaque rationem propinquorum *Verenioni* & *Didymii* habens quos a *Conſtantino* detineri putavit in vinculis, non poſtulato duntaxat aſſenſus eſt, ſed & imperatoriam veſtem ei miſit. Ac propinquorum quidem cauſa fruſtra ſollicitus erat, qui ante legationem hanc jugulati fuerant. His actis Eunuchos dimittit; quibus reverſis alter ad *Honorium* legatus a *Conſtantino* deſtinatur *Jovius*, vir eruditione Doctrinæ cæteriſque virtutibus excellens; qui pacem prius conſtitutam ratam haberi, prætereaque veniam ob interfectos *Honorii* propinquos *Didymium* & *Verenianum* poſtularet. Sic enim hoc

Idem. lib. 5.

Idem. lib. 6.

factum purgabat, ut diceret, non eo *Conſtantini* voluntate necatos eſſe. *Conſpicatus* autem perturbarum *Honorium*, recte factum ajebat, ſi curis *Italicis* occupatus, nonnihil remitteret. Quumque poteſtas ei facta fuiſſet ad *Conſtantinum* abeundi, & caſus *Italiam* prementes nuntiandi, non multo poſt venturum ſecum omnibus *Celticis* & *Hiſpanicis* & *Britannicis* copiis, atque rebus *Italicis* & Urbanis opem laturum pollicebatur. Ac *Jovius* quidem hiſce conditionibus abeundi copiam nactus eſt. Quum autem rurſus in *Hiſpaniam Conſtans* a patre mitteretur, *Juſtum* ſibi Ducem adjungebat, quo eadem offenſus *Gerontius*, conciliatis ſibi militibus eorum locorum, barbaros apud *Celtas* adverſus *Conſtantinum* excitat. Quibus ubi *Conſtantinus* reſiſtere non poſſet, quod major copiarum ipſius pars eſſet in *Hiſpania*, *Tranſrhenani* barbari cuncta pro libitu invadentes, eo tum incolas inſulæ *Britanniæ*, tum quaſdam *Celticas* nationes redegerunt, ut ab Imperio *Romano* deficerent, & *Romanorum* legibus non amplius obedientes, arbitratu ſuo viverent. Itaque *Britanni* ſumptis armis et pro ſalute ſua periclitati, civitates ſuas a barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totus ille tractus *Armoricus*, cæteraque

ræque *Gallorum* Provinciæ *Britannos* imitatæ, consimili se modo liberarunt, ejectis *Romanis* Præsidibus, et propria quadam republica ex arbitratu suo constituta. Et *Britannos* quidem ad hanc sui defensionem literis propriis cohortatus erat *Honorius*, atque a dominatione *Romana* liberos in posterum esse jusserat, cum bello *Gothico* laborans subsidia mittere implorantibus nequiret. *Franci Constantini* socordia moti, trajecto *Rheno Trevirorum* Urbem ipsius diu Imperii caput captam cum aliis compluribus oppidis diripuerunt; *Vandali* autem cum *Suevis* et *Alanis* ad *Pyræneum* profecti, adjuncto sibi *Honoriacorum* quos ibi *Constans* imposuerat præsidio, in *Hispaniam*, *Gerontio* cum iis sentiente, penetrarunt, *Constantinus* autem cum Diademate *Constantem* filium *cinxisset*, proque *Cæsare* dixisset *Augustum*, Imperio *Apollinari* abrogato, ejus loco alterum Præfectum prætorio creavit. Mox inani spe elatus se posse *Italiam* occupare, quod *Allobichus* summus *Honorii* Præfectus ejus partibus studeret, superatis *Alpibus Cottiis*, *Liberonam Liguriæ* civitatem adiit; cumque jam *Eridanum* transmissurus esset, inopinata morte *Allobichi* audita, converso statim agmine retrocessit, seque *Arelatum* recepit, ibidemque imperii sedem fixit.

Sozom. Hist. Eccl. lib. 9. Niceph. Callist. lib. 14.

fixit. Quam urbem a ſuo nomine *Conſtantinam* appellari, & in eadem conventus Provinciarum ſeptem agi præcepit. Eodem tempore *Conſtans* ejus filius ex *Hiſpania* profugiens redierat, metu barbarorum, qui multa præſidia multaſque urbes ibi ceperant, & cum his etiam nonnullos ejus præfectos. Porrò *Gerontius*, hoſtis *Conſtantino* factus, *Maximum* quendam, familiarem ſuum, quem ad tyrannidem accommodatum judicabat, Imperiali ornatu induit, ac *Tarracone* morari permiſit; ipſe vero exercitum adverſus *Conſtantinum* eduxit, eo propoſito, ut in tranſitu *Conſtantem Viennæ* commorantem conficeret. *Conſtantinus* igitur cum intellexiſſet id quod de *Maximo* actum erat, *Edobichum* ducem ſuum ad ulteriores *Rheni* partes miſit, ut *Francos* & *Alemannos* in auxilium vocaret, *Conſtanti* autem filio ſuo, *Viennæ* ac cæterarum ibi civitatum cuſtodiam commiſit. Sed eum *Gerontius*, in poteſtatem urbe dedita adductum, vita exuit; atque *Arelatum* caſtra movens civitatem oppugnavit. De hoc *Conſtante* prodit *Fornandes*, quod cum *Conſtantinus Gallia* occupatis invaſiſſet Imperium, hoſtes ejus contra eum ſævientes, filiumque illius regno privare cupientes, monachum fecerunt. Ipſe vero ſanus a *Gallia* revertens, ſtatim

Forn. de ſucceſſ. Regn.

ſtatim filium ſuum *Conſtantem* ex Monacho *Cæſarem* ordinavit. Et ſane *Conſtantem Monachum* fuiſſe, priuſquam *Cæſar* a patre crearetur, *Oroſius* & alii teſtantur. Non multo poſt exercitu *Honorii* adverſus *Conſtantinum* adventante, cui præerat *Conſtantius* comes, ſtatim fugit *Gerontius* cum paucis quibuſdam militibus; nam eorum plurimi *Conſtantio* ſe conjunxerant. Milites igitur in *Hiſpania Gerontium* ob fugam factam contemptu dignum rati, interficere ſtatuerunt, & concurſu facto domum ejus circumvallant. Ille vero cum *Alano* uno, neceſſario ſuo, pauciſque ſervis, ejaculatis deſuper ſagittis, ultra trecentos milites interficit; ſagittis tandem deficientibus ſervi aufugiunt, & clam ſeſe de domo illa demittentes evadunt. Ac *Gerontius* quidem, quamvis & ipſe eodem modo ſalvari potuerit, tamen *Nonnichiæ* Uxoris amore detentus noluit. Itaque cum milites ignem domo mane immiſiſſent, nullam habens deinceps ſpem ſalutis, *Alano* familiari ſuo volenti caput amputat, & deinde propriæ uxori quoque lamentanti, & ſeipſam cum lacrymis in gladium ingerenti, ac potius quam in alterius poteſtatem perveniat, una cum marito perire cupienti, & munus hoc ultimum ab eo

Sozom. lib. 9. & Niceph. Calliſt. lib. 14.

im-

impetrare flagitaret. *Gerontius* porro cum ſe tertio percuſſiſſet, nec tamen vulnus lethale accepiſſe ſenſiſſet, evaginato gladiolo quem femori alligatum habebat, ſibi ipſi cor tranſfixit. Conſtantinus autem, circumſidente adhuc *Honorii* exercitu, obſidionem tamen ſuſtinebat, quod illi nunciatum eſſet, *Edobichum* cum maximis ſuppetiis adventurum. Quæ quidem res & *Honorii* quoque duces non modice terrebat, ita ut in *Italiam* reverti, & illic bellum experiri vellent. Atque hoc ubi ſtatuiſſent, quia appropinquare jam nunciabatur *Edobichus*, *Rhodanum* fluvium trajiciunt; & *Conſtantius* ſecum pedites retinens adventantem expectat hoſtem. Sed *Ulphilas Conſtantii* præfectus, haud procul iſtinc in inſidiis cum equitibus latitat. Poſtquam igitur hoſtes cum exercitu *Ulphilam* prætergreſſi, pedem jam collaturi eſſent cum militibus *Conſtantii*, dato ſigno, repente prorumpens *Ulphilas*, hoſtes a tergo invadit. Et facta ſtatim ordinum perturbatione, alii diffugiunt, alii occiduntur; plurimi autem poſitis armis veniam precantur, & miſericordiam conſequuntur. *Edobichus* autem equo conſcenſo fugit in agrum quendam ad *Edicium*, qui plurimum fuerat ab ipſo conſecutus olim, quemque *Edobichus* ſibi ob

accepta

accepta beneficia amicum arbitrabatur. Atqui is caput ejus amputatum ducibus *Honorii* attulit, ſpe magnorum munerum ac dignitatum. *Conſtantius* autem caput quidem accipi juſſit, ac gratias *Ecdicio agi* reſpublicæ nomine, qui *Ulphilæ* officio functus eſſet. Sed cum in exercitu remanere vellet, eum excedere juſſit, nequaquam vel ſibi vel exercitui fauſtam fore ratus Hoſpitis tam ingrati præſentiam. Atque is quidem Hominis amici ac Hoſpitis in calamitatem de apſi impiiſſimam cædem auſus, in vanum, uti dici ſolet, hians receſſit. Poſt victoriam rurſus trajiciente *Honorii* exercitu ad civitatem, certior factus *Conſtantinus Edobichum* eſſe ſublatum, ipſe ſibi purpuram et imperii inſignia detrahit, et ad Eccleſiam confugiens ordinatur Presbyter. Tum accepto prius jurejurando, qui intra mænia erant, poſt obſidionem quadrimeſtrem, portas apperiunt ac veniam conſequuntur omnes. *Conſtantinus* autem una cum *Juliano* filio quem nobiliſſimum appellaverat. In *Italiam* tranſmiſſus, a ſatellitibus ab *Honorio* miſſis, capite ad amnem *Mincium* Anno quadringenteſimo undecimo plectitur. Dum *Arelatum* obſidet *Conſtantius*, apud *Arvernos Jovinus* vir nobilitatis ac potentiæ ſingularis, coacta inſigni popularium manu, *Auguſtalia* 411.

cepit inſignia, aſcitiſque *Francis*, *Burgundionibus* et *Alemannis*, *Ataulphum* quoque *Gothorum* regem ad ſocietatem pellicere conatus eſt, quod ne fieret, *Dardani Romani* nobilis induſtria effectum eſt. Illum *Conſtantius* profligatum Imperio exuit, et ſe *Valentiam* præcipiti fuga proripere cogit, quam *Gothi* mox effringunt ac tyrannum captum, paulo poſt ſecum in *Hiſpaniam* abducunt. Cujus frater *Sebaſtianus* tyrannidem arripiens fuſis a *Conſtantio* copiis interficitur, una cum *Saluſtio* et *Ruſtico* adjutoribus. Deinde *Maximus*, qui a *Gerontio* evectus ſe pro Imperatore in parte *Hiſpaniæ* geſſit, bello impetibus ab eodem *Conſtantio* expugnatur, captuſque quia humilitas Hominis nullam excitare invidiam poterat dimittitur. Compoſitos de *Gerontii* prædicti morte *Rhythmos Britannicos* etiamnum extare pervetuſtos, ſcripſit in ſuo de *Britannia* commentariolo *Humfridus Luddus*. Poſt *Conſtantini* mortem *Britanni* qui eum ſecuti erant ad concives ſuos in *Armoricam* ſe receperunt; ipſaque inſula *Romanæ* reipublicæ cella penaria, ubi *Romani* aliis bellis impliciti recuperare eam non poſſent, penitus amiſſa eſt, cum ultra quadringentos ſexaginta Annos a *Britannica Julii Cæſaris* victoria iſtic Imperaſſent

Procop. de bello Vandal. lib. 1. Beda lib. 1. cap. 11. Blond. Dec. 1. lib. 2.

ſent. Quo temporis ſpatio tantopere obtinuerat atque invaluerat *Romana* apud *Britannos* lingua, ut eam *Gildas ſuam* appellet, ipſaque *Britannia*, *Romana* inſula & *Romania* vocaretur. *Britanni* quanquam primitus ſtrenue hoſtibus repugnaſſent, tamen continue bellando facinati ſuccumbere tandem cæpetunt, quocirca Anno quadringenteſimo decimo octavo, 418. *Romani* qui in *Britannia* relicti ſuerant a barbararum gentium minis ſibi metuentes, magna Theſaurorum ſuorum parte in ſcrobibus occultata reliquam emigrantes in *Gallias* ſecum detulerunt. Floruere hoc tempore in *Britannia* Epiſcopi *Faſtidius* & *Ninianus*; quorum prior a *Gennadio Maſſylienſi Britannorum* vel (ut alia legunt exemplaria) *Britanniarum* Epiſcopus vocatur, unde *Britanniæ* primatem fuiſſe colligunt nonnulli. (Quod ſi concedatur, non ideo tamen *Londinenſis* (ut *Baleus* & *Pitreus* volunt,) ſed *Eboracenſis* Urbis *Epiſcopus* fuiſſe videatur, quam utique antiquam *Britanniarum Diœceſeos Metropolim* fuiſſe ſtatuunt *Uſſerius* & *Berterius*; non ſolum quod *Romana* eſſet *Colonia*, ſed etiam quod Imperatoris palatium & *Britanniarum* Prætorium illic fuerit, indeque apud *Spartianum* in *Severo* civitatis nomen κατ' ἐξοχὴν obtinuerit.) Scrip-

Annal. Saxon. & Athalvardus.

Gemn. Catalog. Scriptor. Eccleſiaſt.

uſſer. in Primord. & Philip. Berter. Pithoean. diatrib. 1. cap. 3. fin.

ſit ille ad *Fatalem* quendam de vita (ſeu de fide) *Chriſtiana* librum unum, & de viduitate ſervanda alium, ſana & integra utrumque Doctrina. Alter *Candida caſa* in *Gallovidia Epiſcopus*, auſtrales *Pictos* ad *Chriſti* fidem convertit. *Scotorum* vulgus hunc *Ringen* vocat. *Epiſcopali* demum *Sede*, ubi Eccleſiam de lapide, inſolito *Britannis* more fecerat, deſerta, ob importunam matris & conſanguineorum viſitationem, ut et ſibi & ſuæ quieti cum diſcipulis vacaret, *Hyberniam* petiit, ubi poſt multos annos in *Cœnobio* magno quod in loco *Cluayn Coner* dicto conſtituerat, tranſactos obiit. Ejus frater erat *Plebeius*, & ipſe *Sancti* appellatione ornatus. Anno quadringenteſimo viceſimo *Honorius Conſtantium placida* ſorroris virum in Imperii ſocietatem aſcivit, ejuſque imaginem ut moris erat ad collegam *Theodoſium* miſit, quam ille accipere noluit, patruique factum omnino improbavit. Cujus rei dolorem *Conſtantius* uſque adeo non tulit, ut ſexto poſt acceptum Imperium menſe, circa anni ſequentis initium, mœroris atrocitate confectus vita exceſſerit. Anno proximo *Maximus* & *Jovinus* tyranni, antea debellati, cum in *Hiſpania* rebus novis operam darent, ab *Honorii* ducibus *Caſtino* & *Bonifacio* compre-

Bed. lib. 3. cap. 4.

420.

421.

422.

prehenſi, *Honorii* triumphum adornabant. Eodemque Anno *Britanni Pictis* ab *Aquilone*, *Scotis* a *Circio*, ipſos ſolito acerbius longe calcantibus atque infeſtantibus diriſſimeque deprimentibus ſubjectione ſui promiſſa *Honorii* auxilium efflagitabant. *Pictos* iſtos *Gildas* vocat tranſmarinos, non quod extra *Britanniam* eſſent poſiti, ſed quia a parte *Britannorum* erant remoti, duobus ſinibus mari interjacentibus, (ut *Beda* loquitur,) quorum unus ab *Orientali* mari, alter ab *Occidentali*, *Britanniæ* terras longe lateque irrumpit. Hi erant *Glota* & *Bodotria*. *Honorii* igitur juſſu deſtinatur ab *Aetio* (qui *Gallicos* poſt *Conſtantium* exercitus rexit) legio, ſufficienter armis inſtructa. Quæ ratibus trans Oceanum in inſulam advecta, cum gravibus hoſtibus congreſſa, magnamque ex eis multitudinem ſternens, et omnes e finibus depulit, et ſubjectos cives tam atroci dilacerationi ex imminente captivitate liberavit. Quos juſſit conſtruere inter duo maria trans inſulam murum, ut eſſet arcendis hoſtibus a turba inſtructus terrori civibuſque tutamini. Qui vulgo irrationali abſque rectore factus, non tam lapidibus quam ceſpitibus, non profuit. Incepit autem duorum ferme millium ſpatio a *Monaſterio Abercorniæ* ad occidentem in loco

Beda lib. 1. cap. 12.

Gildas & Sigebertus Blondus dec. 1. lib. 2. Sabellicus Enead. 8. lib. 1.

loco qui ſermone *Pictorum Penvahel*, lingua autem *Anglorum Penneltum* appellatur, et tendens contra occidentem terminatur juxta urbem *Alcluith* quæ nunc *Britannodunum* dicitur. Sed illa legione domum cum triumpho magno et gaudio remeante, (quippe quæ non imperii ſed auxilii cauſa venerat,) priores inimici (ac ſi *Ambrones* lupi profunda fame rabidi ſiccis faucibus ovile tranſilientes, non comparente paſtore,) alis remorum remigumque brachiis, ac velis vento ſinuatis, terminos rumpunt, cæduntque omnia, et quæque obvia, ſeu ſegetem maturam metunt, calcant, tranſeunt. Iterumque mittuntur queruli legati ſciſſis (ut dicitur) veſtibus, operiſque ſabulo capitibus, implorantes a *Romanis* auxilia. *Aetius* igitur *Valentiniani* tertii juſſu *Gallionem Ravennatem* cum alia legione miſit, qui tempore autumni advenientes inopinatos primum, tandem terribiles, inimicorum anniverſarias prædas agentium cervicibus mucronum ungues infixere atque ingentem ſtragem peragentes, e *Britannorum* finibus ſtrenue fugarunt. Exinde *Romani Britannis* denuntiantes, nequaquam ſe tam laborioſis expeditionibus poſſe frequentius vexari, et ob imbelles erraticoſque ratrunculos *Romana* [ſtigmata ſunt

425. *Gildas Beda lib. 1. cap. 12. Blondus ibid. Sabell. ibid.*

426.

ſigna

ſigna victricia *Gloſſ.* ſtigmata, ac talem tantumque exercitum terra ac mari fatigari; ſed ut potius ipſi conſueſcendo armis ac viriliter dimicando, terram, ſubſtantiolam, conjuges, liberos, et (quod his majus eſt) libertatem vitamque totis viribus vindicarent, et gentibus nequaquam ſe fortioribus, (niſi ſegnitia et torpore diſſolverentur) inermes vinclis vinciendas nullo modo, ſed inſtructas peltis, enſibus, haſtis, et ad cædem promptas protenderent manus, ſuadentes; murum (quia et ex hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi accreſcere) non de ceſpitibus ut alterum, ſed ſumptu publico privatoque, adjunctis ſecum miſerabilibus indigenis, tramite a mari uſque ad mare inter urbes quæ ibidem forte ob metum hoſtium collocatæ fuerant, ubi et *Severus* quondam vallum fecerat, firmo de lapide, octo pedes latum et duodecim altum conſtruxerunt. Neque eſt cur hos *Britannos* quod circiter centena paſſuum millia retro cederent, relictoque loco totius inſulæ anguſtiſſimo eoque munitioni maxime accommodato alium eligerent in quo murus prope triplo productior eſſet ex neceſſitate ſtatuendus; mentis ſuæ minus compotes (cum *Uſſerio*) judicemus, quam *Severum* ipſum atque etiam *Adrianum* qui idem

idem antea fecerant. Siquidem niſi hoc ipſo in loco poſitum fuiſſe hunc murum cum *Beda* & *Camdeno* ſentiamus, reliquamque regionem inter iſtum murum lapideum & antedictum ceſpititium ſitam præſidiis & caſtellis (ut ante ſub præfatis Imperatoribus) defenſam exiſtimemus; quo pacto hoſtes poſtea omnem aquilonalem uſque ad *Murum* inſulæ partem capeſſiſſe dicerentur, cum omnes ultra *Lollii Urbici Prætenturam* terras multo ante tempore poſſediſſent, nullus video. Fortia deinde formidolo populo monita *Romani* tradunt & exemplaria inſtituendorum armorum relinquunt. In littore quoque Oceani ad Meridianam plagam, quo naves eorum habebantur (quia & inde barbaricæ infeſtationes timebantur) turres per intervalla ad proſpectum maris collocant; & valedicunt, tanquam ultra non reverſuri. Poſt iſta præclare adminiſtrata, *Gallio* & *Mavortius* cum *Sinnoce* contra *Bonifacium* in *Africa* rebellantem miſſi, profligatis in ipſa excenſione (*Sinnocis* proditione) copiis, Anno quadringenteſimo vicefimo ſeptimo, interfecti ſunt. Anno quadringenteſimo vicefimo nono *Agricola Pelagianus Severiani* Epiſcopi *Pelagiani* filius, Eccleſias *Britanniæ* dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Verum *Britanni*

427.

429.

tanni cum neque ſuſcipere dogma perverſum, gratiam *Chriſti* blaſphemando; ullatenus vellent, neque verſutiam neſariæ perſuaſionis refutare ſufficerent, inveniunt ſalubre conſilium, ut a *Gallicanis* antiſtitibus auxilium belli ſpiritualis inquirant. Quin & *Papa Celeſtinus* ad actionem *Palladii Diaconi*, eorum cauſam ſibi propugnandam ſuſcipit; ejuſque interventu, *Synodus* numeroſa in *Gallia* collecta eſt; ubi omnium judicio duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur Epiſcopi *Germanus Altiſiodorenſis* & *Lupus Tricaſſinus*, qui adhortante inſuper *Celeſtino*, ſeſe protinus itineri capeſſendo accinxerunt, temporibuſq; hybernis in *Britanniam* transfretarunt. Mox ſynodo *Verolamii* collecta, *Pelagianorum* coryphæos divinorum teſtimoniorum authoritate confutarunt. Finita diſputatione *Germanus Sancti Albani* ſepulchrum recluſit, depoſitiſque illic omnium Apoſtolorum diverſorumque martyrum quas ſecum attulerat reliquiis, de loco ipſo ubi beati martyris effuſus fuerat ſanguis, maſſam pulveris adhuc rubentem ſecum portaturus abſtulit. Inde ſermonem divinum non ſolum in Eccleſiis, verum etiam per trivia, per rura, per devia diffundentes, in *Cambriam* concedunt, ubi

Conſtantius de vita Germani apud Surium tom. 4. Jul. 31. & Beda lib. 1. cap. 17. 430

Benlium Poviſiæ regulum hoſpitio præſules excipere renuentem, fulmine, palatio conflagrante, periiſſe, & ſubulcum nomine *Cadellum* qui palatio excluſos in tugurium ſuum introduxerat ac benigne tractaverat, regno jubente *Germano* admotum fuiſſe, *Nennius* aliique tradunt. Jamque *Picti* ac *Scoti* ſolito confidentiores quod *Romanos* haud amplius redituros noſſent, arma rurſus in *Britannos* Anno quadringenteſimo triceſimo primo capeſſunt, partemque inſulæ *Borealem* ſibi muro tenus vindicant, quem etiam perrumpentes in loco *Anglice Thirlwall* dicto, cum uncinatis telis comprenſos ſolo alliſiſſent trepidos propugnatores, diriſſimam graſſatione adorſi, miſerrimos cives urbibus derelictis confugere ad ſolitudines coegerunt. Progreſſique *Picti* adjuncto ſibi *Saxonum* piratarum agmine, qui eadem prædæ cædiſque aviditate rapti illo tempore appulerant, in agrum *Flintenſem* irruperunt. Agebant ibi dies quadrageſimales præclari antiſtites, populoque catervatim confluenti, Sacramentum Baptiſmi, diu ut videtur propter ingruentes turbas intermiſſum, adminiſtrarunt. Horum open *Britanni* ſuppliciter expoſcebant quorum utique precibus vinci poſſe hoſtes confidebant. *Eccleſia* ad diem reſurrectionis *Domi-*

431.

nicæ

nicè contexta frondibus componitus & in expeditione campeſtri inſtar civitatis aptatur. Baptizati in præterlabente fluvio *Aleno* milites *Britannici*, hoſtium adventum in loco qui exinde, *maes Garmon*, id eſt, Campus *Germani* dicebatur, juxta oppidum *Cambrice Guid Cruc*, *Anglice Mold* appellatum præſtolantur. *Germanus* qui juvenili ætate militiæ operam dederat, ducem ſe prælii profitetur, eligit expeditos, circumjecta percurrit; & e regione qua hoſtium expectabatur incurſio, vallem circumdatam editis montibus intuetur, quo in loco novum componit exercitum, ipſe dux agminis. Et jam emenſa ſolennitate Paſchali, aderant *Picti* & *Saxones* quos appropinquantes proſpexerant exploratores. Cum ſubito *Germanus* ſignifer univerſos admonet & prædicit ut voci ſuæ cum clamore reſpondeant. Securiſque hoſtibus qui ſe improviſos adeſſe confiderent, *Alleluja* tertia repetitum *Sacerdotes* exclamant. Sequitur una vox omnium, & elevatum clamorem repercuſſo aere montium incluſa multiplicant. Quo clamore *Picti Saxoneſque* conſternati & auxiliarem alicunde exercitum adveniſſe rati, fugæ ſeſe præcipiti dederunt atque arma projecerunt, complures etiam flumine abſorpti perierunt. Parta inſigni Victoria

Germanus & *Lupus* in *Galliam* revertuntur.

Cæterum verſis ad ſocordiam *Britannis* parum profuit *Adorea Allelujatica*; & *Picti* viribus recollectis ingentia una cum *Scotis* diſpendia iis intulerunt, eoque demum miſeriæ prædando continenter & graſſando redegerunt, accedente etiam fame graviſſima ut aut latrociniis aut venationibus cibum quæritare neceſſum haberent. Interea hoc anno quo præſules victores redierunt, ad *Scotos* in *Chriſtum* credentes ordinatus a *Papa Celeſtino* antedictus *Palladius Epiſcopus* in *Hyberniam* miſſus eſt, quem *Britannum* fuiſſe ſcribit *Antonius Poſſevinus* in apparatu ſacro; pro quo & notula illa marginalis facit quæ ad chartam *Patricio* triburam (in *Gulielmi Malmeſburienſis libro de antiquitate Glaſtonienſis Eccleſiæ MS. in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ*) *manu ſatis antiqua* eſt oppoſita de *Celeſtino & Hybernia*, eodem anno vel præcedente miſit idem Papa ad prædicandum ibidem virum nomine *Palladium Britannicum* genere; ſed idem cito repatriavit ſine ullo effectu. Ille in *Lageniam* veniens cum duodecim aliis, paucos eo in loco Sacri Baptiſmatis lavacro abluit, & tres fundavit *Eccleſiolas*, quibus diſcipulos ſuos *Auguſtinum*, *Benedictum*

Proſp. Chron.

Script. vitæ Patricii.

ſium, *Sylveſtrum* & *Solonium* præfecit. At cum illius gentis regulus *Nathius Garcenii* filius ei adverſaretur, immiteſque & feri Homines Doctrinam ejus recipere nollent, in *Albaniam* inde profectus, *Servanum* & *Tervanum* ordinaſſe *Epiſcopos*, brevique poſtea *Forduni* in *Mernia Pictorum* Provincia vitam cum morte commutaſſe dicitur. *Scotorum* vulgus hunc, *Sanctum Pad* appellat. Anno quadringenteſimo triceſimo ſecundo, *Celeſtinus Papa* audita morte *Palladii*, miſſum a *Germano Altiſiodorenſi Patricium* conſecravit *Epiſcopum* & in *Hyberniam* deſtinavit, a quo tota fere inſula ad *Chriſti* fidem converſa eſt. Unde *Proſper* de *Celeſtino* præclaram tam *Britanniæ* quam *Hyberniæ* operam navante, nec ſegniore, inquit, cura ab hoc eodem morbo (*Pelagiano*) *Britanniæ* liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani; & ordinato *Scotis Epiſcopo*, dum *Romanam* inſulam ſtudet ſervare *Catholicam*, fecit etiam barbaram *Chriſtianam*. Primum hoc anno conſulatum cum *Valerio* geſſit *Aetius*, eo *Placidiæ Auguſtæ* conſilio deſignatus, ut e *Gallia* ad urbem procul ab exercitu revocatus, *Magiſterio militum* facilius exueretur quam ea dignitatem

232.

Proſper contra collator. cap. 41.

Marcellinus comes & Idatius.

tem accerſito ex *Africa Bonifacio* contulit. Qui reſiſtentem ſibi conſulem depulit. Sed *Aetius* ægre ferens ereptam ſibi poteſtatem inimico ſuo capitali impertitam, cum iis quos in promptu habuit amicis, prælii fortunam adverſus *Bonifacium* copiis *Italicis* ſtipatum experiri auſus eſt. In quo, longiore *Bonifacii* telo pridie ſibimet in id præparato *Bonifacium* congredientem vulneravit illæſus. Tertioque poſt menſe *Bonifacius* vulnere quo ſauciatus fuerat emoritur; *Pelagiam* uxorem ſuam valde locupletem, nulli alteri niſi *Aetio* ut nuberet exhortans. Deinde *Aetius* cum ſibi privatam ruri vitam degenti inimicum quendam inſidiari ſenſiſſet, ad *Hunnos* ſe contulit, quorum auxilio pacem principum & jus interpolatæ poteſtatis pulſo *Bonifacii* genero ac ſucceſſore *Sebaſtiano* obtinuit; factuſque *Patricius*, in *Gallias* ad exercitum rediit. Idem ſecundum cum *Sigiſvultio* conſulatum *Anno quadringenteſimo triceſimo ſeptimo*, tertiumque cum *Symmacho* *Anno quadringenteſimo quadrageſimo ſexto* geſſit, qui fuit *Theodoſii* junioris ab *Honorii* exceſſu viceſimus tertius. Tunc diuturno bello fatigati *Britanni*, lugubres haſce ad eum literas mittunt. *Aetio ter Conſuli* gemitus *Britannorum*; repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barba-

446.

barbaros inter hæc duo genera funerum, aut jugulamur aut mergimur. Illum vero quo minus inſulanis miſeris ſuccurreret, *Hunnici* belli apparatus diſtinuit. Interea fames dira ac famoſiſſima (cujus etiam *Conſtantinopolim* invadentis meminit *Marcellinus comes*,) profugos *Britannos* infeſtat; qua coacti quidam hoſtibus dedere manus; alii de montibus, ſpeluncis ac ſaltibus ſtrenue repugnabant, ac ſtrages hoſtibus dabant. Revertuntur *Scoti* (*Hyberni Gildæ* appellati) domum, poſt non multum tempus reverſuri; *Picti* in extrema parte inſulæ tunc primum & deinceps ab immanibus vaſtationibus ſuperſedentes requieverunt. Ergo ut in commune poſtea conſulerent, junctiſque viribus hoſtem fortius propulſarent, *Vortigernum Eniſſeorum* regulum maximæ apud ipſos potentiæ virum *Britanni* monarcham creant, ſubſtratis, ut *Malmesburienſis* loquitur, illius Imperio reliquis inſulæ regulis. Fuit certe ille vitiis compluribus infamis quæ tamen filiorum fortiſſimorum virtutibus quodammodo compenſari videbantur; quorum præſertim ſtrenuitate proculdubio ſtrages prædictæ hoſtibus datæ fuerant. Quieſcente igitur vaſtitate, tantis abundantiarum copiis inſula affluebat, ut nulla habere tales retro ætas meminiſſet, cum quibus

Gildas & Beda lib. 1. cap. 14.

Matth. Flovilgus.

Gildas.

quibus omnimoda etiam luxuria crevit, non ſolum vero hoc vitium, ſed & omnia quæ humanæ naturæ accidere ſolent, & præcipue odium veritatis cum aſſertoribus, amorque mendacii cum ſuis fabricatoribus; & *Pelagiana* perverſitas iterato dilatari cæpit; (erumpente quoque rurſus juxta nonnullos *Ariana*;) Iterum ad *Germanum* preces omnium deferuntur, ut cauſam dei quam prius obtinuerat tutaretur, qui aſſumpto ſecum Diſcipulo ſuo *Severo Trivirorum Epiſcopo* in *Britanniam* venit, ac benedictionem & Sermonis divini Doctrinam profundit; populum in *Catholica* fide perſtare, culpam eſſe paucorum intelligit. Inquiruntur plotinus auvbores, inventique condemnantur. *Elaphii* vir primarii filium claudum *Germanus* ſanat, convocata in *Silvia Synodo*, *Vortigernum* regem ob inceſtas cum filia nuptias, haud dolentem, ſed indignantem calumniaſque intorquentem, cum eadem ſceleſta filia Eccleſiæ communione privat. At *Vortimarus* regis primogenitus, patris ac ſororis improbitatem averſatus, terram ipſam in qua Epiſcopus opprobrium ſuſtinuerat, ipſi donavit, unde *Britannice Guarthenniam*, id eſt, calumnia juſte retorta, vocabatur. Hodie *Gurthrenion* dicitur, eſtque in *Radnorienſi Comitatu*. Adductos deinde

Conſt. Beda lib. 1. cap. 21.

448.

Nennius.

deinde *Pelagianæ* pravitatis auctores, ſecum trans mare rediens deportavit, ut & regio abſolutione & illi emendatione fruerentur. *Britannis Armoricanis* a *Maximi* tempore, *Conanus* filiuſque *Grallo* cum aliquali regiminis ſpecie ſub *Romanis* præfuerant, ſed ultimo *Conſtantino* rerum in *Gallia* potiente, *Salomonem Grallonis* filium ſibi regem creantes, ab Imperio *Romano* ut diximus defecerant. Iſtos *Procopius Arboricos* pro *Armoricis* appellat. Irritatus ab his *Aetius* ferociſſimum *Alemannorum* regem *Eucharicum* pænas ſumpturum immiſerat. *Britanni Armoricani* illum formidantes, *Germanum* ut has componeret turbas exorant, qui *Eucharico* rem ad *Aetium*, *Aetio* ad Imperatorem rejiciente, in *Italiam* proficiſcitur, & a *Valentiniano* ac *Placidia* honorifice exceptus pacem impetraſſet, ni motus novos exciviſſent *Armorici*. Interim *Germanus* ſenio confectus *Ravennæ* vita exceſſit, cujus corpus in *Galliam* reportatum *Altiſiodori* ſepultum eſt. *Britanni* autem iſti irrumpente poſthac in *Galliam* *Attila*, *Aetio* conciliati auxilio adfuere. At *Britannis* inſulanis ſparſus de ſubito veterum hoſtium adventu rumor terrorem incutit; & ſubſecuta peſtis tantam eorum brevi ſtravit multitudinem ut ſepeliendis *Conſt.*

mortuis vivi non ſufficerent. Sed ne morte quidem ſuorum, ut inquit *Beda*, nec timore mortis hi qui ſupererant, a morte animæ qua peccando ſternebantur revocari poterant. Initur itaque conſilium, quid optimum quidve ſaluberrimum ad repellendas tam ferales & tam crebras ſupradictarum gentium irruptiones prædaſque decerni deberet. Tum omnes conſiliarii una cum ſuperbo tyranno [*Vortigerno*] cæcati, *Saxones* quos propenſius morte cum abeſſent tremebant ſponte invitabant, ut acceptis in inſula ſedibus, & ipſi hoſtilia exuerent & *Pictos Scoticoſque* graſſatores cohiberent. At ne quis cum *Joanne Majore Scotico* ſcriptore miretur, *Britannos* gentibus haud adeo validis ſuſtinendis impares fuiſſe; notandum eſt, præter abductas a *Conſtantio* & *Conſtantino* colonias; *Maximum Britanniam* ingenti juventute & omni fere armato milite ſpoliaſſe, militaribus inſulæ copiis quæ nunquam poſtea redierunt, ſecum in *Galliam* tranſvectis; & *Conſtantinum* quicquid a *Maximo* in *Britannia* relictum fuerat militaris roboris exhauſiſſe. Quinetiam ex antiquis inſcriptionibus & notitia Provinciarum, hi qui ſequuntur militum numeri a *Romanis* in *Britannia* conſcripti ſemperque ſuppleti, & per Imperii Pro-

Gilda.

Guil. malm. lib. 1.

vin-

vincias diſtributi a *Camdeno* obſervantur. *Ala Britannica Milliaria*, *Ala quarta Britonum* in *Ægypto*, *cohors prima Ælia Britonum*, *Cohors tertia Britonum*, *Cohors ſeptima Britonum*, *Cohors viceſima ſexta Britonum* in *Armenia*, *Britannıciani* ſub *Magiſtro peditum*, *invicti juniores Britannıciani*, & *Exculcatores juniores Britan.* inter *auxilia Palatina*, *Britones* cum *Magiſtro equitum Galliarum*, *invicti juniores Britones* intra *Hiſpanias*, & *Britones ſeniores* in *Illyrico*. Accerſiti autem *Saxones* tribus *Cyulis* ſive longis navibus, ſecundis velis (omine auguriiſque quibus vaticinabantur certo apud eos præſagio, quod *ter centum annis* patriam cui proras librabant inſiderent, *centum vero quinquaginta*, hoc eſt, dimidio temporis ſæpius vaſtarent) evecti, primum in *Orientali* parte inſulæ, jubente infauſto tyranno [*Vortigerno*] terribiles infixere ungues, quaſi pro patria pugnaturi, ſed eam certius impugnaturi. Igitur impugnati atque etiam expugnati *Britanni*, parte inſulæ longe potiore cedentes, ſeſe in *Cumbriam*, *Cambriamque*, *Danmoniam* & *Armoricam* regiones natura munitas receperunt, & conſtitutis ibidem ſibi regibus, circumfuſos undique hoſtes pro virili propulſarunt. *Camd.* *Gild.* 449.

Poſt *Cimbros Gothica* tres gentes variis diſtinctæ nominibus, ſcilicet *Picti*, *Scoti* & *Futæ* ſedes ſibi diverſis temporibus in *Britannia* vendicarunt. Ad quos referendus eſt ille *Beliſarii* apud *Procopium* ſermo

Procop. de bello Gothico lib. 2.

Ἡμᾶς δὲ Γότθους Βρεττανίκην ἄλλην ξυγχωρῆσαι ἔχειν, μείζω τὸ παραπλὺ Σικελίας ὄσαν, καὶ Ῥωμαίων κατήκοον τὸ ἀνέκαθεν γεγενημένην, Nos item *Britanniam Gothos* habere ſibi permittimus, *Sicilia* multo majorem, & *Romano* quondam Imperio ſubjectam. *Japeti*, *Gomari* & *Aſcanis* prolem eſſe gentes *Gothicas* diſerte perhibet *Euſebius*, qui latiore nomen illud ſenſu accipere, ſub eoque gentes omnes *Cimmerias* (vel *Cimbricas*) & *Germanicas*, quarum *Gothi* pars erant, comprehendere videtur. Et quidem *Japeto* oriundos eſſe *Gothos* *Antiqua Chronica Sueogothica* confirmant. Quod autem *Ericus Vanie* Rex atque alii *Suecici Gothicique* ſcriptores eum ſecuti *Magogum* non Gomarum gentis conditorem conſtituunt, ab iis certe illud hauſerunt, qui, *Gothis* in *Italiam* irrumpentibus eamque diripientibus, furentis *Gog & Magog* tempora adeſſe, finemque mundi inſtare opinabantur, quos inter *Ambroſius*, *Gog* iſte, inquit, *Gothus* eſt quem jam exiiſſe videmus. Aliter vero ſenſiſſe & *Hieronymum* et *Auguſtinum*

Euſeb. in Chron.

ſtinum conſtat; quorum prior, ſcio, inquit, quendam *Gog* et *Magog* tam de præſenti loco quam de *Ezechiele* ad *Gothorum* nuper in terra noſtra vagantium hiſtoriam retuliſſe, quod utrum verum ſit prælii ipſius fine monſtrabitur, et certe *Gothos*, omnes retro eruditi magis *Getas* quam *Gog* et *Magog* appellare conſueverunt; alter, *Gothos* appelians *Getas* et *Maſſagetas*, adiicit, gentes iſtas quas appellat *Gog* et *Magog* non ſunt accipiendæ, tanquam ſint, aliqui in aliqua parte terrarum conſtituti, ſive quos quidam ſuſpicantur *Getas* et *Maſſagetas* propter litteras horum nominum primas. Ubi obiter notandum, Patres hoſce, *Gothos* ac *Getas* unam eandemque eſſe gentem agnoviſſe; quod ipſum luculente adeo contra *Cluverium* et *Pontanum* probarunt *Joannes Magnus*, *Boxhornius* et *Sheringhamus*, ut quicquam eâ de re amplius ſuperaddere plane ſupervacaneum foret. Idem vero *Sheringhamus* in erudita ſua de *Anglorum* gentis origine diſceptatione, gentes *Germanicas* a *Sene Japeti* fratre deducit, *Abydenum* citans et *Georgium Syncellum*; qui tamen contrariam omnino ſententiam tuentur, *Japetique* poſteros *Europam* univerſam, *Aſiaque* majoris partem non modicam poſſediſſe, expreſſe tradunt; et

Hieron. Trad. Heb. in Gen.

Aug. de Civit. Dei lib. 20. cap. 10.

Germa-

Germanos certe (non autem *Europæos* ſed) *Perſicos* Herodoto memoratos, *Carmanos* poſtea dictos, quos, inter *Parthos* et *Elymæos* collocant, *Semi* progeniem faciunt. Et *Joſephus medus* in ſua ſuper *Decimum Geneſeos caput* diſſertatione *Germanos Europæos Germen* corrupte pro *Gemren* appellatos exiſtimat quam vocem pluralem a ſingulari *Gomer* deducit; eodem modo quo noſtrates lingua vernacula fratres *Brethren* a ſingulari voce *Brother* nuncupant, quod haud incommodum originis *Gomeri*cæ indicium videatur. *Gothorum* porro originem ad *Aramum Semi* filium, adverſantibus licet *Euſebio Chronicisque Sueogothicis*, male refert *Sheringhamus*, proximiorem, uti par eſt credere, cum ſacro Semine congentilibus ſuis cognationem aſtruere affectans; nec tamen eo ſe conatu *Noachi* benedictionem interturbare ſatis animadvertit, dum *Semum* in *Japeti* non *Japetum* in *Semi* tentoria deportat. *Pliniano* ille hoc teſtimonio nititur, ultra ſunt *Scytharum* populi; *Perſæ* illos *Sacas* in univerſum appellavere a proxima gente, antiqui *Aramæos*. Scripſerat antea *Strabo*, Quos nos *Syros* vocamus, ipſi *Syri Aramenios* et *Arameos* vocant. Hinc eum *Plinii* locum attentius expendenti ſuboriri forſan aliqua poterit ſuſpicio, *Plinium* dum

Herod. lib. 1.

Sheringh. de orig. Angl.

Plin.

Strabo lib. 1.

dum feſtinantius *Strabonem* percurreret, pro *Syris* per oſcitantiam *Scythas* legiſſe, atque, inde hauſtum errorem in ſuam hiſtoriam naturalem tranſtuliſſe. Sin iſta minime valuerit conjectura, tamen nemini non probabile videbitur, cum *Arimi*, *Arimaſpi* et *Arimphæi* gentes *Aramææ* partem *Scythiæ* incolerent, magnaque gloria ac potentia florerent, ideo *Scythas* in univerſum *Aramæos* appellari potuiſſe, eadem ratione qua ob Sacarum celebritatem, in univerſum *Sacæ* vocabantur. Nec magis tamen *Aramæi* quam *Sacæ* habendi ſunt omnes *Scythæ*, nec proinde *Gothi Getæque*, etſi *Scythas* eos fuiſſe pro confeſſo ſit, *Aramæi* neceſſario exiſtimandi erant, ideoque non tantum urget premitque unicum illud *Plinii* teſtimonium, ut ea propter *Euſebio* cunctiſque *Gothicis* ſcriptoribus fides ſit antiquanda. *Gothos Græci Getas* appellarunt, ſicuti quos alii *Cimbros* illi *Cimmerios*, quos alii *Pannones* illi *Pœnes* nominarunt. Hi a *Margiana* (juxta quam *Noachi* Arca ſubſedisſe creditur,) ad *Scythiam Sacanam* habitarunt, *Chomaris Comariſque* finitimi; et in *Europam* cum *Cimmeriis* migrantes in *Sarmatiæ Daciæ Maſiaque* partibus cum iis aliquantiſper ſubſtiterunt. Ab illis *Dinogetia* in *Maſia* et *Larmigetuſa* in *Dacia* nomina

Ptolem. Geogr. lib. 6. Aſiæ.

Ptolem. Geogr. lib. 3. Europæ.

nomina ſumpſerunt, ac *Thraciæ Mæſiæque* pars juxta *Stephanum Byzantinum* dicta eſt *Getia*. Horum pars erant *Thyrſagetæ* ſive *Thuſſagetæ* et *Tyrangetæ* ſive *Tyragetæ*. Inde cum *Cimbris* in *Germaniam* penetrarunt, relictis in *Sarmatia Thyrſagetis*, qui ſeſe *Turcis* adjungentes, una cum iis gens effecti ſunt. Itidemque, ad reliquos *Getas* in *Aſia* remanentes, non exigua *Maſſagetarum* pars, e *Scythia* intra *Imaum*, acceſſerunt, atque in unam cum iis gentem coaleſcentes *Maſſagetæ* appellati ſunt. In *Germania* Getæ ſive *Gothi* cum *Cimbris* in *Cherſoneſo* degentes, primo a judicibus regebantur, quorum, ut *Suaningius* ex *Antiquitatibus Cimbricis* narrat, primus fuit *Segudus*, *Gomari* junioris filius, *Togarmæ* nepos, *Gomari* pronepos, *Japeti* abnepos, *Noachi* atnepos. Poſt illum, judices erant, *Adizerus* filius *Segudi* et *Truidus Adizeri*, qui *Sialandiam* ſubegit, deinde *Thielvarus Truidi*, *Oſtredus Thielvari*, *Guthius Oſtredi*; Huic duo erant filii, *Truidus* qui patri in *Sialandia* et *Cimbria* ſucceſſit, et *Thielvarus* qui *Gothos* in inſulas *Burnholmiam* et *Gothlandiam* deduxit. *Truido* ſucceſſit *Inguarus*, *Inguaro Toreldus*, *Toreldo Fellingus*, *Fellingo Viſetus*, *Viſeto Boghius* ſive *Beccerus*; Poſt illum

Suan. Chronol. Danica.

Danus

Danus Rex *Danorum* primus, ſociata filio *Humblo* Guittonis æmuli filia, *Sialandiam Cimbriamque* obtinuit, atque, una cum *Scania* poſteris tranſmiſit. In *Gothlandia* & *Bornholmia Thielvaro*, *Guthii* filio, *Truidi* fratri ſucceſſit *Hafderus* filius, poſt quem hi judices fuerunt, *Guthius*, *Grippa* & *Guelphius Hafderi* filii, *Vamlingus Guthii*, *Hablingus Vamlingi*, & *Handuarus Hablingi* filius. Sub hoc *Gothi*, ut *Wormius* refert, auctis rebus & populis, ad eas redacti ſunt rerum neceſſariarum anguſtias ut alimenta ſufficientia tantæ multitudini non ſuppeterent. Unde inito conſilio, decernunt tertium quemque nullo vel ætatis vel ſexus vel dignitatis diſcrimine, novas quæſitum ſedes ablegare, atque ita patriam tertia incolarum parte exonerare, ſatius rati fortunæ experiri aleam, quam dira fame perire. Illis quos ſors exulare juſſit, princeps *Thorro* quidam datus, qui ſpreto decreto, aſcitis quibuſdam ſociis munitiora patriæ occupare loca, atque ex iis excurſionem facere in reliquos aggreditur, & rapinis victum quærere potius quam exulare ſtatuit. Multis itaque in ſuam perductis ſententiam, rupem occupat excelſam, eamque pro libitu ubi muniiſſet, vicinos furtis rapinis omnique hoſtilitatis genere ve-

Wormius in Gothlandicis.

xare non deſiit, donec victu & alimonia eos exuiſſet. Coacti igitur ſunt patres conſcripto exercitu rebelles hoſce vi opprimere tantiſque malis obviam ire. Occiſo eorum duce *Thorrone* (a quo rupes etiamnum nomen retinet *Thoresborg*) alius ſubſtitutus *Helgo* nomine, qui vocatis iis quibus exeundum eſſet, claſſem inſtruit atque itineri ſe accingit, circa annum mundi bis milleſimum quingenteſimum juxta computationem Hebraicam. Ab his qui cum Helgone exierunt occupatam fuiſſe *Gothiam Scandianam* veriſimile eſt, ad quos brevi ceteri maxima ex parte ſeſe undecunque contulerunt. Creſcente igitur ubertim atque augeſcente multitudine *Gothi* ſub *Bericone* rege ſcandia egreſſi ſeſe in *Germaniam Sarmatiamque* effuderunt, quorum nonnulli inter *Marſingos*, *Oſios* & *Burios* conſederunt, ac *Gothini* dicti ſunt. At longe potior migrantium pars fluvii *Viſtulæ* accolæ facti, illic *Gothones* appellati ſunt; quorum poſteri cum *Philimero* rege veteres patrum ſuorum in *Sarmatiæ Daciæ Meſique* partibus *Euxino Ponto* adjacentibus ſedes repetierunt, *Thraciamque* ſibi priſcis incolis ejectis vindicantes, pro Thracibus & ipſi Græcis haberi cæperunt.

Herodot. lib. 7. Hi *Getæ Thraces* quo tempore *Xerxes* Græciam premeret, in plures populos diſpertie-

pertiebantur, ſcilicet Getas ſpecialius dictos, *Patos*, *Cicones*, *Biſtones*, *Sapæos*, *Derſæos*, *Edonos*, *Satras* alioſque, equibus *Satræ viri in re bellica eximii*, *nulli olim Hominum*, *inquit Herodotus*, *fuere ſubjecti*, *ſed ad ipſius uſque* ætatem liberi perſtitere, regemque potentiſſimum immenſumque ejus exercitum contempſere. Ad *Getas* ſive *Gothos* circa *Iſtrum* degentes, cognata *Maſſagetarum* gens ex Aſia demum accedens, in iiſdem etiam partibus ſubſtitit. *Gothi* vero *Scandiani* Ptolemæo & Procopio *Gutæ* ac *Guti* nominati rurſus in immenſam multitudinem excreſcentes, nova in extraneas regiones examina cogebantur emittere, quos inter *Pictones* ſive *Picti* ac *Scoti*, nobis præcipue occurrunt memorandi.

Pictos ex *Scythia Germanica*, (quo nomine *Gothiam* omnemque *Scandiam* appellari conſtat,) veniſſe ita teſtatur *Beda*; *Contigit gentem Pictorum de Scythia*, (ut *perhibent*,) *longis navibus non multis Oceanum ingreſſam*, *circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britanniæ*, *Hyberniam pervenisſe*, *ejuſque Septentrionales oras intraſſe atque inventa ibi gente Scotorum*, *ſibi quoque in partibus illius ſedes petiſſe*, *nec impetrare potuiſſe*. *Eſt autem Hybernia inſula omnium poſt Britanniam* *Beda hiſt. lib. 1. cap. 1.*

Maxima

Maxima, ad Occidentem quidem Britannia ſita; ſed ſicut contra Aquilonem ea brevior, ita in meridiem ſe trans illius fines plurimum protendens, uſque contra Hiſpania Septentrionalia, (quamvis magno æquore interjacente,) pervenit. Ad hanc ergo uſque pervenientes navigio *Picti* (ut diximus) petierunt in ea ſibi quoque ſedes & habitationem donari. Reſpondebant *Scoti*, non ambos eos caperet inſula; ſed poſſumus (inquiunt) ſalubre vobis dare conſilium quid agere valeatis. Novimus inſulam eſſe aliam, non procul a noſtra contra ortum ſolis, quam ſæpe lucidioribus diebus de longe aſpicere ſolemus. Hanc adire ſi vultis, habitabilem vobis facere valeatis; vel ſi qui reſtiterint, nobis auxiliariis utimini. Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per Septentrionales inſulæ partes cæperunt. Cumque uxores Picti non habentes peterent a Scotis; ea ſolum conditione dare conſenſerunt, ut *ubi res veniret in dubium, magis de fœminea regum proſapia quam de maſculina regem ſibi eligerent; quod uſque hodie apud Pictos conſtat eſſe ſervatum.* Thulen, quæ procopio Cæſarienſi Scandia eſt, Pictorum ſedem facit *Claudianus*, de Theodoſio Theodoſii Imperatoris patre eos debellante ita canens, *Incaluit Pictorum*

Procop. de bello Gothico lib. 4.

Claudian. de quarto Honorii Conſulatu.

rum ſanguine Thule. Hos, *gentem Gothicam*, vocat Giraldus Cambrenſis. Cum *Maximus* de Britannia, inquit ille, in Galliam, cum robore virorum & virium nec non & armorum inſulæ toto, ad occupandum Imperium tranſvectus fuerat, *Gratianus* & Valentinianus fratres & conſortes Imperii, gentem Gothicam, rebus in bellicis fortem ac ſtrenuam, ſibi quoque vel confœderatam vel ſubjectam & Imperialibus beneficiis obſtrictam, a Scythiæ finibus in aquilonares Britanniæ partes ad Britones infeſtandum, & tyrannum cum juventute revocandum, navigio tranſmiſerunt. Illi vero, tum quoniam pro innata Gothorum bellicoſitate prævalidi fuerunt, tum quoniam inſulam viris ac viribus vacuam invenerunt; boreales ejuſdem partes ac provincias non modicas, ex prædonibus accolæ facti, ſibi uſurpatas occupaverunt. Et de iiſdem Eulogii Author hæc expreſſius tradit, *Gratianus & Valentinianus* fratres & in Imperio conſortes, gentem Gothicam Pictorum, in rebus bellicis fortem & ſtrenuam, beneficiis & blanditiis allectam a Scythiæ finibus ad Britanniam direxerunt. At Britones inermes & omni militia nudati ſuppeditantur, ſic quod Picti accolæ facti ſunt in parte Britanniæ aquilonari. *Pictos* quoque *Getas*

Giralb. Cambr. de inſtitutione principis lib. 1.

Eulog. lib. 4.

tas ſive *Gothos* fuiſſe ſcribit *Buchananus*. Ex his collatis inter ſe teſtimoniis, *Pictos Gothorum partem* fuiſſe atque è Scandia veniſſe (quod Scotici omnes Hiſtorici confirmant) ſatis opinor liquet, quamquam ex nuperis Doctiſſimus *Camdenus* eos indigenas Britannos extitiſſe, atque ob retentam corporis depingendi conſuetudinem (a cæteris intermiſſam) *Pictos* appellatos cenſuit, & ex una aut altera voce Pictica, quales ſunt *Penvahel* & *Aden*, eadem cum Britannis lingua uſos eſſe probare contendit. Verum iſtud haud adeo mirandum eſt, vicinis gentibus diu mutua inter ſe commercia exercentibus communem eſſe potuiſſe unam aut alteram voculam. Ipſas vero *Britonum Pictorumque* linguas omnino diverſas fuiſſe, atque ac *Anglorum Scotorum & Latinorum*, diſerte *Beda* docuit hæc de Britannia loquens; *Hæc in præſenti juxta numerum librorum quibus lex divina ſcripta eſt, quinque gentium linguis unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur, Anglorum vid. licet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum quæ meditatione ſcripturarum cæteris omnibus eſt facta communis.* Viri equidem eximii optimeque de patria meriti opinioni, ubi nulla antiquitatis adver-

Camd. in Pictis.

Beda Hiſt. lib. 1. cap. 1.

verſantis veſtigia ſuperſunt, deterri plurimum debere, lubens agnoſco. Cæterum lucu'entis authorum veterum ac probatorum teſtimoniis, meram ſcriptoris moderni quantumlibet eruditiſſimi conjecturam anteponere, hoc utique eſſet ſolennia inſanire. De tempore adventus *Pictorum* in Britanniam magna eſt authorum diſcrepantia. *Joannes Fordonus* cæterique *Scotorum* Hiſtorici circa *Alexandri Magni* tempora eum ſtatuunt, a quibus haud multum abſcedit *Nennius* qui circa nongenteſimum poſt *Britonem* ſive *Brutum* annum multo ante Imperii Romani initium tempore eos adveniſſe ſcribit, habito ut videtur (non ad inchoatum ſub *Cruithneo Camelono* ſed) ad confirmatum ac ſtabilitum ſub *Getho ſecundo* regnum Picticum reſpectu. Qui *Gethus* juxta Scotorum Hiſtorias *Reudero* ſive *Reuda* contemporaneus fuit; quem *Beda* citato teſte, (quam recte alias diſquiremus,) diu ante Romanorum ingreſſum vixiſſe regnumque in Albania Scoticum reſtauraſſe narrant. Id ſi vere ita ſe habeat, *Caledonios* alioſque populos inter dorſum Albaniæ & mare Germanicum habitantes, gentes *Picticas* fuiſſe regnumque una *Picticum* conſtituiſſe, & Rodericum, cujus meminit Hiſtoria Britannica, regnum iſtud minime fundaſſe,

daſſe, ſed congentilibus opem adverſus Romanos allaturum acceſſiſſe concedendum fuerit. Pro quo etiam facit ille *Panegyriſtæ* locus qui habita ad *Conſtantinum* de patre ejus *Conſtantio* oratione *Caledonum* aliorumque *Pictorum* ſylvas & paludes memorat. Itidemque *Ammianus Marcellinus Pictos* in duas gentes diviſos fuiſſe refert, ſcilicet *Dicaledones* & *Veſturiones*, quorum, poſteriores ſub, aliorum Pictorum, nomine intelligit *Panegyriſta*; utroqua Caledonios Pictorum partem faciente. Et *Eumenius* eundem Conſtantium de victis a Julio Cæſare Britannis alloquens, Pictos in Britannia ante Cæſarem fuiſſe innuit, etenim *ad hoc*, inquit, *Natio etiam tunc rudis & ſolli Britanni, Pictis modo & Hybernis aſſueta hoſtibus adhuc ſeminudis, facile Romanis armis ſigniſque ceſſerunt.* Prædictus verò *Fordonus* in ſuo *Scotichronico M S.* (in Collegii Corporis Chriſti Bibliotheca Cantabrigiæ aſſervato) poſt enarratum hujuſce regni per Kenethum & Scotos excidium quatuor de Pictorum regibus capita ſubnectit, quæ etiam integra, quia regum iſtorum catalogus alibi vix occurrit, ſubjungere non pigebit.

Amm. Marcell. lib. 27.

Eumen. in Paneg.

Joan. Fordon. Scotichr. lib. 4. cap. 9.

Subverſione Pictorum nota ſuperius, non importunum videtur, eorum Catalogum

gum et alia quædam, veterum reperta voluminibus hic conſequente annotare. De ſua quidem origine et quam ob cauſam in has partes vel unde venerint in libri primi capitulis 29. nec non 30. et 31. liquide reperietur. Ante vero Domini incarnationem, ut ibi patet, hujus regni partem ante *Scotos* vel uno ſaltem tempore coluerunt. Quamvis quædam ſint Chronicæ, quæ *Scotos* aſſerunt longe præ *Pictis* trecentorum annorum ſpatio hanc poſſidere regionem. *Galfridus* in ſua Chronica libro quinto capitulo ſexto, *Pictos* originem habere ponit poſt Dominicam reſurrectionem, Veſpaſiani diebus, et ex eis tunc primum *Scotos* excreviſſe. Sed hoc quidem an ſit an aliter, pluribus non ignoratur Chronographis. Scriberet enim certius, eo tempore *Moravios Pictis* et *Scotis* conjunctos hanc adveniſſe patriam contra *Romanos* ſub duce *Roderico*, qui certe *Moravius* fuit et non *Pictus*, ex quorum filiabus creata ſobole, multitudinem et ſuam adauxerunt. Ex facili namq; probari poterit quod, hoc ante, diu cæperunt per ſuæ regnationis tempora. Nam verum eſt, regnabant per annos in *Albione* mille centum et eo plures; nec dubium eſt quin memorati regis *Kenethi* gladio perierunt. Non tenet igitur quod poſt

incarnationem ſed ante ſumpſerunt originem. Vel ſi quis objicere forſan velit, aſſerens, minime credendum, regem *Ghede* vel ejus ſucceſſorem *Tharan* tantum habuiſſe regnandi tempus, ut uni centum, alteri vero centum quinquaginta computentur anni; reſpondeat lector, quod licet alterutriſque regibus anni ſolummodo quinquaginta ſcribantur, ante tamen incarnationis tempus annis centum et amplius eos cœpiſſe reperiet. Et quia de tanto ſuæ regnationis annorum numero nonnulli muſſitant, placuit ut amborum regum annua computatio correctioni lectoris inde veritatem perſcrutantis relinquatur. Cæterorum vero regum ſucceſſionis tempora ſingillatim ſtylus ut noverit proſequetur.

Idem. cap. 10. Primus autem rex apud eos erat *Cruithne* filius *Kinne* judicis, et regnavit annis 50. Secundus vero poſt eum *Ghede*, tertius *Tharan* quibus ut ſupradictum eſt aſcripti ſunt anni ducenti quinquaginta. Regi quoque *Tharan* ſucceſſit *Duchil* et regnavit annis 40; cui *Dinorthetiſy* ſuccedens regnavit annis 20. Cui *Duordeghel* annis 20. Cui *Decokheth* annis 60. Cui *Conkuſt* annis 20. Cui *Caranath Creth* annis 40. Cui *Garnarth Belg* annis 9. Cui *Wypopneth* annis 30. Cui *Blarchaſſereth* annis

annis 17. Cui *Fiathus* albus annis 30. Cui *Thalarg Amfrud* annis 16. Cui *Catalmel* annis 6. Cui *Dongard Nethles* anno 1. Cui *Feredeth* filius *Fynicl* annis 2. Cui *Garnard* dives annis 60. Cui *Hurguſt* filius *Ferguſo* annis 40. Hujus tempore regnationis, (ut libro ſecundo capitulo 48,) quædam reliquiæ Sancti *Andreæ* per *Beatum Regulum* in *Scotiam* ſunt allatæ. Poſt Hurguſt ſucceſſit *Thalarg* filius *Keother* & regnavit annis 24. Cui Durſt (alias vocabatur *Nectane*) filius *Irbii* annis 48. Hic (ut aſſeritur) centum annis vixit & centum bella peregit; quo regnante Sanctus *Palladius* primus *Scotorum* Epiſcopus a Beato Papa *Celeſtino* miſſus eſt ad *Scotos* docendos longe tamen ante in Chriſto credentes. Cui ſucceſſit *Thalarg* filius *Amyle* & regnavit annis 2. Cui *Nectane Chaltamoth* annis 10. Cui *Durſt Germeth* filius *Ethrede* annis 38. Cui *Galgan* annis 15. Cui *Durſt* filius *Gigurun* annis 5. Cui *Durſt* filius *Ethrede* annis 8. Cui iterum *Durſt* filius *Gigurun* annis 4. Cui *Garnard* filius *Gigurun* annis 6. Cui filius ejus *Kelturan* annis etiam 6. Cui *Tholorger* filius *Mordeleth* annis 11. Cui *Durſt* filius *Mometh* anno 1. Cui *Thalagath* annis 4. Cui *Brude* filius *Meilothon* annis 19. Eo regnante Sanctus *Co-*

lumba Scotiam adveniens ipſum ad fidem convertit. [*Beda.*] Venit ſanctus *Columbo Britanniam* regnante *Pictis Brudeo* rege potentiſſimo filio *Meilothon* anno nono regni ſui qui fuit ab Incarnatione Domini quingenteſimus ſexageſimus quintus.

Idem. cap. 11. Ex ejus hiſtoria, in venerabilis vero *Columbæ* prima fatigatione verſus regem *Brudeum*, contigit ut idem rex faſtu regio *Zelatus* ſuæ munitionis, ſuperbe agens, in primo Beati adventu non aperiret portas. Quod ut cognovit Homo Dei, ad valvas portarum cum comitiva accedens, & primum Dominicæ crucis imprimens ſignum, manum pulſans contra oſtium ponit, quæ continuo ſponte, retro retruſis fortiter ſeris, cum omni celeritate ſunt apertæ. Quibus ſtatim apertis, ſanctus conſequenter cum ſociis intrat. Quo cognito Rex cum ſenatu valde pertimeſcens, domum egreſſus, obviam cum veneratione beato pergit viro, pacificiſque verbis admodum blande compellat; & ex ea in poſterum die Sanctum & venerabilem virum idem regnator omnibus ſuæ vitæ diebus reliquis valde veneratus eſt magna ſicut decuit honorificentia. Iis vero diebus cum idem ſanctus ultra dorſum moraretur *Albaniæ*, quendam *Monachum* volen-

volentem eremum acquirere, poſtquam a terris per infinitum oceanum plenis enavigaſſet velis, eidem *Brudeo* regi *Pictorum*, *Orcadum* præſente regulo, commendavit; dicens, ex noſtris aliqui nuper in pelago intranſmeabili deſertum invenire cupientes navigabant, qui ſi forte poſt longos circuitus *Orcadas* devenerint inſulas, huic regulo cujus obſides in manu tua ſunt diligenter commenda, ne aliquid adverſi intra terminos ejus contra eos fiat. Hoc vero ſanctus ita dicebat, quia ſpiritu cognovit, quod poſt aliquot menſes, idem *Monachus* cui *Cormacus* nomen erat ad *Orcadas* eſſet venturus; quod ita poſtmodum evenit, & propter prædictam ſancti viri commendationem de morte vicina liberatus eſt in *Orcadibus*.

Iſti quoque regi *Brudeo* ſucceſſit *Garnard* filius *Dompnach* & regnavit annis 20. Hic fundavit *Aberneth*. Cui *Nectane* filius *Irbanis* annis 11. Cui *Kenel* filius *Luchren* annis 14. Cui *Nectane* filius *Fode* annis 6. Cui *Brude* filius *Fachna* annis 5. Cui *Thalargus* filius *Farchard* annis 11. Cui *Talargan* filius *Amfrud* annis 4. Cui *Garnard* filius *Dompnall* annis 5. Cui frater ejus *Durſt* annis 6. Cui *Brude* filius *Bride Bile* annis 11. Cui *Gharan* filius *Amfedech* annis 4. Cui *Brude* *Idem. cap.* 12.

Brude filius *Decili* annis 21. Cui filius ejus *Nectane* annis 18. Iſte [ſecundum *Bedam*] accepit literas ex *Anglia* de circuli paſchalis obſervatione. Cui *Nectane* ſucceſſit *Garnard* filius *Feredeth* & regnavit annis 14. Cui *Oengusſa* filius *Fergusa* annis 16. Cui *Nectane* filius *Decili* menſibus 9. Cui *Oengusſa* filius *Brude* menſibus 6. Cui *Alpin* filius *Feredeth* ſimiliter menſibus 6. Poſt quem idem *Alpinus* iterum regnavit annis 26. Cui *Brude* filius *Cenegus* annis 2. Cui *Alpin* filius *Cenegus* etiam annis 2. Cui *Durſt* filius *Talargan* anno 1. Cui *Thalarg* filius *Drusken* annis 4. Cui *Thalarg* filius *Cenegus* annis 6. Cui *Conſtantinus* filius *Fergusa* annis 40. Iſte ædificavit *Dunkelden*. Cui *Hungus* filius *Fergusii* annis 10. Eodem vero tempore quo Rex *Hungus* regnavit, & in *Weſtſex* Rex *Ethelwolphus* cujus filii majoris *Athelſtani* caput infixum ſude Rex obtenta belli victoria ſecum in regno detulit, ut in proxime ſequente capitulo plenius apparebit. Cui *Hungo* ſucceſſit *Durſtelorgus* & regnavit annis 4. Cui *Eoghanus* filius *Hungus* annis 3. Cui *Feredeth* filius *Badoc ſimiliter* annis 3. Cui *Brude* filius *Feredeth* menſe uno. Cui *Keneth* filius *Feredeth* anno 1. Cui *Brude* filius *Fethel* annis 2. Cui

Drusken

Drusken filius *Feredeth* annis 3. In hoc quoque rege *Drusken Pictorum* regnandi defecit poteſtas, & ab eis penitus tranſlatum eſt regnum ad regem *Scotorum Kenethum* ſuoſque ſucceſſores, & unum deinceps *Scotorum* regnum effectum. Deo gratias.

Hæc ſunt quæ de *Pictici* in *Albania* regni initio ac continuatione *Fordonus* retulit. Nihilominus ad aliorum potius ſententiam accedo, qui gentem illam in *Britanniam* poſt Chriſtum natum veniſſe ſcribunt, cum nec *Pictorum* nec *Scotorum* (ut recte obſervavit *Humfridus Luddus*) Tacitus (qui *Julii Agricolæ* ſoceri res in *Albania* geſtas,) nec *Ptolemæus* (qui cunctos *Britanniæ* populos eorumque civitates accuratiſſime deſcripſit,) nec *Dion Caſſius* nec *Herodianus* nec ullus omnino rerum *Romanarum* ad hanc inſulam ſpectantium ſcriptor ullam eorum mentionem ante *Panegyriſtam* fecerit. Nec *Picti* a pingendo appellabantur, (etſi illa eos conſuetudine uſos eſſe non diffitear,) ſed *Phichtiaid* lingua propria, hoc eſt, pugnaces, dicebantur, quod nomen latine *Phichti* ſcribi deberet; ſicut qui lingua vernacula *Britanniaid*, latine *Britanni* ſcribuntur. Et quidem veteribus *Anglis* non, *Picti*, ſed *Pehiti*, *Peohtæ*, *Picars* &

Galfr. Ludd. Comment. Britan.

et *Penguern* vocabantur. Hos imperante *Veſpaſiano*, anno ſeptuageſimo quinto appuliſſe, *Britannicæ* congruenter hiſtoriæ narrant *Matthæus Florilegus* et alii; cumque diu ſub *Caledoniorum* auſpiciis contra *Romanos* militaſſent, *Cæſo* tandem, (imperante *Trajano*,) rege eorum *Roderico* a *Mario Britanno*; ſuffectoque in ejus locum *Berencho* quodam ſive *Berengario*, in *Catheneſia* conſederunt. Unde quum, imperante *Antonino Pio*, *Britanni* aquilonares iterum ſe commoverent, progreſſus cum iis *Berenchus*, ſi *Eulogii* authori ejuſque aſſeclis credimus, anno centeſimo quadrageſimo ſecundo *Bervicum* (quaſi *Berenchi* vicum) condidit. *Scotorumque* filias populo ſuo dari in uxores impetravit verum a *Berniciis*, non a *Berencho*, nomen traxiſſe illud oppidum ſatis compertum eſt. *Scotici* autem hiſtorici, ut tam ſui quam *Pictici* in *Britannia* regni antiquitatem ſtabiliant, eos qui cum *Roderico* venerunt, non *Pictos*, utpote qui diu ante ſedes hic poſuerant, ſed *Moravios* fuiſſe contendunt. Id vero falſum eſſe ex eo deprehenditur, quod *Moraviorum* ne nomen quidem ante *Ludovici* pii Imperatoris tempora auditum eſſe conſtat. Neque enim *Maravia Albanica*, quam ab his denominatam eſſe illi volunt, a *Moravia*

Galfr. lib. 1. cap. 26. Matth. Weſtm. Eulogii author. & anonymus.

Eulog. Joann. Roſſus. & caxtonus.

Ger-

Germanica, ſed a voce *Britannica mor*, mare denotante, nomen traxit, quippe quæ maritima erat Provincia; ſicut & *Moravia Germanica* a Mora fluvio appellationem ſumpſit. Enimvero cum *Pictos Hyberni Cruithneach* vocant, & *Adamnanus* de rebus S. *Columbæ* ἀνεκδότοις, diverſorum a *Pictis Albanicis Cruithnierum* & Probus in vita *Patricii Cruthenorum Hyberniæ* partem, (quæ nunc dierum *Clanebolana* dicitur,) incolentium meminerunt, hinc duas Pictorum colonias e *Scandia* egreſſas *Hyberniam* petiiſſe veri ſimillimum videtur. Quarum prior, duce *Cruithneo* in illa inſula conſederit, atque ab eo nuncupata fuerit. Horum *Cruithniorum* Rex fuit *Echodius laib* quem anno quingenteſimo ſexageſimo tertio prælio *Monadairenſi* ſive *Ondemonenſi* victum evaſiſſe currui inſidentem; & ex eadem gente extitit *Aidus* cognomento niger a quo *Dermitium Hyberniæ* Monarcham fuiſſe interfectum, idem memorat *Adamnanus*. Quin & *Hybernicos Pictos* lingua vernacula *Y Gwyddyll Phictiaid* appellatos cum rege ſuo *Sirigi* inſulam *Monam* ſive *Angleſiam* intrantes eam vaſtaſſe, donec a Cadovallone longimano pellerentur, narrant e *Cambro-Britannicis* ſcriptis *Humfredus Luddus* & *Guilielmus Camdenus*. Proinde primos

Adamn. de vita Columbæ.

Luddus in Anglicana Williæ deſcript. Camd. in Ordovicibus.

qui in *Fordoniano* catalogo occurrunt *Pictorum* reges, in *Hybernia* regnaſſe, atque inde cum *Scotis* arma *Britannis* intuliſſe probabile eſt; nec alius ex illis *Panegyriſtæ* verbis ante citatis ſenſus commode elici poſſit, Ad hoc natio etiam rudis & ſoli *Britanni*, *Pictis* modo & *Hybernis* aſſueta hoſtibus &c. quam, quod etiam ante Cæſaris adventum *Britanni* in *Hyberniam*, & *Scoti*, (qui propriiſſime, utpote antiquiſſimi illius inſulæ coloni, *Hyberni* dicti ſunt,) una cum *Pictis* in *Britanniam* bellandi cauſa tranſmittere ſolerent. Ab his *Cruithniis Pictos* in univerſum *Hyberni Cruithneach* appellabant. Eodem quoque tempore quo *Cruithneus* ſuos in *Hyberniam* duxerit, alii ex eadem *Scandiæ* parte exeuntes *Galliæ* partem occupaſſe videantur, quos ante *Cæſaris* tempora illic degiſſe ex ipſo novimus. Sicut enim *Francones* & *Franci*, *Burgundiones* & *Burgundii*, *Gothones* & *Gothi*, *Friſones* & *Friſii*, *Dauciones* & *Daci*, *Brittones* & *Britti*, ita *Pictones* & *Picti* una eademque gens erant. Et noſtros quoque *Pictos Panegyriſta* Pictones vocat, uti non male *Luddus* & *Seldenus* obſervarunt, qui pro, *Caledonum* aliorumque *Pictorum*, ut habent vulgares codices, in optimis exemplaribus, *Caledonum*

Cæſar bello Gallico lib. 8.

Ludd. in Comment. Brit. Seld in notis ad Polyolbion 8.

num aliorumque *Pictonum*, legi teſtantur. Quinetiam tam *Pictorum Albanicorum* quam *Pictonum Gallicorum* Regio *Pictavia* vocabatur, ut ille qui de *Albaniæ* diviſione, tempore *Andreæ* Epiſcopi *Catheneſii* circa annum milleſimum centeſimum ſuptuageſimum ſextum edidit libellum docet, de *Kinadio* ſive *Kenetho* ſecundo ita ſcribens; *Kinadius* biennio antequam pervenit in *Pictaviam*, *Dalrietæ* regnum ſuſcepit. Poſterior *Pictorum* colonia *Roderico* ducente *Hyberniam* adiens, inde, *Scotis* conſulentibus, in *Albaniam* tranſiit. Hi *Picti* a *Caledoniis* bellum contra *Romanos* molientibus ſuſcepti, ſtrenuam iis operam navarunt. Bello *Severiano* *Fulgentius* ut *Britannica* refert hiſtoria cum diutius Imperatori reſiſtere nequiviſſet, transfretavit in *Scythiam Germanicam* ſive *Scandiam*, ut procerum auxilio dignitati reſtitueretur. Cumque ibi omnem juventutem patriæ collegiſſet, reverſus eſt cum maximo navigio in *Britanniam*. Horum poſteri *Carauſio* imperium arripienti primum obſtaculo tandem auxilio fuere, quibus ille locum manſionis dedit in *Albania* ubi cum *Britonibus* mixti per ſequens tempus manſerunt. Per hæc tempora exhauſti attritique *Romanorum* bellis *Caledonii* in jus *Pictorum* conceſſe-

Camder. in Scot.

Galfr. l. 2. cap. 2.

runt, unumque cum iis regnum conſtituerunt, atque exinde pars *Pictorum* haberi cœperunt, ut *Panegyriſta* et *Ammianus Marcellinus* docent. Firmato in hunc modum regno, inter *Dorſum Albaniæ* et mare *Germanicum*, qui inter *Bodotriam* et montem *Grampium* habitarunt, appellati ſunt *Deucaledonii* a voce *Britannica Deheu Dextra*, quaſi dextrorſum habitantes; qui vero ultra *Grampium*, *Vecturiones* a *Chwithic* ſiniſtra quaſi ſiniſtrorſum habitantes; per dextralem autem plagam *Britanni Hebræorum* more auſtralem, per ſiniſtralem intelligere ſolebant *Borealem*, *Deucaledonios* ſive *Auſtrales Pictos* S. *Ninianus*, *Vecturiones* ſive *Boreales* S. *Columba* ad fidem Chriſtianam convertit. Quum Maximus *Britannia Scotos* expulliſſet, regnum quoque *Picticum* in Provinciæ formam redigere ſtatuit; Quocirca permulti exulare potius quam ſervire præoptantes in *Scandiam* profugerunt, unde, cum *Scotis* qui eo etiam ſe receperant, a Gratiani ducibus contra eundem Maximum evocati, in *Germaniam Melga* duce progreſſi, in *Britanniam* redierunt, graviſſimeque Provinciales infeſtarunt. Sed ut hujuſce gentis res clarius innoteſcant, quas plerique aut penitus omiſerunt aut leviter admodum perſtrinxerunt, pauca ſuper

Amm. Marcell. lib. 27.

Uſſer. in primord. cap. 5 & in add. & emend.

per memoratis in *Fordoniano* catalogo regibus adjicienda fuerint.

Primus *Pictorum* Rex *Cruithneus Camelonus* filius *Cinnei* judicis. Ille circa annum, ante Chriſtum natum, trecenteſimum tricesimum ſextum, regnare cœpit, quem *Camelodunum* condidiſſe narrat *Hector Boetius*. *Cambodunum* forſan intelligens, quod tamen oppidum in *Eboracenſi* comitatu *Guilielmus Camdenus* collocat. qui non *Camelodunum* ſed *Abernethiam* ſedem *Pictorum* regiam fuiſſe ſtatuit. Regnavit annos quinquaginta. *Ante Chriſtum.* 336.

Gethus, ſecundum *Fordonum*, annos centum regnavit, quorum pars *Getho* ſecundo, cujus *Hector* et alii *Scotorum* hiſtorici meminerunt, aſſignanda videtur. 286.

Tharan juxta eundem *Fordonum* regnavit annos centum quinquaginta. Ante hunc, *Chrinum* quendam ponit *Boetius*, et utrumque ante *Gethum* memorat. Nos *Scotichronici* authoritate nixi, poſt *Gethum* poſuimus, ac centum illos et quinquaginta annos inter *Chrinum*, *Tharanem*, et *Gethum* tertium, (quem *Eveno* ſecundo *Scotorum* regi contemporaneum facit *Boetius*,) diſpertiendos opinamur. 186.

Duchilus regnavit annos quadraginta. *Dinorthus* viginti, *Duordeghelus* itidem viginti, *Decochus* cognomento *Ethus* annos 36. *Poſt Chriſt.* 4. 24. 4.

nos ſexaginta. Ab hoc, *Ethenburgum* conditum ac denominatum *Scotici* ſcriptores volunt. Quamvis *Camdenus*, qui urbem illam a Ptolemæo *Caſtrum alatum* vocatam recte obſervavit, a voce *Britannica* pariter ac *Pictica Aden Alam* ſignificante, *Edinburgi* nomen deducit.

104. Conguſtus annos viginti regnavit. *Ca-*
124. *nanatus* quadraginta. Inter hos, alii duo reges, ſcilicet alter *Tharan* ſive *Illy Tharan* et alter Conguſtus, abſque ulla ſcriptorum authoritate ab Hectore *Boetio* interſeruntur.

164. *Garnardus* annos novem regnavit. *Vl-*
175. *popnethus* triginta. Hic idem fuiſſe videtur qui *Hectori Unipannus* dicitur.

203. *Blarchaſſerethus* annos ſeptemdecim reg-
220. navit. *Phiatus Albus* triginta.

250. *Thalargus* ſedecim. *Phiathi* & *Thalargi* meminit etiam *Hector*, quorum tempore *Pictus* quidam nomine *Calderus* rebellantibus contra *Romanos Britannis* ducem ſeſe exhibens, magnæ utriſque cladis author extitiſſe fertur.

266. *Canatalmelus* annos ſex regnavit. *Don-*
272. *gardus* annum unum. *Feredethus* annos
273. duos. *Garnardus* dives ſexaginta; una
275. cum duobus Nectanis ipſius forſan filiis. *Hect.* Principes hoſce omnes, *Cruithniorum* in *Hybernia* reges extitiſſe reor. Qui vero

vero poſt *Berenchum* reges in *Albania Pictos* hucuſque rexerint, non reperio. Neque enim antehac confirmatum ac ſtabilitum eſſe videtur *Albanicum Pictorum* regnum.

Proximus in Catalogo *Fordouiano* occurrit *Hurguſtus Ferguſii* filius, cujus tempore abbas *Regulus* partem reliquiarum Sancti *Andreæ* ſecum ex *Achaia* in *Albaniam* detuliſſe dicitur. Cum *Maximo Britanniam* adminiſtrante fœdus adverſus *Scotos* percuſſit, ſed in ipſo belli apparatu vita exceſſit. Annos quadraginta regnavit. 335.

Thalargus Ceotheri filius annos viginti quatuor regnavit. Hujus ope *Scotos* expulit *Maximus*; quo facto, ipſos mox *Pictos* in ſervitutem redigere inſtituit; quapropter complures *Melgæ* duce in *Scandiam* ſe receperunt. 375.

Durſtus (alias *Nectanus* dictus) *Irbil* filius annos quadraginta octo regnavit. Hic contra *Victorinum* ducem *Romanum* bella geſſit, ac redintegrata cum *Scotis* jam reverſis amicitia, *Britannos* acerbiſſime afflixit; eo regnante *Palladius* in *Albaniam* venit. 399.

Thalargus filius *Amylei* annos duos regnavit. 447.
Nectanus Chaltamothus annos decem. 449.
Durſtus Germothus Ethredi filius annos 459.

annos triginta octo. *Galanus* annos quin-
497. decim. *Durſtus Giguruni* filius annos
512. quinque. *Durſtus Ethredi* filius annos
517. octo. *Durſtus Giguruni* filius iterum an-
525. nos quatuor. *Garnardus Giguruni* filius
529. annos ſex. *Celturanus* ejus filius annos
535. ſex. *Thalargus Mordelethi* filius annos
541. undecim. *Durſtus Momethi* filius annum
552. unum. *Thalagathus* annos quatuor.
553. *Lothum* atque ejus filium *Mordredum* circiter hæc tempora *Pictorum* reges fuiſſe ſomniat *Boetius* tam a *Joanne Fordono* quam ab hiſtoria *Britannica* diſcedens, cum hæc *Lothum*, *Lodoneſiæ* ſive *Laudoniæ* conſulem aut comitem *Britannicum*, ille *Britannum* quidem & *Fulgentii* conſulis ſive ducis *Britonum*, (quos a *Pictis* & *Scotis Albanenſibus* apertiſſime diſtinguit,) genere oriundum extitiſſe narrat.
557. *Brudeus Meilothonis* (quem *Lothi* fratrem fuiſſe idem *Boetius* fingit,) filius, *Thalagatho* ſucceſſit. Annum hujus regis nonum & S. *Columbæ* in *Britanniam* adventum in annum *Domini* quingenteſimum ſexageſimum quintum *Beda*, *Hermannus* contractus omneſque fere veteres *Anglicani* ſctiptores conjiciunt, qui & triginta duos annos inde ad ejuſdem mortem numerant. *Adamnanus* vero *Hienſis* abbas *Bedæ* paulo antiquior, *Columbam* ad-

Beda lib. 2. cap. 4.

Adamn. de Vita Columbæ.

nio

no ſecundo poſt *Culedreibnenſe* bellum (quod anno quingenteſimo ſexageſimo primo geſtum eſſe *Ultonienſes Annales* dolent) ætatis vero ſuæ quadrageſimo ſecundo de *Hybernia* ad *Britanniam* pro Chriſto peregrinari volentem enavigaviſſe ſcribit. Et ad eundem ſcilicet quingenteſimum ſexageſimum tertium annum Navigationem *Columcilli* de *Hybernia* *Ultonienſes* annales referunt; atque in *Britannia* illius peregrinatione triginta quatuor annos fuiſſe completos idem confirmat *Adamnanus*. Iſtam authorum minime contemnendorum diſcrepantiam haud aliter conciliare poterimus, quam ſi *Columbam* ex *Hybernia* anno quingenteſimo ſexageſimo tertio enavigaſſe, exactoque in *Hebridibus* inſulis biennio, deinde ad *Brudeum* in *Albaniam* anno quingenteſimo ſexageſimo quinto adveniſſe dixerimus; *Brudeum* annos novendecim regnaſſe narrat *Fordonus*; *Ultonienſes* vero annales ad annum quingenteſimum octogeſimum quartum, ejus vitam regimenque protendunt; quos ita inter ſe conciliandos exiſtimo, ut *Fordonus* *Brudei* annos (primis octo quos in gentilium errore tranſegerat prætermiſſis) a tempore ſuſceptæ fidei ſupputare intelligatur; adeoque ipſi cum *Ultonienſibus* optime convenerit.

584. *Garnardus Dompnachi* filius annos viginti regnavit & Eccleſiam *Abernethianam* fundavit, ducentis viginti ſex annis ante *Duncaledoniæ* Eccleſiæ fundationem. Ejus tempore obiit *Columba* anno quingenteſimo nonageſimo ſeptimo.

604. *Nectanus Irbanis* filius annos undecim
615. regnavit. *Cenelus Luchreni* filius annos
629. quatuordecim. *Nectanus* filius *Fodei* an-
635. nos ſex. *Brudeus Fathne* filius annos quin-
640. que. *Thalargus Farthari* filius annos undecim. Hujus tempore alter *Columba* claruit, qui, primus *Duncaledoniæ* Epiſcopus factus, *Cudbertum Lindisfarnenſem* & *Brigidam* juniorem aliquamdiu educavit.

uſſer. in Primord. cap. 15.

651. *Thalargenus Amfrudi* filius annos qua-
655. tuor regnavit. *Garnardus Domnalli* filius
660. annos quinque. *Durſtus* ejus frater annos
666. ſex. *Brudeus* filius *Bridebilei* annos un-
667. decim. *Garanus Amfidethi* filius annos
681. quatuor. *Brudeus Decili* filius annos viginti unum. Hic *Egfridum Northumbrorum* regem ac *Bertum* ducem occidit. *Nennii* continuator illum appellat *Birdeum*, & *Egfridi* fratruelem fuiſſe ſcribit.

702. *Nectanus* ejuſdem *Brudei* filius annos octodecim regnavit. Ad hunc Celfridus *Anglus* de obſervatione *Paſchali* & *Romano* tonſuræ more Epiſtolam (quæ apud *Bedam* extat) conſcripſit. Nec multo poſtea

poſtea Monachi *Hyenſes* ſive *Jonenſes* ſub abbate *Dunchado*, ab *Egberto Anglo* ad *Romanam* feſti Paſchalis obſervationem perducti ſunt. Qui vero extra *Jonam* inſulam in regno *Pictorum* degentes morem illum ſuſcipere noluerunt, a *Nectano* rege trans *Dorſum Albaniæ* anno ſequente, ſcilicet, ſeptingenteſimo decimo ſeptimo expulſi ſunt. Iſte, ut in antiquo fragmento legitur, *Abernethiam* Deo & *Brigidæ* dedit uſque ad diem judicii cum ſuis finibus, qui poſiti ſunt a lapide in *Abertrent* ad lapidem uſque Carfull, id eſt *Logh-fol*, & inde uſque ad *Ethan*. *Beda lib. 5. cap. 22.* *Camd. in Scot.*

Garnardus Feredethi filius, anteceſſoris tempore, ſub quo ipſe ſummus Picticæ militiæ dux fuit, *Amberceletum Scotorum* regem extinxit, & collocata ſucceſſori ejus *Eugenio* ſeptimo filia *Spondana* pacem cum eo compoſuit; ſed a *Bertſrido Northumbrorum* duce ſuperatus eſt. Iſte annos quatuordecim regnavit, & novem virginibus *Dovenaldi Scoti* filiabus ſtructas *Abernethiæ* ædes cum oratorio donavit. Hujus *Garnardi* anno ſecundo, (qui fuit annus Domini ſeptingenteſimus viceſimus primus,) *Ferguſtus* ſive potius *Ferguſius* Epiſcopus *Scotiæ Pictus* & *Sedulius* Epiſcopus *Britanniæ* de genere *Scotorum* 720.

concilio *Romano* ſub *Gregorio* ſecundo habito ſubſcripſerunt.

Proximo poſt *Garnardum* loco *Fordonus Oengusſam Fergusii* filium ponit cui annos ſedecim tribuit, ac poſt illum alios octo reges recenſet de quibus nihil præter nuda nomina uſpiam memoratur. Iſte *Oengusſa*, appendicis ad Chronologicam *Bedæ* epitomen authori, *Oengus*, *Simeoni Dunelmenſi* (ſeu potius *Turgoto*) & *Rogerio Hovedeno*, *Unnuſt* appellatur, qui omnes, eum anno ſeptingenteſimo ſexageſimo primo obiiſſe teſtantur. Unde annorum undecim intervallum inter *Garnardi* exitum & *Oengusſæ* initium interceſſiſſe liquet. Quæ ex aliquorum regum (perperam ut videtur a *Fordono* poſtpoſitorum) annis, ſupplenda fuerit lacuna. Quippe ſi omnes illi poſt *Oengusſæ* mortem per annos triginta ſeptem regnaverint; longe ultra annum iſtius regni excidio ab ipſo *Fordono* aſſignatum regum *Picticorum* tempora excurrent. Ut huic igitur malo obviam eamus, neceſſario ordinem commutabimus, regumque ſeriem, quocunque errore luxatam, quam poſſumus commodiſſime, reſtaurabimus.

734. *Oengusſa* filius *Brudei* regnavit menſes ſex. *Alpini* filius *Feredethus* menes ſex. Poſt quem ipſe *Alpinus Caradoco Lancarvanenſi*

vanenſi Edovinus dictus annos ſex. Nam etſi *Fordonus* viginti ſex annos illi tribuere videatur, numeri ramen vicenarii notam, excribentium incuria irrepſiſſe ipſa temporum ratio evincit. *Brudeus Cenegi* filius annos duos regnavit. *Durſti* filius *Thalarganus* annum unum. Hunc *Caradocus Lancarvanenſis Dalarganum* nominat & *Magedaucenſi* prælio a *Britannis* cæſum eſſe refert. Commiſſam autem inter *Pictos* ac *Britones* anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto pugnam *Simeon* & *Hovedenus* memorant quod idem fuiſſe prælium videtur, quanquam enim hanc pugnam *Caradocus* ſerius ponit, id uſitato *Cambricis* ſcriptoribus more facit, quos a communi calculo in ſupputationibus ſuis diſcedere ſolere, non in *Caradoco* ſolum ſed & in *Nennii* continuatore & *Galfrido* facile quiſpiam deprehenderit. Hic *Nectanus* *Decili* filius, qui menſes novem regnavit, collocandus videtur. *Oengußa Ferguſii* filius annos ſedecim regnavit. Hic cum *Adelbaldo Mercio* bellum contra *Edbertum Northumbrorum* & *Cudredum Occidentalium Saxonum* reges geſſit, poſteaque cum eodem Edberto *Britannodunum* obſedit, annoque ſeptingenteſimo ſexageſimo primo defunctus eſt.

735. 741. 743. 744. 745.

Author. appendicis ad Bedam. Simeon Dunelm. & Hoveden.

Alpinus Cenegi filius annos duos regnavit. 761.

vit. *Thalargus* Druſconis filius annos qua-
761. tuor. *Thalargi* filius *Cenegus* ſex annos
763. ſolus. Hunc *Caradocus Lancarvanenſis*
767. *Cemoid*, *Simeon Dunelmenſis* & *Rogerius Hovedenus* appellant *Kinoch*, & *Alcredum* regno *Northumbrenſi* pulſum ad illum confugiſſe narrant. Unde, cum *Alcredi* fugam in annum ſeptigenteſimum ſexageſimum quartum; *Kinochi* vero mortem in annum ſequentem conjiciunt; & *Conſtantino* ejus ſucceſſori quadraginta annos *Fordonus* aſſignat, regibuſque ſequentibus viginti ſex annos tribuit, ac regni *Pictici* excidium ad annum octingenteſimum trigeſimum nonum refert; *Cenegum* hinc ſiue *Kinochum* annos præterea duos cum antedicto *Conſtantino* regnaſſe manifeſtum fuerit.

Simeon Dun. & Hoviden.

573. Idem *Conſtantinus Ferguſii* filius, annos quadraginta, ſcilicet duos cum *Cenego* (forſan avunculo) & triginta octo ſolus,
575. regnavit. Hic *Duncaledoniam* Eccleſiam ubi antea a *Columba Cudberti* nutritio conſtructum fuerat oratorium, ducentis viginti ſex annis poſt *Abernethianam* fundavit. Ad hunc confugit *Osbaldus* Rex *Northumbrorum*.

Fordon.

Simeon & Hoved.

813. *Hungus Ferguſii* filius annos decem regnavit. Ab illo *Adelſtanum Athelulphi Anglorum* Regis filium prælio victum & occi-

occiſum, atque inde prælii loco inditum *Alſtanfordiæ* nomen, et equites *Andreanos* in victoriæ memoriam inſtitutos, plerique memorant *Scotorum* Hiſtorici. Quanquam altum hac de re apud noſtrates ſcriptores eſt ſilentium. Et quidem *Adelſtanum* iſtum *Pictici* regni excidio ſuperſtitem fuiſſe, *Danoſque Sanduici* in *Cantio* profligaſſe anno octingenteſimo quinquageſimo primo, noſtri omnes unanimi conſenſu tradunt. At longe craſſior eſt *Buchanani* error qui reportatam hanc, non de *Athelulphi* filio, ſed de gentis. *Danicæ* Imperatore *Gormone*, cui Rex *Alfredus* baptizato *Adelſtani* nomen impoſuit fuiſſe Victoriam prodit. Omnium autem miſerrime hallucinatur *Joannes Major* qui *Adelſtanum* hunc ab Hungo cæſum, Regis *Edvardi Senioris* filium, *Angliæ* ſcilicet *Monarcham*, fuiſſe opinatur. Aut igitur cum *Iſacſono* Chronologo *Adelſtanum* iſtum, *Northumbrorum* ſub *Andredo* rege ducem extitiſſe ſentiendum eſt; Et quidem poſt concitatum anno ſeptingenteſimo quarto contra *Athelredum Northumbrorum* regem civile bellum, ceſſante rectore per triginta tres annos provinciam illam riſui et prædæ finitimis fuiſſe ſcribit *Guilielmus Malmesburienſis*. Aut cum antiquo *Culdeo Andrexpulitano* ad priorem

Buch. ver. Scot. lib. 5.

Major de geſtis Scotor. lib. 3. cap. 1.

rem quendam *Hungum Hurguſti* filium (cum patre regnantem) Victoria illa, in cujus memoriam inſtituti ſunt *Andreani* in *Albania* milites, referenda fuerit. Cujus nimirum *Hurguſti* tempore *Britannos* a *Pictis* aliiſque gentibus atrociter ſuiſſe ad flictos ex Ammiano intelligimus, quando *Theodoſius*, (nondum Imperator, ut author ille credidit,) ſub patre in hac inſula militavit. Commentariolum hujuſce *Culdei* de celebri illa Victoria et reliquiarum *Andreanarum* apportatione integrum nobis exhibuit reverendiſſimus *Uſſerius*, ita de authore, poſtquam *Baleum* inter *Bedæ* opera, de *Andreæ* memoria apud *Scotos* librum unum, commemoraſſe obſervaverat præfatus; ejus enim (ſcilicet *Bedæ*) nomine, inquit, inſignitum libellum in novi *Monaſterii* (apud Vintonienſes) Bibliotheca aliquando extitiſſe notaverat in ſuo ſcriptorum Catalogo *Boſtonus Burienſis*, Qualiter contigit quod memoria *Andreæ* ſit in *Scotia*; eadem etiam de re ſcripſiſſe *Giraldum* in *Chronica* ſua refert *Eulogii* auctor, ad ea reſpiciens quæ ex *Giraldo Cambrenſi* libro primo polychronici ſui et capite triceſimo ſeptimo *Ranulphus Ceſtrenſis* inſeruit; ejuſdem argumenti commentariolum in manibus habeo, ab *Andreapolitano* quodam *Culdeo* exaratum, quem

Amm. Marcell. lib. 20, 26, 27.

uſſer. de primord. cap. 15.

quem eundem cum illo qui falſo *Bedæ* titulo venditatus eſt fuiſſe ſuſpicor, illum ipſum certe fuiſſe, ex quo ſua deſcripſit *Giraldus*, res ipſa indicat. Si hunc igitur *Culdeum* ſequimur, *Alſtanſordiam* juxta *Hadingtoniam*, non ab *Adelſtano* quopiam ibi interfecto, ſed ab *Adelſtano* magno *Conſtantinum* tertium *Scotorum* regem illic (ante geſtum cum *Analavo* bellum) ſuperante, nomen traxiſſe dicendum fuerit.

Durſtolorgus Hungi filius annos quatuor regnavit. 823.
Eganus Durſtolorgi frater annos tres. 827.
Feredethus Badoci filius annos tres. 830.
Brudeus Feredethi filius annum unum. 833.
Cenedus ejuſdem *Brudei* frater menſem unum. 834.
Brudeus Fetheli filius annos duos. 836.
Et *Druſco Feredethi* filius, uterinus (ut videtur) *Brudei* prædicti frater annos tres; qui anno octingenteſimo triceſimo nono a *Cenedo* ſecundo *Scotorum* rege victus, occiſuſque eſt. 839.

Adeoque ad illum annum regni *Pictici* finem *Fordonus* & *Boetius* referunt. Fractæ enim penitus ſunt eo bello *Pictorum* vires, ita ut nullum deinceps regem eligerent, quanquam per annos aliquot ſequentes, *Anglis* auxilium præbentibus Victorem acriter infeſtarant. Illic quinto ineunte regni ſui anno *Druſconem* profligavit, a quo tempore ſedecim annorum 840.

Liber Paſleterſis. Fordon. Stotiehr. lib 4.

rum *Albanicæ* ipſius Monarchiæ initium ducitur; annoque ſequente cum Piratæ *Danorum* occupatis littoribus *Pictos* ſua defendentes non modica ſtrage prædando maritima contriviſſent, *Albaniæ Dorſum* (quod *Scotice Drum Albain* dicitur) tranſcendens, in reliquos eorum terminos arma vertit mulriſque eorum una cum rege trucidatis, reliquos in fugam compulit, Imperiumque confirmavit. Atque inopinatis dehinc incurſibus, variiſque eos ſtragibus debilitans, duodecimo tandem regni ſui anno ſepties uno die cum iis congreſſus univerſas eorum copias fudit. Atque utrumque exinde populum tam *Pictos* quam *Scotos* pacifice rexit uſque ad annum octingenteſimum quinquageſimum quartum quo juxta *Fordonum* ac *Buchananum* vitam cum morte commutavit. Atqui *Giraldus Cambrenſis Pictos*, quos *Scotis* præſtantiores fuiſſe ac bellicoſiores aſſeverat, dolo magis quam virtute ſubactos, invitatis ad convivium ſpecie humanitatis et ex improviſo peremptis eorum magnatibus, atque ita Pictaviam *Scotici* juris factam, ſcribit, cum deſtituta ducibus plebs facile ſuccumberet. Et ad eorum præſtantiam quod attinet, *Joannis Majoris Scoti* teſtimonium hic attexam. *Laudoniam* et partes illas ultra fretrum *Scoticum*

Ran. Ceſtr. Polychron. lib. 1. cap. 58.

Major de geſtis Scotor. lib. 2. cap. 2.

tam et meliorem portionem et fertiliorem borealis partis crebro *Picti* poſſedérunt. Tum quia ante *Scotos* in inſulam deſcenderunt; tum quia numero et viribus (ut auguror) *Scotis* erant paulo ſuperiores; quod ex eo convincitur, quod terras a *Britonibus* receptas, licet *Scoti* cum eis confederati eſſent, occuparunt; quod quandam prudentiam majorem vel ſuperioritatem denotat. *Columbæ* certe tempore regem *Pictorum* aliquid in *Scotos* dominii ac juris exercuiſſe Beda ſubinnuere videtur, cum Hy ſive *Jonam* inſulam ad regnum *Scotorum* omnino ſpectantem a *Pictis* tamen ei donatam memorat. Porro *Pictos* hoc tempore internecione deletos fuiſſe nonnulli ſcripſerunt; quod tamen falſiſſimum eſſe pluribus oſtendit *Uſſerius*. Quin et complures ex eadem illa gente, *Fergusianæ* Regis *Hungi* ſororis filio *Alpino* et nepoti *Genedo* cum æmulis de regno decertantibus faviſſe veriſimile eſt, quos omnes a Victore interfectos quis crediderit? *Scotos* autem Victoria inſolentiſſime crudeliſſimeque uſos eſſe, atque in victos immaniſſime deſæviſſe, uno ore omnes fatentur. *Pictos* in *Albione* regnaſſe per annos mille centum et eo plures *Joannes Fordonus*; per annos mille et ſeptuaginta, (et juxta nonnullos mille trecentos ſexaginta,) *Ranulphus*

Beda lib. 3. cap. 3. 4.

Uſſer. de Primord: cap: 15:

Ford: lib: 4: cap: 9.

Ran: polych: lib: 1: cap: 37. Boet: lib: 10: Major lib: 2:

phus Ceſtenſis; per annos mille centum et unum ſupra ſeptuaginta *Boetius*; ultra octingentos annos *Joannes* Major prodidit. Nos in tanta ſcriptorum diſſenſione eo potiſſimum inclinamus, ut *Pictos* in *Hybernia* ac deinde in *Albania* ab initio *Cruithnei Cameloni* mille centum ſeptuaginta quinque; in *Albania* ſola ab adventu *Roderici* ſeptingentos ſexaginta quatuor annos, uſque ad annum octingenteſimum triceſimum nonum quo ultimus eorum Rex *Druſco* juxta *Fordonum* et *Boetium* occubuit, regnaſſe cenſeamus. Ultimus hujuſce gentis Archiepiſcopus extitiſſe Sanctus *Tarnanus* dicitur. Quo melius annos his regibus a *Fordono* aſſignatos ad Annos Domini applicare poſſem, annum quo ad *Brudeum Meilothonis* filium S. *Columba* acceſſit, præcipue inveſtigandum duxi, quem ubi mihi viſus eſſem invenisſe, ab eo, utpote certiſſimo quem potui nanciſci indice, cæterorum tam præcedentium quam ſuccedentium regum annos ſupputare inſtitui; lectori interea quamcunq; velit de iſtiuſce regni exordio ac duratione tanquam re dubia ſententiam amplecti, integrum relinquens.

Beda lib: 1: cap: 1:

Cum *Pictorum* in *Britanniam* adventum *Beda* explicuiſſet, ita pergit; Procedente autem tempore *Britannia* poſt *Britones* &

Pictos

Pictos tertiam *Scotorum* nationem in *Pictorum* parte recepit. Qui duce *Reuda* de *Hybernia* egreſſi, vel amicitia vel ferro ſibimet inter eos ſedes quas hactenus habent vindicarunt. A quo videlicet duce uſque hodie *Dalreudini* vocantur; nam lingua eorum Dal partem ſignificat. Deinde poſt pauca de *Hybernia* enarrata, iſta ſubjicit, Hæc autem proprie patria *Scotorum* eſt. Ab hac egreſſi (ut diximus) tertiam in *Britannia Britonibus* & *Pictis* gentem addiderunt. Eſt autem ſinus maris permaximus, qui antiquitus gentem *Britonum* a *Pictis* ſecernebat. Qui ab occidente in terras longo ſpatio erumpit, ubi eſt civitas *Britonum* munitiſſima uſque hodie, quæ vocatur *Alcluith*. Ad cujus videlicet ſinus partem ſeptentrionalem *Scoti* (quos diximus) advenientes ſibi locum patriæ fecerunt. *Scotos Camdenus Gothorum Scandianorum* prolem eſſe variis argumentis docet. Illi nomine vernaculo *Gaiothel*, eorum lingua *Gaiothlas* appellatur; quæ duæ voces a *Gothorum* nomine haud multum abludunt. Et nomen *Gatheli* quo ſe ortos jactitant, a *Gothila* uſitatiſſimo regum *Gothicorum* nomine quam parum diſcrepat? inter utriuſque gentis linguas, mores, veſtes, arma quanta affiniras ac ſimilitudo. Ipſi ſuos majores

Camd: in Scot:

partim

partim e *Scythia*, cum Nemedi, partim ex Hiſpania cum Gatheli poſteris veniſſe in *Hyberniam* fatentur. *Gathelum* vero *Phœnii* nepotem cum ſuis e *Scythia* (ſcilicet *Germanica* quæ *Scandia* eſt) in *Hiſpaniam* tranſiiſſe (lepida intertexta de filia *Pharaonis Ægyptii Scota* nomine fabella) *Nennius* atque alii prodiderunt. *Scythas* quoque in *Hiſpania* conſediſſe oſtendit poeta ita de *Maſſagetica Concanorum* gente *canens*

Nenn: Henr: Hunſt: lib: 1: Walſingham: Hypodigm: Neuſtr.

Et qui Maſſagetam *monſtrans feritate parentem*
Cornipedis *fuſa ſatiaris* Concane *vena*
Et alibi, Sarmaticos *attollens* Suſana *muros.*

At *Gothos* magnam *Sarmatiæ* partem incoluiſſe conſtat; a quibus ipſam *Sarmatiam* dictam eſſe *Scythiam* colligere eſt, unde in *Hiſpaniam* per mare *Balthicum* cum *Scandianis* navigare poterant. Sive igitur *Nemedianos* ſive *Gathelianos* reſpicimus, *Scythæ Gothici Scotorum* veri patres habendi fuerint. Et *Thomas Valſinghamus* ſicut a *Getia Getas*, *Geticos*, *Gothos*, *Gothicos*, ita a *Scythia Scythas*, *Scythicos*; *Scotos*, *Scoticos* deducit. *Herodotus Scythas* in univerſum *Scolotos* nuncupatos ſcribit, unde *Scotorum* nomen facile contrahi potuiſſe *Seldenus* arbitratur. Certe *Scotos* olim, quandocunque rebus ſuis maxime metuerent, *Scandianorum* opem implorare ſolitos, atque

Herod: lib: 4: Selden: in notis ad Polyelbion 8:

que a *Romanis Albione* eliminatos partim in *Hyberniam* partim in *Scandiam* ſe recepiſſe *Britannici* pariterque *Scotici* ſcriptores retulerunt; quod quandam patrium primorum patriæque priſtinæ recordationem haud obſcure indicat. Ac proinde mare *Britanniam* atque *Hyberniam* interluens, *Scythicæ* (ſive *Gothicæ*) *Scotorum Hyberniam* incolentium originis reſpectu, *Gildas* vallem *Scythicam* nuncupat. Ex officina igitur gentium *Scandia* (ut de *Cæſara Noachi* nepte has mundi plagas ante diluvium inviſente taceam) primus *Bartholanus Seræ* cujuſdam filius de *Japeti* ſtirpe cum tribus filiis *Languino* ſive *Lagurio*, *Salano* & *Ruturugo*, aliiſque mille utriuſque ſexus Hominibus in *Hyberniam* venit; cujus poſteri per trecentos annos illic regnarunt; Eorum tempore *Bergion Albionis* frater *Hyberniam* invaſit, unde continua ac diuturna inter *Afros* eum ſecutos & priores incolas bella, quibus *Bartholaniani* præter *Ruanum* omnes extincti feruntur. Deinde *Nemedus Agnominii* filius natione *Scythicus* cum quatuor filiis *Starto*, *Gorbanele*, *Anthimo* & *Fergusio* eodem cum *Gathelo* tempore *Scandia* egreſſus, ipſumque in Hiſpaniam comitatus videtur. Inde *Hyberniam* petens ibi regnavit; cujus poſteri poſt ducentos ſedecim annos ab hoſti-

Gild: Epiſt:

Nennique & Girald Cambr: Topogr: Hybern:

hoſtibus pulſi; partim in *Scandiam* partim ut *Nennius* narrat in *Hiſpaniam* redierunt. Unde ex *Nennio* corrigendum atque emendandum eſſe *Giraldi* locum, & pro, *Græcia*, reponendam eſſe, *Gallæciam*, opinor. Ex *Gallæcia quinque* filii *Delæ*, *Gandius*, *Genandius*, *Sagandius*, *Rutherargus* & *Slanius*, de *Nemedi* poſteritate *Hyberniam* quarta mundi ætate repetentes, eam in quinque regna diſtribuerunt; ſed tandem *Slanius* totius inſulæ monarchiam obtinuit. Interim *Gathela* in *Hiſpania Hiberus* filius ſucceſſiſſe dicitur quem cum *Hemeco* fratre magnam *Hyberniæ* partem vivente patre ſubdidiſſe *Boetius* narrat. *Nemedi* forſan illi filiis contra *Bergionios* ſuppetias tulerunt. Poſt longam dehinc regum ſeriem, regno admotus eſt *Mileſius*, (*Metellium Boetius* vocat,) cujus filii quatuor *Ptolemæus* (quem *Partholemæum Galfridus* appellat,) *Cantaber*, *Hiberus* & *Herimon* ad novas ſedes quærendas emiſſi ſunt cum claſſe ſexaginta navium, quarum triginta cum *Ptolemæo* & Cantabro *Gorguntium Britannorum* regem circa *Orcadas* obvium habuerunt, qui partem *Hyberniæ* ſupplicitet exorantibus habitandam conceſſit. *Hyberniam* enim bellis civilibus afflictam *Britanni* ſubjugaverant, & colonos eo ante miſerant, e quibus

Girald: topogr: Hybern: Diſtinct: tert: cap: 3: 4: Nennius

Hiſtor: Boet: lib: 1:

bus *Brigantes* & *Vennicnios* *Brigantium* & *Venniconum* *Albionenſium* eſſe prolem ipſa oſtendunt nomina. Ad *Ptolemæum* in *Hybernia* regnantem fratres *Hiberus* & *Herimon* cum altera claſſis parte ſe contulerunt; *Cantaber* in *Britannia* vitam exegit. Hic *Nennii* de turri vitrea fabulam inſerere haud operæ pretium duxi. Mortuis fratribus Herimon ſolus regnat, a quo ſuorum Monarcharum ſeriem *Hyberni* ordiuntur. Poſt ejus mortem ubi inteſtina iterum diſſidia viderentur eruptura, accerſitur ex *Hiſpania* *Simon Brechus*, qui *Nennii* *Elam* *Hector* eſt. Ille maximam *Scotorum* multitudinem una cum fatali marmore ſecum in *Hyberniam* deducens, ibi diu ac fœliciter regnavit, a quo reges *Albanici* traxiſſe originem feruntur. Exinde *Hybernia* appellata eſt *Scotia*. Qui remanſerunt in *Hiſpania* *Scoti* ad *Pyrenæos* montes concedentes, *Navarri* ſunt nuncupati. Vt, ex *Hybernia* *Scotos* in *Albaniam* tranſiiſſe ſcriptores univerſi conſentiunt, ita, de tempore tranſitus non minor eſt authorum diſcrepantia. *Scotici* ſcriptores regni ſui initium ad annum ante natum Chriſtum trecenteſimum trigeſimum referunt; diu tamen antea ſedes hic poſuiſſe *Scotos* & ſub moderatoribus quos poſteri capitaneos vocabant vixiſſe conten-

uſſer. de Primord. cap. 15. Henric. Hunt.

dunt. His etiam *Nennius* favet qui eos ad regiones *Dalrieda* veniſſe ſcribit, tempore quo regnabat *Brutus* apud *Romanos*, a quo conſules eſſe cœperunt. Qua ratione iſtic etiam ante *Pictos* habitaſſent, poſt quos tamen huc acceſſiſſe ex *Beda* ipſoque *Nennio* ac *Joanne Majore* jam obſervavimus. Et antiquus ille, pridem citatus, *Culdeus*, totam inſulam *Britanniam Chriſtianitatem* fuiſſe doctam antequam *Picti* & *Scoti* illam intrarent, diſerte affirmat. Nec magis *Scotorum* quam *Pictorum*, antiquiores in ſuis de hac inſula ſcriptis authores meminerunt. Ipſi porro ut tantam genti ſuæ vetuſtatem affingerent, ridicula comminiſci plurima neceſſum habuerunt. Hinc *Julii* & *Auguſti* ad reges *Ederum* & *Metellanum* legationes procudebantur; hinc *Caractacus* & *Galgacus* a *Galfrido* neglecti, (ſed in libro *Triadum*, una cum *Arturio*, præſtantiſſimorum *Heroum Britannicorum Triada* conſtituentes,) in regum *Scoticorum* Catalogum aſciti; & *Silures*, *Ordovices*, *Brigantes*, & (quod magis mirandum) *Deiri* qui *Angli* erant, *Scotiæ Scotiſque* accenſiti; ac *Boadicia*, *Venuſius* & *Cartiſmandua* e regnis propriis in *Albaniam* traducti. Rejectis igitur iſtiuſmodi ineptiis, *Uſſerius* & *Camdenus* eorum adventum

Hector: Boet: lib: 1: Nennius:

Liber Triads

poſt

poſt Domini Incarnationem collocant. Extant, inquit *Uſſerius*, libri tres ab authore quodam incerto de S. *Patricii* vita conſcripti, in quorum primo leguntur iſta; *Scoti* de *Hybernia* ſub rege ſuo *Neill Neigiallach* multum diverſas Provincias *Britanniæ* contra *Romanum* Imperium, regnante Conſtantio filio *Conſtantini* devaſtabant contundere incipientes aquilonalem plagam *Britanniæ*. Et poſt tempus, bellis & claſſibus *Hybernienſes* expulerunt habitatores terræ illius & habitaverunt ipſi ibi. Deinde aliquibus interjectis. Ductus eſt itaque Sanctus *Patricius* ad *Hyberniam* captivus, primo anno regni Juliani Imperatoris apoſtatæ qui regnavit poſt *Conſiantium*, anno autem nono regni Neill *Neigiallach* regis *Hyberniæ* qui viginti ſeptem annis potenter regnavit, quique *Britanniam* & *Angliam* multum devaſtavit, ibique in bello cecidit. Ex his (utcunque circa captivitatis Patricianæ tempus hallucinetur,) primum *Juliani* annum, *Nelli* fuiſſe nonum liquet, quo regnante *Scotos* cum aliis gentibus *Britannos* invaſiſſe teſtatur *Ammianus Marcellinus*. Eodem *Nello Hyberniæ* Monarchiam obtinente, ſex filios *Muredi* regis *Ultoniæ* in claſſe non modica boreales *Britanniæ* partes occupaſſe, gentemque ab iis propagatam & ſpe-

Uſſer. in primord. cap. 15. Camden. in Scot.

Amm. Marcell. lib. 20 26. 27.

cificato vocabulo Scoticam vocatam, atque angulum illum uſque ad ſua tempora inhabitaſſe, refert *Giraldus Cambrenſis*. Unde videndum an non ſex iſtorum fratrum princeps (aut principis filius) Reuda vel *Reutha* ille fuerit, qui, *Beda* teſte, *Scotos* in *Britanniam* deduxit. Expulſi autem a *Maximo Scoti* partim *Hyberniam* partim *Scandiam* petierunt. De expulſionis redituſque annis immane quantum authores diſſentiunt; quod ad exilii annos attinet, de illo temporis ſpatio plerique conſentiunt, quatuor ſupra quadraginta annos ei aſſignantes. Nos Proſperum ſequentes, Maximi Victoriam in annum trecenteſimum octogeſimum ſecundum; *Scotorum* expulſionem in annum abhinc quintum conjicimus, unde ſi illos quadraginta quatuor numeremus ad annum quadringenteſimum triceſimum primum perveniemus, quo, ut *Beda* docet, recedente a *Britannia Romano* exercitu, cognita *Scoti* & *Picti* reditus denegatione, redeunt ipſi, & totam ab aquilone inſulam pro indigenis muro tenus capeſſunt. Nec tamen interim Scoti ſic expulſi *Britannos* infeſtare deſierunt. Anno enim quo *Maximus* occiſus eſt, ſeptem filii *Reth-Maidi Britanniæ* & *Armoricæ* maritima vaſtarunt, *Patriciumque* abduxerunt

Giral. topogr. Hybern. Diſt. 3. cap. 16.

Beda lib. 1.

in

in *Hyberniam* captivum; *Rethmaidum* hunc *Probus* Rethmitum vocat atque ex una viri Sancti captivitate duas efficit, primam ſcilicet ac tertiam; bis vero (non amplius) ab hoſtibus captum fuiſſe in confeſſo eſt. Porro *Rethmaidum* ſive *Rethmitum*, illum ipſum eſſe quem *Beda Reudam* ſive *Reutham*, *Scoti Retherum*, *Nennius Hiſto-Rethum* appellat, veri haud abſimile eſt; cum *Fiechianus* ſcholiaſtes de vita *Patricii*, & alter qui lingua *Hybernica* ejuſdem vitam deſcripſit, ipſum (reſpectu illius *Albaniæ* partis quam a patre obtentam iſti filii vincente *Maximo* amiſerant,) Majoris *Britanniæ* regem nuncupant. Ejuſque filios de *Britannia* cujus aquilonaria littora tunc temporis inſediſſe videantur, *Armoricam* vaſtaſſe idem *Probus* narrat. Quod autem *Hiſto-Rethi* patrem *Nennius* non *Muredum* ſed Hiſtorinum vocat; hinc aut *Muredum* extitiſſe binominem, aut filiorum ejus principem fuiſſe hunc *Hiſto-Rethi* vel *Reuthæ* patrem *Hiſtorinum* conjicere liceat. Interim notandum eſt; eodem tempore quo *Reutha* iſte *Dalriadam* tenuit cum ſuis, etiam *Builcum* cum ſuis tenuiſſe *Euboniam* ſive *Manniam* inſulam & alias circiter, filios autem *Vetheni* obtinuiſſe regionem *Dimetarum*, ubi civitas eſt quæ vocatur Mineu ſeu Menevia, & in

Probus in vita Patric.

Nennius.

in aliis regionibus ſe dilataviſſe, item *Guhirtetgueſi* donec (ultimi Conſtantini tempore) expulſi ſunt a *Cuneda* & a filiis ejus ab omnibus regionibus *Britannicis*. Fuit hic *Cuneda* magni *Arturii* proavus. *Scotorum* qui in *Scandiam* migrarunt princeps extitit *Graimus*, ad quem *Melga* cum compluribus qui procul exulare quam domi ſervire maluerunt *Pictis* profugit. Hi a *Gratiani* ducibus accerſiti, promptiſſime contra acerbiſſimum hoſtem Maximum pugnaturi advolarunt. Sanctam igitur *Urſulam Deonoti* Regis *Britannici* filiam cum aliquot virginum millibus ad ineunda cum Conano iiſque quos *Maximus* abduxerat *Britannis* connubia deſtinatas, vi tempeſtatis disjectas & ad Germanica littora appulſas crudeliter trucidarunt. Hujuſce cædis narrationem aliqui fabulis ineptiſſimis, viſionum quoque ac revelationum authoritatem obtendentes, virginum multitudinem in immenſum augendo, tempora confundendo, ac Papam imaginarium nomine *Cyriacum* regeſque reginaſque qui nunquam in rerum natura extiterunt iis comites addendo, uſque adeo fædarunt, ut ipſam etiam *Urſulam* permulti meram fuiſſe larvam aut *Chimæram* crediderint. Poſt interfectum a *Theodoſio* Maximum *Graimus* & *Melga* in Hyber-

niam

niam trajicientes, inde cum *Scotis* qui eo ſe receperant, *Pictis* quoque ſibi adjunctis, *Britannis* bellum intulerunt. Graimus in *Galfridi* Hiſtoria *Guanius* dicitur; luxato (ut ſæpe accidit per exſcriptorum oſcitantiam) nomine, hoc forſan modo *Graimus*, *Granius*, *Guanius*. Præterea Rex *Hunnorum* vocatur, peculiari *Britonum* errore, qui *Scythas* omnes, *Hunnos*, (ut *Perſæ Sacas*) appellitare conſueverunt ex quo gens illa inclareſcere cæpit. Nam & *Humbrum Scytham Scandianum*, ſcilicet *Scotum*, jam antea *Galfridus Hunnum* nuncupaverat. Haud abs re fuerit quorundam hic errorem redarguere, qui ipſos *Britones* *Hunnorum* ſtirpe ortos eſſe ex illo vitiato *Agathiæ* loco colligunt; *Ragnares* natione *Brito*, *Hunnica* natio *Britones* ſunt; cum tamen in optimis exemplaribus M S S. non voces Βρίτων & Βρίτονες ſed Βίττας & Βίττορες legi, *Pithœus*, *Leonclavius* & *Camdenus* dudum monuerint. *Bittores* vero iidem ſunt qui Jornandi Bittugores nominantur. Fruſtratos uxoribus *Britannicis*, ut ante narratum eſt, *Britannos Armoricanos* peremptorum a ſe *Gallorum* conjuges & filias duxiſſe, earumque linguas amputaſſe, ne liberi maternam loquelam ediſcerent, *Nennius* fabulatur. *Scoti* qui ſæpe reditum in *Britanniam*

Galfr. lib. 1. cap. 12.

Agath. lib. 2.

Jornan: de reb: Geticis:

Nennius:

niam fruſtra tentaverant, Anno quadringenteſimo triceſimo primo, duce *Graimo* prædicto, *Durſti Pictorum* regis auxilio, priores, ſcilicet inter mare *Hybernicum* & *Albaniæ Dorſum*, ſedes recepere, atque inde tertiam *Gildæ* memoratam cum *Pictis* vaſtationem adorſi ſunt, quibus deinde permiſti *Attiſcoti* mox in eorum nomen evanuerunt. *Graimi* filiam magnus ille *Ferguſius Erci Dalaraidæ Hyberniæ* ſive *Dalriedæ* Regis filius uxorem duxiſſe fertur, quem non a dubia illorum quos *Scotiei* celebrant Hiſtorici regum proſapia, ſed a *Conaro* deducit *Camdenus*, quem circa annum ducenteſimum decimum quintum, ſummum *Hyberniæ* principatum tenuiſſe liquet; filio ſuo *Cairbri-Rieda* alias *Eochaig-Rieda Dalriedæ* (quæ ab eo nomen accepit) dominio poſt ſe relicto. *Dalriedæ* vero nomine *Hybernis* comitatûs *Antrimmenſis* tractus ille notus eſt quem *Route* appellamus, cujus limites a *Boiſio* flumine uſque ad crucem de *Glandfinneaght* per triginta milliaria protenduntur. *Scoti* illi qui *Ferguſium* iſtuc ſecuti ſunt, una cum antiquæ patriæ nomine Chriſtianam fidem qua per id temporis *Hybernos* imbuerat *Patricius*, ſecum in *Dalriedam Albanicam* juxta *Uſſerium* traduxerunt. Varias ac longe diſcrepantes

Camd: in Scot:

Uſſer: de primord: cap: 15:

de

de regni *Fergußani* initio authorum ſententias fuſius exhibuit idem reverendiſſimus *Uſſerius*; ad quem lectores remitto. Et quoniam alii ex compoſito res *Scoticas* uberius tractarunt, nos ad alia feſtinamus.

Poſt *Scotos* expediendi ſunt *Futæ*, quorum nomen apud authores mirum in modum variatur. Codices *Bedæ* MSS. conſentientibus etiam *Guilielmo Malmesburienſi*, *Henrico Huntingdonienſi*, *Florentio Vigornienſi*, *Matthæo Weſtmonaſterienſi*, *Ranulpho Ceſtrenſi* & aliis *Futas* nominant; *Libri* Bedæ impreſſi *Vitas*, *Abbo Floriacenſis* in vita Regis *Edmundi Vitos*, *Saxonica* verſio *Geatum*, *Chronologia Saxonica Jotum*, *Fabius Athelwardus Giotos*, *Legum Edovardi confeſſoris interpolator Gutas*, alii *Gutos*, ſcriptores *Danici Fuitas*. At variorum nominum variæ reddi poterunt rationes. Nam *Futæ Fuitæ & Jotum* a proceritate dicebantur, cum *Fæt* in ſingulari numero *Gigantem Gothice* notet, *Fætum* in plurali *Gigantes*. Vitæ quoque & Viti A Vita Rege; *Geatum Gutæ*, *Guti* & *Gioti* a *Majorum* appellationibus vocabantur, qui *Getæ*, *Gutæ*, *Guti* & *Gothi* ſunt nominati. Nam *Futas* eſſe gentem *Gothicam* nemo uſpiam præter *Verſteganum* negaverit quem *Sheringhamus* ſatis refutavit. Hi ſub *Frotho-*

Bed: lib. 1. cap. 15. & lib. 4: cap. 16.

Adam: 447.

Sheringh. de orig: Angl.

nis tertii *Danorum* Regis *Auguſto* & *Tiberio* coætanei auſpiciis, e *Scania* in *Cherſoneſum* rediiſſe, *Cimbriſque* (quorum poſt ſancitam cum *Auguſto* pacem nemo meminit) debellatis regionem illam occupaſſe ſuumque ei nomen indidiſſe videntur. Utrque ipſi *Jutæ* pariter ac *Vitæ*; Ita eorum proles ac coloni qui *Romanis* plurimum negotii faceſſerunt, *Juthungi* & *Vitungi* nuncupantur, nam apud *Gothos* & *Saxones* terminatio *Ung* vel *Ing* nomini proprio aut gentilitio adjecta filiationem deſignat, ita ut *Juthungi* ſive *Vitungi* ſint *Jutarum* ſive *Vitarum* filii, quos etiam *Grutunges* perperam pro *Guthungis* i. e. *Gutarum* filiis, aliquando ſcribi *Iſacius Pontanus* arbitratur. *Jutæ* prout alternans belli fortuna tulit, nunc *Danorum* nunc *Saxonum* regibus paruerunt. *Saxonici* vero regni partem eos conſtituiſſe, quo tempore *Saxones Britanniam* petierunt, inde eſt colligere, quod utroſque populos tam *Jutos* quam *Anglos Gildas* & *Beda Saxones* vocaverint. Hos Tacito haud incognitos fuiſſe, ab eoque in deſcriptione *Germaniæ Huithones* vocatos putat idem *Pontanus*. Eorum patriam *Jutiam* ſive *Jutlandiam Danici* chorographi *Gothiam* appellant; Edda *Iſlandica Reidgotolandiam*; ipſorumque reſpectu, *Gothorum*

Pontan. Deſcrip: Chorogr. Daniæ.

Adam: Brem: Ad:

thorum Regis titulum Rex *Daniæ* huc uſque retinet. In *Britannia Cantium Vectamque* inſulam poſſederunt, cum *Suthantonienſis* agri parte *Vecta* objecta qua *Homelea* fluvius (*Anglice Humble*) Oceanum intrat. Quæ licet ad Provinciam *Occidentalium Saxonum* pertineret, a prima tamen ſua origine Jutnacynn, id eſt, Jutarum nationis, & *Jutarum* Provinciæ appellationem *Anglo Saxonum* temporibus retinuit. Ex eodem genere *Gothico* erant & *Dani*, ut illa *Adami Bremenſis* verba docent *Dani quos Futos appellant, uſque ad Sliam lacum habitant*, qui graviſſima in hac inſula geſſerunt bella & aliquandiu in ea conſederunt. Hi, eticam, a noſtratibus ſctiptoribus *Daci* nuncupantur; a *Ptolemæo Dauciones*, pro quibus nonnulli perperam *Danciones* legunt; iidem enim ſunt *Dauciones* & *Daci*, itidemque *Daci* & *Dani*. *Daci* enim teſtibus *Plinio* & *Pompeio Trogo* populus *Geticus* fuerunt; *Danoſque gentem* eſſe *Gothicam* oſtendit *Jornandes*, cui præter alios complures *Jonas Coldingenſis* ſuffragatur citatis ex antiquiſſimo codice MS. his verſiculis,

Bed. lib. 1. cap. 15. & lib. 4. cap. 16.

Adam: Brem. Eccleſ: Hiſtor.

Plin: lib: 4: cap: 12: Juſtin: lib: 32: Jorn: de rebus Geticis: Jonas colding: Daniæ deſcrip:

Gothi *ſunt* Dani, Dani Gothique *vocati*,
Hos armis genuit quia Scythica Dania *ſævos*,

Traditio veterem simul & Scythas vocat illos,
Nomine sic terno gens Danica magnificatur.

Porro *Dacorum* (æque ac *Danorum*) regis titulum præ se Rex *Daniæ* fert, eoque in suis diplomatibus utitur. In *Asia* primæva gentium omnium patria *Daæ* vocabantur erantque *Getarum*, (id est, *Massagetarum*,) vicini quanquam id sibi persuaderi haud patitur *Pontanus*, qui cum diversas mundi plagas *Getis* ac *Gothis*; *Dais*; *Dacis* ac *Danis* habitatas esse animadvertisset, originis diversitatem ex inde necessario inferre posse sibi visus est, quasi *Gallorum Europæorum* ac *Galatarum Asiaticorum*, *Pænorum Africanorum* ac *Phænicum Asiaticorum* eadem plane origo esse non potuisset. *Normanni* quoque qui *Angliam* ultimo intrarunt, *Danorum* proles erant. Quanquam enim *Norvegia Adamo Bremensi* strictius *Normannia* appelletur, *Danos* tamen & *Sueones*, cæterosque trans *Daniam* populos omnes ab Historicis *Francorum Normannos* vocari idem fatetur. *Eginhardus*, *Dani* inquit & *Sueones* quos *Normannos* vocamus Septentrionale littus & omnes in eo insulas tenent. Et alibi *Ultimum* contra *Normannos* qui *Dani* vocantur, primo piraticam exercentes, deinde Majori classe littora *Galliæ* & *Germa-*

Pont: in chorographica Daniæ Descript:

Adam: Brim: de situ Daniæ &c: & in Eccl: hist:

Eginh: in vita Curoli magni:

Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum. Et *Albertus Stadenſis*, *Dani*, inquit, & cæteri qui trans *Daniam* ſunt populi, omnes, *Normanni* vocantur. *Ordericus Vitalis* in Hiſtoriæ ſuæ præfatione hæc habet; Nunc aliud mihi a Magiſtris opus injungitur, & de *Normannicis* eventibus materia porrigitur; quoniam ipſi de Dacia prodeuntes non literis ſed armis ſtuduerunt. *Normanni* vero dicti ſunt quaſi *Northmanni*, id eſt, viri *Boreales*. *Rollonis* primi *Normannorum* in *Gallia* ducis patrem in *Dacia* degiſſe, maximamque ejus partem poſſediſſe tradunt *Dudo* & *Gemmeticenſis* qui ipſum *Rollonem Dacum* fuiſſe, *Daciaque* a rege pulſum, in *Norvegiam* (*Scandiæ* partem) cum ſuis abiiſſe, atque inde *Britanniam Galliamque* petiiſſe affirmant; (unde in veteri genealogia ducum Normanorum ex codice MS. deſumpta, Normanni appellantur, Piratæ Danorum ex inſula Scanzia quæ Northuega dicitur egreſſi; conſentientibus etiam noſtratibus ſcriptoribus qui *Daniam* illi & *Normannis* ſuis unanimi conſenſu patriam aſſignant. Hæc ubi minus attente *Cranzius* expenderet; *Normannorum* geſta ad *Norvegos* omnia retulit. Plura *ſuper Danica Normannorum* origine *Pontanus* protulit, quæ ne prolixior forem præ-

Albert: Stad: ad annum 810:

Crantz: in Norvegia:

Pontan: Hiſt: Dan: lib: 4:

prætermittenda duxi. *Normannorum*, primus imperante *Ludovico Pio* meminit *Eginhardus*; *Danorum*, imperante *Juſtiniano*; primi, *Procopius*, *Jornandes* et *Gregorius Turonenſis.*

Reſtant expediendi *Saxones* et *Angli*, *Scythicorum Saſonum* et *Syeborum* proles, eadem *Gomerica* cum *Cimmeriis Getiſque* ſtirpe oriundi. Hi cum cognatis *Cimmeriorum* ac *Getarum* gentibus eadem fere ratione ac via, ut recte obſervavit *Ciſnerus*, ex *Aſia* progreſſi in *Europam* ſe effuderunt. Ita ut quæ ipſis inter ſe in *Aſia* eſſet vicinitas, eandem prope et in *Europa* conſervarunt. Cum iis una profecti *Chattæ*, *Alani*, *Aſæi*, et *Maſſæi Miſerum* progenitores ſuas, *Scythiæ Aſiaticæ* partes *Magogæis* replendas ac poſſidendas reliquerunt, quorum aliqui populi egreſſarum gentium ut ſedes ita etiam nomina ſibi aſſumpſere. Pars vero *Maſſagetarum* ut dictum eſt Getis illis qui remanſerunt commiſti *Maſſagetæ* dicebantur. *Saſonibus* nomen inditum videtur a *Saiſon* vel *Seiſſon*, ut apud *Megeſerum* dictio reperitur, quæ falcem ſignificat, quia enſibus falcium ſimilibus uterentur. *Belgæ*, *Saxones* die *Saſſen* appellant; noſque eorum ſobolem *Cambrobritanni Saiſen* vocant. Ipſi ſe pariter et breves ejuſmodi gladios

Ciſner: Præfat in Crantzii Saxoniam:

gladios *Saexen* nominabant, qualibus nimirum gladiis in patranda tum *Britannorum* tum *Thuringorum* nobilium cæde utebantur. Ab iſtis enſibus nomen *Saxonum* traxiſſe illos non leve eſt argumentum quod *Pontanus* memorat, Quin & ipſa quoque *Saxonia*, inquit, in ſcuto ſuo ſive clypeo vetuſtiori, (*Wapen* et *Schilt* vernaculo idiomate dicimus,) duos gladiolos adhuc oſtentat in formam crucis tranſverſim conſtitutos, indubitatum nomenclationis hujuſce argumentum. Tres quoque illiuſmodi enſes in ſcuto pro *inſigni* geſtaſſe primus Orientalium in *Britannia* Saxonum Rex memoratur. Notiſſimum vero eſt iſtud, *Pontan: Origin: Francic: lib: 2: cap: 2:*

Diſtichon; *Quippe brevis gladius apud illos* Saxa *vocatur.*
Unde ſibi nomen Saxo *traxiſſe putatur.* *Camd: in Sax:*

Quod autem nonnulli gentis hujus appellationem a *Thuringorum* cæde arceſſunt, id ipſa temporum ratio falſitatis coarguit cum *Saxonum* antiquius quam *Thuringorum* nomen eſſe liquido conſtet. Nec minus a veritate aliena eſt *Goropii Becani* Etymologia qui *Saxones* quaſi *Sacaſones*, id eſt *Sacarum* filios, dictos eſſe contendit. Etſi enim *Sacæ* *Strabone* teſte magnam *Armeniæ* partem devictam à ſuo nomine

mine *Sacaſenam* nuncupaverint et uſque ad *Cappadoces* juxta pontum *Euxinum* penetraverint, eos tamen Iſtrum fluuium ſubeuntes ad *Hercyniam* ſylvam excurriſſe atque ita *Germaniam* occupaſſe, quod de ſuo adjicit *Goropius*, nullus author antiquus prodidit. Sui ipſorum Hiſtorici eos non per *Hercyniam* ſylvam ſed per mare *Sarmaticum* in *Cherſoneſum* ingreſſos eſſe tanquam rem certam et indubiam retulerunt. præterea, *Goropii* Etymologia, ut optime oſtendit *Sheringhamus*, nimis diſtorta eſt, et ad ſonum Latini magis quam *Saxonici* vocabuli accommodatior. *Saxones* enim inquit ſe in plurali *Saexen* appellant, quod plures *Saxones* non *Sacarum* filios ſignificat. Quod *Goropius* ait *Saexen* conciſam eſſe dictionem pro *Sacſones*, magis probatum quam dictum vellem. *Saexen* enim regulariter formatur a ſingulari *Saex* quod etiam unum *Saxonem*, non *Sacarum* filium deſignat. *Certe* ſi *Saex* et *Saexen* fracta et truncata vocabula ſunt, pro *Sacſon* et *Sacſones*, oportet integra aliquando in uſu fuiſſe, quæ tamen hactenus inaudita ſunt. Vocabula enim non niſi uſu mutilantur, dictiones nullæ claudo pede naſcuntur, ſed vulgi abuſu truncantur atque claudicant. Illud etiam ſcire cupiam, quomodo ſubolebat *Goropio Saxones*

Witthindus lib: 1:
Crantz: Hiſt: Sax: lib: 1:
Sheringh: de orig: Angl:

a

a *Sacis*, magis quam *Sacas* a *Saxonibus* ortos eſſe; atque illud inſuper, cur *Saxones* magis quam *Syebi*, aut alii populi *Sacis* contermini, *Sacarum* filii vocarentur. *Syebi* communius *Suevi* vocati cum in *Germania* mirum in modum excreviſſent, in complures populos ut *Tacitus* narrat diſtributi ſunt, quorum tres præcipuos recenſet *Ptolemæus*, *Suevos Semnones*, *Suevos Longobardos*, & *Suevos Angilos*, quos *Tacitus* contractius *Anglos* vocat. *Angli* quo tempore *Tacitus* ac *Ptolemæus* ſcripſerint, illam *Germaniæ* partem *Albi* fluvio adjacentem ubi nunc eſt ducatus *Luneburgenſis* habitarunt. *Ciſnerus* ubi *Suevos Anglos*, juxta *Tacitum* & *Ptolomæum*, *Mediterraneos*; illos vero *Anglos* qui cum *Saxonibus* in *Britanniam* tranſierunt, juxta *Bedam* ac *Fabium Athelardum*, maritimos, fuiſſe obſervaret; duos hinc & plane diverſos *Anglorum* populos conſtituit, hos, *Suevicos*, illos *Saxonicos*. Interim vero a temporibus *Taciti* ac *Ptolemæi*, priuſquam *Saxones* in *Britanniam* tranſmiſerint, aliquot ſæcula præteriiſſe haud animadvertit, quibus *Suevi Angli* ſedes mutaſſe vel pronoviſſe poterant, qui longius anno remanere uno in loco, incolendi cauſa non ſolebant. Frequenter eos ſedes mutaſſe teſtatur his verbis *Strabo*,

Tacit. in Deſcript. German: Ptolem: Geogr: lib: 2.

Ciſn: in præf: ad Crantzii Saxon.

Cæſar de bello Gallico lib: 4. Strabo Geograph. lib: 7.

Κοινὸν δ' ἐστὶν ἅπασι τοῖς τάυτῃ τὸ περὶ τὰς μεταναστάσεις εὐμαρὲς διὰ τὴν λιτότητα τῆς βίου, καὶ διὰ το μὴ γεωργεῖν. Commune omnium eſt qui iſtis in locis degunt facilis & expedita ſoli mutatio, & ob tenuitatem victus, & quod agros non colunt. Et quidem, inquit *Sheringhamus*, mutaſſe ſedes Mediterraneos hoſce Anglos, atque in *Jutiam* auſtralem migraſſe (quæ nunc ducatus eſt *Sleſvicenſis*;) multa confirmare videntur; nam diuturnum fere bellum *Saxonibus* cum *Danis* interceſſerit, & prout unaquæque gens valentior erat, ſedes in jutia mutarunt; interdum *Saxones*, *Dani* nonnunquam, mox *Saxones* viciſſim illam occupaverint. *Saxonici* vero juris fuiſſe *Jutiam* quum *Saxones* in *Britanniam* migrarent, exinde apparet, quod ejuſdem cum *Saxonibus* expeditionis etiam *Jutæ* participes eſſent, nulla prorſus habita *Danorum* ea de re vel in ipſorum vel noſtratium Hiſtoriis mentione. Hoc etiam argumentum eſt haud invalidum, quod Ptolemæus in deſcriptione *Cherſoneſi* nullam *Anglorum* mentionem fecerit, ſed quibus *Beda* & *Fabius Athelvardus* locis *Anglos*, iiſdem ille *Chalos*, *Cobandos*, *Sabalingios* & *Sigulones* collocaverit. Nec *Anglorum* in *Jutia* quiſquam alius ante *Ptolemæum*, immo ne poſt *Ptolemæum* multum

Sheringh: de Orig: Anglor.

multum ante navales eorum in *Britanniam* expeditiones, meminerit, unde novos fuiſſe advenas jure credendum eſt. Huc accedat quod poſtquam de *Saxonibus Anglis* qui in *Jutia* ad littora maris habitabant, apud authores mentio facta ſit, nihil deinde de *Suevis Anglis* qui ad *Albim* ſedebant, ab antiquis memoriæ proditum eſt, unde nobis non leve indicium ſuppeditatur, ipſos relictis ad Albim ſedibus in Jutiam abiiſſe. Poſtremo in deſcriptione *Germaniæ* nemo unquam duos *Anglorum* populos regionibus disjunctos in tabulis *Geographicis* expreſſit, aut alias Hiſtorica narratione commemoravit, quod vix quiſquam omiſſum feciſſet, ſi non unus ſed multiplex populus fuiſſet. Mutatarum crebro ſedium impoſitique proinde nominis teſtes atque indicia manifeſta ſunt, Provincia *Anglarienſis* in *Weſtphalia* (olim *Angrivariis* habitata,) & oppida per *Germaniam Angloenſe Ingolſtadium, Ingolhemium* & *Engelruta*. In *Brittiam* inſulam *Batavicam* colonos emiſere, qui *Procopii Cæſarienſis* tempore proprios Reges habuere. Alii *Longobardis Italiam* petentibus ſeſe adjungentes, *Angleriam* ibi condidere. *Anglorum* nominis varii varias *Etymologias* exhibent. Nonnulli *Anglos* dictos quaſi *Angelos* volunt propter Angeli-

Procop: de bello Gothico lib: 4.

cum formæ decorem, quod omnino poeticum eſt & Hyperbolicum. Alii ab arte hamatoria quam lingua vernacula vocamus, *Angling*, quam tamen alios plurimos atque callere ſatis conſtat, nec ea tanti antiquitus æſtimabatur ut inde gentes præclaræ denominarentur. Alii ab *Anglo* Humbri filio, alii ab angulo terræ quem incoluerunt; Cum vero *Anglus* iſte, *Danicus* princeps eſſet, atque ab *Anglis* & alienus prorſus & remotus, *Anglorum* autem non magis quam aliorum quorumlibet patriæ utpote mediterraneæ, competeret Anguli appellatio, alia certe hujuſce nominis ratio inveſtiganda fuerit. *Odino* illi magno *Saxonum* & *Suevorum* Regi a quo regum ſuorum omnium ſtemmata *Angloſaxones* deduxere, fuit (præter alios quos habuit complures) filius, *Ingo* nomine, cujus poſteri *Inglingar* dicti ſunt; A quo *Rhythmi Staldrorum* genealogici, quod ab eo initium ſumerent, *Inglingatal* vocabantur. Porro *Anglus* lingua vernacula *Ingliſch* vocabatur; ſi igitur hanc *Suevorum* partem *Ingoni* olim *Othinum* patrem regendam demandaſſe, ac proinde gentem ab illo *Ingliſch* vel *Ingling* denominatam putaverimus, ea ſane conjectura probabilitatis ſpecie haud careret. Nam *Anglos* eſſe quondam etiam *Inglings* appellaſſe

Arngrimus Jonas in Republica Iſlandua cap: 4:

hinc

hinc eſt colligere, quod eos Hiſtorici Byzantini *Inglinos* nuncupent. Primus, *Angloram* meminit tacitus; *Saxonum Ptolemæus.* Quin & *Suardones* Tacite, quos in nullo præterea authore antiquo unquam reperire potui, luxato, excribentium incuria, *Saxonum* nomini, ſuum debere ortum videantur. Quippe *Saxonum* in *Sardones*, *Sardonum* in *Suardones* facilis eſt diſtortio. *Scephus Heremodii* filius, *Itermonii* nepos, *Hadræ* pronepos, *Guale* abnepos, *Beduigi atnepos*, *Streſæi* trinepos, armis (adhuc puerulus) circumdatus, navi ſine remige impoſitus, atque ad quandam *Germaniæ* inſulam, quam *Fabius Athelwardus*, *Scani*, *Guilielmus Malmesburienſis*, *Scamphtam*, vocat, (uterque *Sialandiam* quæ & ipſa *Scandiæ* dicta eſt intelligit,) advectus, poſito ad caput frumenti manipulo (unde inditum Scephi nomen) dormiens, ab incolis pro miraculo exceptus & ſedulo nutritus eſt. Ubi adolevit, a *Saxonibus* in *Cherſoneſo* degentibus in regem electus, regnavit in oppido quod nunc *Sleſvicum* tunc vero Heithibi appellabatur. *Genealogiæ* prædictæ *Scioli* quidam cum jam univerſa gens fidem Chriſtianam ſuſcepiſſet, priſcorum Patriarcharum nomina a *Semo* quem *Beduigi* patrem faciant, ad ipſum uſque

Nicetas & Codinus.

Tacit: Deſcript: German.

Athelv. Guil: Malm: lib: 2.

uſque *Adamum Protoplaſtum* aſcendentes attexuerunt. Quod *Sheringhamo* *Sheringh. de orig. Angl.* *Semum Cimbricarum, Suevicarum, Gothicarum & Saxonicarum* gentium authorem conſtituenti adeo arriſit, ut harum Genealogiarum authoritatem ad opinionem ſuam ſtabiliendam advocaret, quaſi *Saxonibus Gothiſque* magis quam eruditioribus *Romanorum, Græcorum, Ægyptiorum, Chaldæorum* ac *Semum* populis innotuiſſet integra *Macrobiorum* illorum ſeries ac *Moſaica* nomenclatio. Nec tamen advertit pro *Semo Sethum* ibi aliquoties poni, (ut in *Aſſerio* & *Florentio*,) *Guilielmus* vero *Malmesburienſis Reduigo* nec *Semum* nec *Sethum* ſed *Streſæum* patrem tribuit; atque ita ſtemmatis recenſionem abſolvit; *Hic ut dicitur fuit filius Noæ.* Et *Streſæum* vetuſta tabula Genealogica quam ipſe *Cantabrigiæ* in *Collegii* Corporis *Chriſti* Bibliotheca conſpexi ab *Japeto* deducit. Ejuſdemque *Japeti* benedictio communi patrum conſenſu de *Europæorum* converſione intelligitur, quorum pars magna erant *Cimbri, Gothi, Suevi & Saxones.* Haud felicius procedit, quod de quorundam regum nominibus a *Chul*, *Arami* filio, *Semi* nepote, derivatis tradit. Etenim *Chulpreehti, Chulberti,* (aut rectius *Chilperici, Childeberti,*) cæterorumque nomina *Guil Malm: lib: 2.*

ex

ex alio fonte petenda eſſe norunt omnes, qui vel extremis labiis *Teutonicas* delibaverint antiquitates. Unum pro multis *Venantii Fortunati* ſuper hac re teſtimonium protulero, qui *Chilperici* ſeu potius *Hilperici Franci* nomen, per, adjutorem *Fortem*, *Teutonice*, *Hilper Ric*, interpretatur, ita Regem illum alloquens;

Hilperic *potens ſi interpres barbarus adſit,*
Adjutor fortis: hoc quoque nomen habes.

Scephus prædictus *Scaldii* pater fuit, *Beovini* avus, Tectii (ſive *Tetuæ*) proavus, *Getæ* abavus, quem *Getam*, inquit Aſſerius *Menevenſis*, jamdudum *Pagani* pro Deo venerabantur. Ille id nominis vel a gigantea ſtatura ſortitus eſt, (etenim gigantem *Saxones Geat* appellabant,) vel ab ipſis Getis apud quos ob ſuſceptam cum eorum Rege *Philimero* profectionem ſummo in honore habitus eſt, a quibus appellationem ſumpſiſſe illum potius quam iis indidiſſe hinc liquet, quoniam *Gothi* in *Aſia Getæ* (quum ille nondum natus eſſet,) dicerentur, antequam in *Europam* tranſirent, quod ex origine *Maſſagetarum* evincitur. *Geta Godulphi* pater, *Finni* avus, *Fridulphi* proavus, *Frelaphii* abavus, *Fridoaldi* atavus, *Othini* ſive *Odini* tritavus fuit. Hunc *Paulus Diaconus Godan* vocat, noſtri *Woden*. He hujus ſtirpe, inquit

Aſſer, in vita Alfredi & Flor: vigorn.

Beda lib. 1. cap. 15. At hel.

inquit *Beda*, multarum Provinciarum regium genus originem duxit, *Fabio Athelvarde* vocatur, Rex multitudinis *Barbarorum*; qui & iſta adjicit, in tanta etenim ſeductione oppreſſi, aquilonales increduli, ut Deum colunt uſque in hodiernam diem, videlicet *Dani*, *Northmanni* quoque & *Sueui*

Guil. Malm. lib. 1.

Guilielmus Malmesburienſis de *Hengiſto* & *Horſa* verba faciens iſta ſubjicit, erunt abnepotes (nimirum remoti, ut recte obſervavit *Sheringhamus*) illius antiquiſſimi *Wodeni* de quo omnium pene barbararum gentium regium genus lineam trahit, quemque gentes *Anglorum* Deum eſſe delirantes, ei quartum diem ſeptimanæ, et ſextum uxori ejus *Freæ* perpetuo ad hoc tempus conſecraverunt ſacrilegio. Præterea *Thorroni* quem eorum filium complures faciunt, dies quinta; ejuſque uxori *Dyſa* ſive *Thyſa* (juſtitiæ Deæ,) tertia; *Saturo* quem *Crotonem*, *Credonem* et *Credanem* alii nominant, ſeptima, Soli prima, Lunæ ſecunda dies hebdomadis dicata erat. Atque hæc dierum conſecratio ſive dedicatio quaſi alterum projectum Diſcordiæ pomum, amplam ſcriptoribus altercandi anſam præbuit; his *Romanum* et *Græcorum* numina cum *Aquilonaribus* conciliare ſatagentibus, illis ſententiam plane contrariam propugnantibus. Nos miſſam hanc con-

controverſiam facimus, & ad exequenda *Odini* geſta properamus. *Saxonibus* ille & *Suevis* quos *Geta* tritavus *Philimerum Gothorum* regem ut dictum eſt comitatus eo traduxerat, in Aſæorum aut *Aſiotarum* ſive Aſpurgianorum regione imperavit. Ea ſita eſt juxta Sindicam in *Aſiatica Sarmatia* ad mare *Boſporanum*, & peculiarius *Aſia* dicta eſt ab *Aſeis* illo ex *Scythia* intra *Imaum* migrantibus. Regni caput ac metropolis fuit urbs *Aſgardia* ſuum regioni circum poſitæ nomen impertiens, cujus *Ptolemæus* in ſecundo Quadripartiti, ut a *Matthia Micovio* citatur, ita meminit; Qui in confinibus terratum *Sarmatiæ* & terræ *Aſcardæ* converſantur, *Aquario & Saturno* aſſimilantur; unde Majoris ſunt crudelitatis, qualitateſque animarum ſuarum ferociſſimæ. Hinc *Odinum Norvegi* & *Iſlandi* *Aſæum* militeſque ejus *Aſæos* vocant. *Bellator* egregius fuit ac magus inſignis, & regna plurima ac ditiones in ſuam redegit poteſtatem. Cumque diutius, in Scythia, ac *Ruſsia* moratus, ubi adamatæ Regis filiæ *Rindæ* (ut *Hercules Omphalæ*) ſe mancipavit, a regnis propriis abeſſet, fratres *Ve & Velir* quorum fidei uxorem imperiumque commiſerat ab Ollero quodam decepti regnum ei tradiderunt. Eum vero Odinus redux

Strabo Geogr. lib. 11.

Micov: de Sarm. Aſiat: lib: cap. 10.

Chron. Norv. in fugam egit, receptaque poreſtate una cum conjuge, arma *Scythis Vaner* dictis ad *Tanaim* habitantibus intulit. Compoſita demum cum iis pace, datiſque invicem obſidibus, *Odinus* commendata fratribus *Aſgardia* quo tempore *Pompeius Aſiam* vaſtavit, *Saxones* ſuos ac *Suevos* in *Ruſlandiam* ſive *Ruſsiam* educit, domitiſque incolis *Boum* filium præficit. Inde in *Germaniam* movet, & *Saxoniam Sueviamque* ab alia *Scephi Scaldilque* ſobole eatenus adminiſtratas, (quarum prior a *Danis* ſæpius afflicta fuerat,) ſibi vindicat, principeſque iis e filiis aliquos tribuit. Poſt annos complures in *Germania* exactos; jam ſenex *Norvegiam* inter *Nori* quondam Regis poſteros ſublata Monarchia diſtributam, cum *Aſæis* patiit ac ſubegit, filioque *Semingo* ſive Hemingo anno ante Chriſtum natum viceſimo quarto addixit. Regnabat tunc temporis in parte Gothiæ Suecicæ *Gylvo* qui advenientem illuc *Odinum* veritus, illi icto fœdere *Sigtunum* cum adjacente territorio conceſſit. *Ibi* poſt tot victorias ac triumphos fato defunctum tam *Scandiani* quam Germani *Ethnicis* erroribus miſere impliciti in Deorum numerum retulere. Quod ad regimen ejus civile attinet, tam religionis ac ceremoniarum quam litium dirimendarum

Edda Iſlandica.

Meurſii Haſtor. Danic: lib. 1.

Amgrimus Jonas de republ. Iſland: cap. 4.

Chron. Sueogothic.

juriſ-

juriſque dicendi curam duodecim Senatoribus demandavit, quos *Diarios*, id eſt, Deos ſeu divinos, & *Drotnarios*, id eſt, Dominos, ſubditi ejus appellarunt. *Frea Friegga* ſeu *Fricco Odini* conjux *Hermaphroditicum* utriuſque ſexus numen ut apud *Græcos* & *Latinos Venus* habebatur, niſi potius *Adami Bremenſis* Fricconem, eundem eſſe cum Freiero Odini ſocio ſenſerimus qui una cum Odino & *Nierdo* invocari a jurantibus ſolebat. *Nierdus* a *Scythis Vaner* dictis obſes *Odino* datus, ipſum in omnibus expeditionibus ſecutus in *Sigtunenſi* Provincia poſt eum regnavit. Præter hos alioſque jam memoratos divos, etiam *Tuiſconem* ſive *Tuiſtonem*, *Tanfanam*, *Herthum*, *Helam*, *Eoſtrem*, *Rhedam*, *Noccam*, *Maram*, *Nidhoggum*, *Virginem de Blakulla*, *Mimingum*, *Elvas*, & innumeram dæmonum multitudinem arctoi olim populi coluerunt. Atque hic haud exigua occurrit ſolvenda de tempore quo *Odinus* vixerit difficultas. Etenim ſi illum *Schioldi* a quo Daniæ Reges *Schioldungi* ſunt nuncupati, patrem fuiſſe cum *Eddæ Iſlandicæ* concinnatore ſtatuamus, circa regni *Danici* initium eum vixiſſe dicendum fuerit; & quidem *Hadingi* tempore pro Deo habitum fuiſſe *Saxo Grammaticus* narrat. Idem vero *Saxo* illum

Saxo hiſt. Dan. lib. 3.

una cum *Thorrone*, *Baldero* & *Boo* bellum *Hothero*, qui in *Danicorum* regum Catalogo decimus quartus numeratur, intuliſſe refert. *Arngrinus Jonas*, adhuc recentiorem conſtituit ſcriptorum *Norvegicorum* authoritate fretus. (Quamvis alios quoque, ut *Brynolphus Suenonius* Epiſcopus *Scalhaltenſis* monuit, (præter hunc noſtrum) extitiſſe *Odinos* minime diffiteatur cui & nos aſſentimur.) Sunt qui illum appellant *Bodonem*; atque *Hengiſtum* & *Horſum*, vere ejus abnepotes fuiſſe, ſcilicet proximos, volunt, ſed hoc, Antiquiſſimi, appellatio a *Malmesburienſi* ei tributa non patitur. Nec ſi vir tantus illo, quo *Hengiſti* abavus vixiſſe exiſtimandus fuerit, tempore, *Saxonibus* imperaſſet; eaq; facinora, propter quæ tot populi divinos, ut *Athelvardus* docet, ipſi honores exhibuere, patraſſet, univerſos ſcriptores *Romanos* penitus latuiſſe poterat. *Suevorum Saxonumq;* reges (præter illos principes *Saxonicos* quos ad id ſolum genuiſſe *Saxo Sialandicus* videtur, ut *Danis* ſui triumphandi materiam ſuppeditaret,) memorantur *Artharius*, *Anſonarius*, *Arioniſtus*, *Vilchinus Maroboduus*, *Vannius*, *Vangio* & *Sido*, *Vidichindus* priſcus, *Vilchinus* & *Marbodus*. *Romanis Suevorum* citius quam *Saxonum* (remotius habitantium) nomen innotuit.

Idem llb. 3.

Arngrim. de repub. Iſland. lib. 4.

Suenon. in conjectanea ad Saxonem.

Arioniſtus

Arioniſtus a Senatu *Romano* rex & amicus appellatus omnes *Galliæ* civitates ad ſe appugnandum venientes Amagetobrienſi prælio fudit ac ſuperavit, peſteaq; cum *Julio Cæſare* fortiter conflixit, qui ex Odini filiis fuiſſe videtur ut & ille rex ſuevicus qui Indos naufragos metello Celeri *Galliam* regenti tranſmiſit. *Uſipij* ac *Tenteri* trans *Rhenum* a *Suevis* quos *Cæſar* gentem longe maximam & bellicoſiſſimam *Germanorum* omnium, centum pagos incolentem vocat, trans *Rhenum* in *Galliam* pulſi, ſeſe unis Suevis concedere, quibus ne Deos quidem immortales pares eſſe potuiſſe credebant, *Cæſari* profeſſi ſunt. Ipſe *Cæſar Suevorum* virtutem ac potentiam veritus, e *Germania* ſe feſtinus in *Galliam* recepit, & ne abeuntem illi aſſequerentur, pontem quem paulo ante *Rheno* ſuperſtraverat, reſcidit. *Maroboduus*, quem miris effert laudibus *Velleius Paterculus*, duodecim legionibus duce *Tiberio* petitus, illibatam *Germanorum* gloriam ſervavit, æquiſq; conditionibus diſceſſit, nec dubium eſt quin *Angli* in his *Suevorum* bellis præclare ſe geſſerint, qui etiam deficientibus ad *Arminium*, *Cheruſcum Semnonibus* ac *Longobardis* regem ſuum prædictum haud deſeruerunt. *Saxonum* prima in *Germania* ſedes fuit *Holſatia* inde *Germanice* Olt Saxen id eſt *Vetus Saxonia* dicta,

Cæſar de bello Gall. lib. 1.

Idem lib. 4.

Vell. Paterc. lib. 2.

Tacit. Ann. lib. 2.

Suffrid. Petr. de orig. Friſ. lib. 2. cap. 12.

dicta, unde per *Vagriam Stormariam*, *Dithmarſiamq*, ſe diffuderunt, quæ nomine communi, quod ab Albi fluuio Boream verſus protenderentur, *Nordalbingia* vocabantur. Hinc viribus animiſq; aucti *Frisiam* & maritima *Germaniæ Britanniam* reſpicientia ſibi parere coegerunt, *Galliæ Belgicæ* & *Armoricæ* littora fere perpetuo infeſtarunt, aliquando & inſederunt. Unde totus ille tractus maritimus a Ligeri ad *Albim* uſque *Saxonicum* littus appellabatur. *Britanniam* navibus piraticis advecti crebro deprædati ſunt, totumq; mare navigantibus intutum reddiderunt. Hos coercendi copiis nauali-bus, cura Comiti *Littoris Saxonici* per *Britanniam*; terreſtribus, *Galliæ Belgicæ* & *Armoricæ* ducibus erat demandata. Imperante *Diocletiano* per tractum *Belgicæ* & *Armoricæ* eos mare infeſtaſſe ſcribit *Eutropius*. *Chamavi* ſeſe ijs adjungentes exinde pars eorum habiti ſunt, qui *Bataviam* pulſis inde *Francis Salijs* occuparunt. *Zoſimo* perperam Quadi nuncupantur. Converſos poſthac ad metuendam rabiem *Saxones*, ſemper quolibet inexplorato ruentes, (quam ob cauſam præ cæteris hoſtibus timentur, inquit *Ammianus*,) delatoſq; tunc ad maritimos tractus, quorum ſpolijs pene redierant onuſti, malefido quidem ſed utili commento peremit imperator *Valentinianus*, præda raptori-

Eutrop. lib. 9.

Zoſim. lib. 3.

Amm. Marcel. lib. 28.30.

raptoribus vi fractis excuſſa. Illos virtute & agilitate terribiles appellat *Oroſius*. Interim atrociſſima, ijs de *Futia* ditione cum *Danis* bella interceſſerunt, quæ cum minus proſpere *Saxonibus* cederent, illi *Suevos Anglos* in auxilium advocarunt, quorum ope recuperatam *Futiam Auſtralem* ipſis habitandam tradiderunt, deinde *Futiam* equilonarem invadentes, eam *Danis* ereptam ſui juris fecerunt. Ex illo tempore *Angli* unam cum *Saxonibus* rempublicam conſtituentes, ijs, non *Suevis* accenſiti atq; *Angli Saxones* & uno vocabulo *Angloſaxones* nominati ſunt. Hic *Saxonum*, *Anglorum* et *Futarum* ſtatus fuit, quum a *Britannis* accerſerentur. Sed præter iſtos *Suffridus Petrus* et alij quidam etiam *Friſones* accitos in *Britanniam* commeaſſe pertendunt. Equidem *Beda* eos, inter populos a quibus noſtri *Angloſaxones* genus traxerint connumerare videatur, ita de ijs quæ verbum vitæ nondum audierant gentibus loquens; Quarum in *Germania* plurimas noverat eſſe nationes, a quibus vel *Saxones* qui nunc *Britanniam* incolunt genus et originem duxiſſe noſcuntur. Unde hactenus a vicina gente Britonum corrupte *Germani* nuncupantur. Sunt autem *Freſones*, *Rugini*, *Dani*, *Hunni*, antiqui *Saxones*, *Boructuarij*. Ubi notandum, latiores multo fuiſſe illo, de quo *Beda* hic

Bed. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 10.

hic agit, tempore quam ante *Britannicam* expeditionem *Saxonum* ſedes, quippe qui non modo oram maritimam occupaſſent, ſed etiam ad interiores *Germaniæ* partes penetraſſet, ita ut *Freſones*, *Rugini*, *Dani*, id eſt *Futæ*, ac *Boructuarij* (ſive rectius *Bructeri*) *Saxonicæ* gentes, quia ſub imperio *Saxonum* degentes, haberentur. Nec alio ſenſu quopiam ad *Angloſaxones* magis *Friſones* quam cæteri populi ibidem memorati pertinere intelligi poſſunt. Anglis in *Albionem* migrantibus, *Futiſq;* a *Saxonibus* ad cognatos *Danos* deſciſcentibus, quodammodo deſerta uſq; ad *Bedæ* tempora manſit vetus *Anglia*, decertantium odijs internecinis *Saxonum* ac *Danorum* palæſtra. At paulo poſt, *Futæ Danicq;* prevalentes, eam juris ſui fecerunt, quæ exinde appellata eſt *Auſtralis Futia*. *Pars* ejus, *Friſia* minor vocatur, a *Friſonibus* eo traductis, quoda *Godefrido Danorum* rege qui *Friſones* debellavit factum videtur. Horum regionem *Iſacius Pontanus* ſic deſcribit. In eodem hoc littore *Friſij* minores ſunt, *Saxoni Grammatico* celebrati. Sunt hi *Strandij* ſive (ut appellant vulgo) Strandfriſij, incipientes haud procul, *Huſemo*, atq; inde in *Boream* erecti, non minus quam per milliaria quatuor anguſti littoris oram tenent, cujus ſpatij medio forum habent elegans et bene

Bed. lib. 1. cap. 15.

Pontan. Chorograph. Daniæ Deſcript. de Jutland. Meridion.

bene cultum, multiſque ejus tractus opidis haud impar, mercatuq; celebre, *Breſtedam* nuncupatum, atque is terminus ſoli pinguioris in ea maris ora. Ulteriora fere arenoſa. Utrinque vero vici duo more *Friſico* culti, quorum ad ſeptentrionem extremus Langehorna, omnem tandem *Friſiam* iſtic finit. Unde ad *Flensburgum* nobiliſſimum hujus diſtrictus oppidum quatuor milliarium iter patet. Ex hac utique *Friſia* egreſſos Hengiſtum & Horſum, diu ante *Friſonum* in illas *Jutiæ* partes adventum, ad *Friſiam* ſuam traducere *Suffridus Petrus* ejuſque ſequaces irrito conatu laborarunt. At quamvis olim tota inter *Saxones* & Jutas regio juxtam *Bedam*, *Athelvardum* ac *Malmesburienſem* *Anglia* vetus appellaretur, exigua tantum ejus pars inter *Sliam* & *Flensburgicum* ſinum interpoſita id nominis hodie retinet. Hanc etiam ipſam peninſulæ quandam ſpeciem præ ſe ferentem, Nennius inſulam *Ogbgul*, ſive (ut in uno exemplari ſcriptum inveniſſe ſe teſtatur Uſſerius) *Axgul* vocat, niſi integram ille peninſulam Cimbricam intelligat. Ex *Holſatico* igitur ducatu ſive *Nordalbingia* profecti *Saxones*, orientalium, auſtralium & occidentalium *Saxonum* regna in *Britannia* erexerunt. Orientales *Eſſexiam* *Middelſexiam* et auſtralem *Hertfordiæ* partem,

Nennius. Uſſer. primord. cap 12.

tem, *Auſtrales Suſſexiam & Surreiæ* partem tenuerunt. Occidentales qui antiquitus *Geviſſi* a *Geviſſo Cerdici* regis proavo dicebantur, *Surreiæ* partem, *Suthantoniam*, (parte illa maritima excepta quam a *Futis* occupatam diximus,) *Bercheriam*, *Viltoniam*, *Dorſetiam*, *Somerſetiam*, *Devoniam & Cornubiæ* partem poſſederunt. Ex *Sleſvicenſi* ducatu ſive auſtrali *Futia* convolantes *Angli*, *Northumbrorum*, *Merciorum* et Orientalium *Anglorum* regna fundarunt. *Northumbri* (ita dicti quia trans *Humbrum* verſus ſeptentrionem habitarunt) in *Deiros* et Bernicios diſtinguebantur; *Deiri Lancaſtriam*; *Eboracenſem* comitatum, *Veſtmariam*; *Bernicij* Comitatum *Northumbria* cum parte *Scotiæ* uſque ad fretum *Edenburgicum*, incoluerunt. *Dunelmenſis* epiſcopatus nunc *Deirorum*, nunc *Berniciorum* regi ceſſit, prout alteruter magis pollebat, ita ut aliquando *Teſis* aliquando *Tina* fluvius ea regna diſterminaret. *Cumbria* quoq; *Deiri*; & occidua *Scotiæ* parte *Bernicij* aliquandiu potiebantur; quas *Britones* poſtea recuperatas *Cambrenſe* ſive *Cumbrenſe* regnum nominarunt. *Mercij* in mediterraneos, auſtrales & aquilonares dividebantur, *Mediterranei* ſive *Middelengli* comitatum *Leiceſtrenſem*; aquilonares *Derbiam Nottinghamiam Ceſtriam*; *Auſtrales Lincolniam*, *Nor-*

Northantoniam Rutlandiam Huntingdoniam Buccinghamiam Oxoniam Gloceſtriam Varvicum Vigorniam Hereſordiam Staffordiam Salopiam Eoſordiam & borealem *Hertfordiæ* partem repleverunt. *Angli* Orientales *Norfolciam Suffolciam* & *Cantabrigiam* cum *Elienſi* inſula habitarunt. Atque ita partem inſulæ longe potiorem occupantes *Angloſaxones* in ſeptem regna diſtribuerunt, ita tamen ut in illo ipſo *Heptarchiæ* tempore quædam Monarchiæ ſpecies emicaret; ſiquidem quicunq; cæteris potentia antecelleret, illuſtri Regis *Anglorum* titulo inſigniebatur. Primum eorum adventum in annum *Domini* quadringenteſimum quadrageſimum nonum, qui fuit *Vortigerni* regis *Britannici* quartus, conijciunt *Beda* (utcunq; quoad initium imperij *Marciani* hallucinatur) *Fabius Athelvardus*, *Annales Angloſaxonica* lingua conſcripti, *Guilielmus Malmesburienſis*, *Henricus Huntingdonienſis*, *Alanus de Inſulis*, *Matthæus Florilegus* et alij; ex quo tempore ultra annos mille ducentos viginti quatuor, (quicquid dæmoniaci *Saxonum Ethnicorum* vates eoſq; ſecutus *Merlinus* de breviori ſpatio occinuerint,) *Anglorum* in *Britannia* regnum inclaruit, impoſito regioni a'b Anglis, (univerſim fere huc commeantibus) *Angliæ* nomine; jamq; ſub *Auguſtiſſimi* regis *Caroli* ſecundi Imperio una cum *Scotia*,

Hybernia inſuliſq; omnibus circumpoſitis florentiſſimum, haud contemnendis Eoæ *Heſperiæq; Indiæ* partibus expanſis late alis dominatur, atq; aduſq; mundi ſeculiq; finem, Deo Optimo Maximo favente, uti eſt ſperare, inconcuſſum perduraverit.

Reges Britannorum a Belino magno ad Vortigernum.

Belinus magnus Gilqueli Minocani Filius.
Imanuentius Luddus.
Caſſuellanus.
Tenevantius.
Cunobelinus.
Guiderius Togodumnus.
Caradocus.
Arviragus.
Marius.
Coelius.
Lucius.
Fulgentius.
Argetocoxus.
Coelius.
Trahernus.
Octavius.
Deonotus Urſulæ pater.
Cuneda pater Gueunæ,
matris Igernæ,
matris Arthurij.
Vortigernus.

Archiepiſ. Eboracenſes.
Faganus.
Theodoſius.
Socrates.
Eborius.
Faſtidius.
Samſon.
Piranus.
Thadiocus.

Archiepiſ. Londinenſes.
Theonus.
Elvanus.
Cadocus vel Cadorus.
Oenus.
Conanus.
Paludius vel Palladius.
Stephanus.
Augulius.
Iltutus vel Reſtitutus.
Theodovinus.
Theodredus.
Hilarius.
Guitelinus vel Goſſelinus
Vodinus.
Theonus vel Theonotus.

Rectores

Rectores *Britanniæ* ſub Imperio Romano, una cum *Tyrannis* eam obtinentibus.

Aulus Plautius.
Oſtorius Scapula.
Avitus Didius Gallus.
Veranius.
Paulinus Suetonius.
Petronius Turpilianus.
Trebellius Maximus.
Vettius Bolanus.
Petilius Cerealis
Julius Frontinus.
Julius Agricola.
Saluſtius Lucullus.
Cnæus Trebellius.
Julius Severus.
Priſcus Licinius.
Lollius Urbicus.
Calpurnius Agricola.
Ulpius Marcellus.
Helvius Pertinax.
Clodius Albinus.
Virius Lupus.
Nonius Philippus.
Poſthumus Tyrannus,
Lollianus Tyrannus.
Victorinus Tyrannus.
Marius Tyrannus.
Tetricus Tyrannus.
Bonoſus & Proculus Tyranni.
Claudius Cornelius Lælianus Tyrannus.
Caius Carauſius Tyrannus.
Caius Alectus Tyrannus.
Marcus Aurelius Aſclepiodotus.
Pacatianus.
Gratianus Funarius.
Martinus.
Lupicinus.
Alypius,
Nectaridius & Bulchobaudes.
Severus.
Jovinus.
Theodoſius.
Civilis cum Dulcitio.
Fraomarius,
Clemens Magnus Maximus Tyrannus.
Chryſanthus.
Victorinus.
Marcus Tyrannus,
Gratianus Municeps. Tyrannus.
Conſtantinus Tyrannus.
Gallio Ravennas.


Egbertus Angliæ Rex.
Athelulphus R.
Ceolulphus Merciorum Rex Cenulphi Regis frater.
Elfleda
Viglaphius Merciorum Rex.
Vigmund. sive Guimundus.
Achaius Stotorum R. ejus uxor erat Fergusiana Hungi Pictorum Regis Soror.
Alpinus
Atheldredus Mucil Gainorum Comes.
Edburga
Vistanus
Cenedus
Constantinus
Alfredus Rex
Elsuitha
Donaldus
Malcolumbus
Edovardus R.
Cenedus
Edmundus R.
Malcolumbus
Edgarus R.
Beatrix filia Crivino abthan nupta.
Emma
Atheldredus
Algiva
Duncanus
Edmundus R.
Edovardus Confessor Rex.
Edovardus Exul
Edgarus Adeling
Christina monialis
Margarita
Malcolumbus,
Carolus


Carolus Magnus Imperator.
Egbertus Angliæ Rex.
Ludovicus Pius Imperator
Athelulphus Rex.
Carolus Calvus Imperator.
Balduinus Primus Flandriæ Comes
Juditha
Adelbaldus Rex.
Alfredus Rex.
Balduinus II.
Athelsuitha sive Elstrudis
Edovardus Rex.
Arnulphus primus,
Rollo Dux Normanniæ
Edmundus Rex.
Balduinus III.
Guilielmus
Edgarus R.
Arnulphus II.
Ricardus
Balduinus IV.
Ricardus II.
Emma
Athel-dredus R.
Algiva
Balduinus V.
Edmundus R.
Robertus
Ricardus
Edovardus Exul
Mathildis
Guilielmus R.
Margarita
Gulielmus


Guilielmus Rex, — Mathildis
Malcolumbus — Margarita
Henricus R. — Mathildis
David Scotorum Rex.
Mathildis Imperatrix
Henricus Scotorum Princeps.
Henricus Secundus Rex,
David Comes Huntingdoniæ
Joannes Rex,
Isabella Roberto Bruſſio nupta.
Henricus Rex,
Robertus Bruſſius Carrictæ Comes,
Edovardus Rex,
Robertus Rex,
Edovardus Rex,
Marioria Gualterio Stuarto nupta,
Edovardus Rex,
Leonellus Dux Clarentiæ,
Edmundus Eboracenſis
Johannes Lancaſtrenſis,
Robertus Rex,
Philippa nupta Edmundo Mortimario
Henricus R.
Joannes
Johannes alias Robertus Rex
Rogerius Mortimarius
Joannes
Jana — Jacobus I.
Anna — Ricardus
Margarita Ricomontii comitiſſa,
Jacobus Secundus
Ricardus Eboracenſis,


Ricardus Eboracenſis,
Margarita Ricomontii Comitiſſa, Edmundo Oeni Filio nupta,
Jacobus II. Scotiæ R.
Chriſtianus I. Daniæ R.
Edovardus R.
Jacobus III.
Margarita
Elizabetha R.
Henricus VII R.
Fredericus R.
Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ comes,
Margarita
Jacobus IV.
Chriſtianus R.
Jacobus V.
Fridericus R.
Matthæus Stuartus Lenoxiæ Comes
Margarita
Henricus
Maria Regina,
Jacobus Rex, Britanniæ,
Anna,
Carolus I. Rex,
Carolus II. Rex Britanniæ Sereniſſimus,
Jacobus Eboracenſis Dux Illuſtriſſimus.


Edovallus
Venedotiæ
Princeps,
Jago Pr.
Conanus
Griffinus Pr.
Oenus Pr.
Guenliana
Nupta Griffino
Filio Rhesi
Principis
Demetiæ,
Cadovalladrus
Jorovardus
Ricardus
Leolinus
magnus Pr.
Rhesus
Demetiæ Pr.
Adeliciæ
nupta
Ithelo Vychan
David Pr.
Gladusia
Nupta
Radulpho
Mortimario,
Griffinus
Rogerius
Mortimarius
Leolinus Pr.
Angarata nupta
Theodoro filio
Grononis Filii
Edniveti Vychan
Grono,
Oenus


Oenus Demetiæ Princeps.
Ennianus
Meredithus
Angarata nupta Leolino filio Sisilli
Griffinus Pr.
Theodorus magnus,
Rhesus
Griffinus. Ejus Uxor Guenliana filia Griffini Principis Venedotiæ.
Rhesus,
Griffinus,
Guenliana
Ednivetus Vychan Confrigi filius Leolini magni
Oenus,
Meredithus
Oenus
Grono Consiliari
Theodorus. Ejus Ux
Angarata Filia Ithel & Adeliciæ,
Grono.


Leolinus Pr.
Griffini Filius
Catharina nupta Philippo Ivori fil.
Ælianora
Margarita
Rogerius Mortimarius
Edmundus
Rogerius
Edmundus
Rogerius
Edmundus
Rogerius
Anna Nupta Ricardo Cantabrigiensi
Ricardus Eboracensis
Edovardus IV. Rex.
Elizabetha Regina
Oenus Meredithi Filius,
Leolinus
Thomas
Meredithus
Oenus. Ejus Uxor Catharina Regis Henrici V. Relicta,
Edmundus Ricomontii Comes. Ejus Uxor Margarita Joannis Somersetensis Filia,
Henricus VII. Rex.
Henricus VIII. Rex,
Margarita Scotiæ Regina,
Grono Theodori Filius
Theodorus
Leolinus


Leolinus Sisilli filius, Gualliæ Princeps. Ejus Uxor Angarata Meredithi filia,
Griffinus Princeps,
Nesta
Bancho Loquabriæ Thanus,
Fleancius
Robertus Brussius Scheltoniæ in Eboracensi Comitatu dominus
Robertus Annandiæ dominus. Ejus uxor Isabella Guilielmi Scotiæ Regis Filia Notha,
Gualterius Stuartus
Alanus
Alexander
Gualterus
Robertus. Ejus Uxor Isabella filia Davidis comitis Huntingdoniæ
Robertus. Ejus uxor Martha Carriciæ Comitissa,
Robertus. ab hoc Originem petunt Stuarti Lenoxiæ Comites quorum primus,
Alexander
Joannes,
Robertus Scotiæ R.
Gualterus
Marioria
David R.
Alanus,
Robertus Stuartus Rex.

Robertus


Robertus Stuartus
Scotiæ Rex,
Alanus
Lenoxiæ
Comes,
Robertus Rex,
Joannes
Jacobus I.
Jacobus II.
Jacobus III.
Mariona
Nupta
Jacobo
Hamiltonio
Jacobus IV.
Jacobus V.
Margarita
Matthæus
Maria Regina
Henricus,
Jacobus magnæ Britanniæ Rex
Egbertus


Egbertus Angliæ Rex I.
Athelulphus R. II.
Adelstanus Nothus Rex Cantiannus
Adelbaldus R. 3.
Alfredus R. 6.
Adelbertus R. 4.
Atheldredus R. 5.
Edovardus, R. 7
Adelstanus R. 8.
Edmundus, R. 9.
Edredus, R. 10.
Edovinus R. 11.
Edgarus R. 12.
Edovardus R. 13.
Algiva
Athel-dredus R. 14.
Emma
Canutus Danus R. 16
Gulielmus I. R. 21
Edmundus R. 15
Edovardus Confessor R. 19
Adelicia
Gulielmus Rufus R. 22
Canutus Durus R. 18
Stephanus R. 24
Margarita Scotiæ regina
Henricus I. R. 23
Mathildis
David
Thira Godovino Nupta
Sueno R. Norvegiæ
Haraldus R. 17.
Mathildis imperatrix
Henricus II. R. 25
Haraldus R. 20
Ricardus R. 26.
Joannes R. 27
Henricus R. 28
Edovardus R. 29
Edovardus R. 30
Edovardus R. 31
Henricus
David
Isabella
Robertus Brussius
Marioria


Edovardus Angliæ Rex 31.
Robertus Stuartus Scotiæ Rex.
Edovardus
Leonellus
Edmundus
Joannes
Robertus
Ricard. R. 32.
Jacobus
Philippa
Joannes
Henric.
Jacobus
Rogerius
Rex 33.
Mortimarius
Joannes
Jacobus
Henricus
Anna
Ricardus
Rex 34.
Margarita
Ricardus
Henricus
Rex 35.
Ricardus
Rex 37.
Edovardus
Rex 36.
Elizabetha
Henricus Rex 38.
Henricus Rex 39.
Margarita
Jacobus
Jacobus
Edovardus
Rex 40.
Maria
regina 41.
Elizabetha
regina 42.
Maria
Jacobus Rex 43.
Carolus Rex 44.
Carolus Rex 45.
Jacobus Dux Eboracensis.

FINIS.

INDEX

Rerum in hoc Librum in Contentarum.

A

ABel, *quo ætatis anno occisus.* 2
Ararat *montes iidem qui* Caucasii 3,4,5
Alcanes *gentium* Gothicarum *pater* 14
Asia, Sarmatiæ *pars* 5,6.
Africæ *nomine quænam regio* Targumistis *indigitatur* 6, & *Epist.*
Albion *unde dicta* 23.
Aflechus Luddi *filius* 83,185. 221,320
Attiscoti 47.48.
Androgeus, *idem qui* Mandubratius, 65, 66,67.
Adminius Cynobelini *filius*, 85,86,87.
Augustus Britanniam *invadere statuit*, 83, 84.
Arviragus *rex* Britannicus 86,101,102.
Avitus Didius Gallus Ostorio *succedit* 102.
Agricolæ *gesta in* Britanniâ, 118,& *seq.*
Adrianus *Imp. in* Britanniam *veniens*, *provinciales Muro ab hostibus disterminat* 142.
Agricola *alter* Britannos *rebellantes compescit.* 143.
Albinus *Post* Pertinacem Britanniam *rexit* 165.
Imperatoris nomen sumit, 172

Victus a Severo *occiditur* 176.
Argetocoxus Caledoniorum *rex* 177.
Ejus uxor Juliæ Augustæ *scomma acriter retorquet* *ibid*
Allectus Carausium *interficit* 193.
Asclepiodotus *præfectus prætorio victum* Allectum *occidit*, 195
Albanus *martyr*, 197
Aaron *martyr*, 198
Amphibalus *martyr*, 199
Augulius *martyr*, 200
Alypius Britanniæ *Vicarius* 220
Areani, *convicti & a stationibus remoti*, 226
Allobichus Honorii *præfectus*, 245
Allelviatica *victoria*, 259
Agricola *Pelagianus* 256
Aetius *vir illustris* 253.261
Asgardia Aspurgianorum *metropolis*, 337
Angli *gens* Suevica, 329
Ab Ingone Odini *filio denominati*, 332
Eorum migrationes, 331
Saxonibus *se adjungunt*, 343
In Britanniam *transeunt*, 346

B

BAbylonica *turris quando & a quibus extructa*, 7.8
Britannia *unde dicta*, 49
Ejus circuitus *ibid.*
Et divisio; 210.227
Britanni *Populi* Galliæ 19.20
ijdem

Idem Britannorum *insulanorum conditores*, *ibid.*
Britanni *eàdem cum* Cimbris & Gallis *linguâ usi* 20.21.
In quos populos distributi, 43.*&c.*
Corporis depingendi morem a Cimmeriis *traxerunt* 21
Britona *sive* Britomartis 25
Brito Centaurus *seu* Thessalus, 24
Brito Sylvii juli *filius*, *ibid.*
Brito Hisicionis *filius* 33
Brito *seu* Brutus *rex asseritur contra* Neoburgensem &c. 33.34.*&c.*
Bardi 21
Brennus *senior* Romam *capit*, 29
Brennus *alter* Græciam *vastat* 31
Belinus Brenni *senioris frater*, 29,30,49 50
Belinus *magnus* Luddi & Cassuelani *pater*; *idem qui* Heli *apud* Galfridum 65,66
Bericas *transfuga* 868,7
Berico *rex* Gothorum, 274
Boadica *regina* Romanos *cædit* 104 *& seq.*
Brittia *insula diversa a* Britanniâ 230,231, 232
Ejus pars Britannis conceditur *ibid.*
Bagaudæ 190,240
Britanni *in* Armoricâ *migrant* 207,209, 236
Britanni Armoricani *sese in libertatem vindicant* 245,265.
Bittores *sive* Bittugores Hunnica *gens*, 319

C

CAinus Enochiam *urbem condidit.* 2
Cerberium *oppidum* 16,17
Comari & Chomari *populi*, Gomaro *orti*, *poſtea dicti* Cimmerii & Cimbri. 11, *&c.*
Eorum ſedes & excurſiones *ibid.*
Cimbri Britannorum *patres* 18
Cordella *regina* Britannica 28
Caſſuellanus *rex* Britannicus 49,65
Caſſuellanus *alter* coloniam *in* Armoricam *deducit* 209
Cenimagni Cenomannorum Gallicorum *proles*, 80,81
Caſnarus Luddi *filius*, 83
Cynobelinus *rex* Britannicus, 84,86
Ejus filii *ibid.*
Caligulæ *expeditio*, 84,85,86
Caractacus *rex* Britannicus 89, *&c.*
Cartiſmandua Brigantum *regina* 96,100, 101,105
Cogidunus *rex* Britannicus, 94
Claudius *Imp.* *in* Britanniam *venit* 89,90
Coelus *rex* Britannicus 142,143
Coelus *alter magni* Conſtantini *avus* 185, 186
Chriſtiana *religio in* Britanniam *advecta* 141
Cainus Britanniæ *aliiſque provinciis a patre præficitur.* 189
Populos arctôos ſuperat, ſed a Docletiano *victus occumbit* *ibid*

Carauſius

Carausius *classi præficitur* 190
Purpuram sumit 191
Cum Pictis *superatis fœdus init, &* Lollii *murum reædificat.* 1929
Ab Allecto *occiditur* 193
Constantius *comes* 247
Constantius Chlorus Helenam *ducit, ex quâ* Constantinum *suscipit* 185
Eâ repudiatâ Theodoram *ducit* 191
Factus Augustus *pacem ecclesiis restituit* 206
Eboraci *moritur &* Segontii *sepelitur* 208, 209
Constantinus *magnus in* Britannia *natus,* 186,208
Conanus Helenæ *frater* Britannorum *coloniam in* Armoricam *traducit* 207
Conanus *alter a* Maximo *victus* 229
In Armoricam *transit.* 236
Concilium Arelatense 214
Nicenum *ibid*
Sardicense 215
Ariminense 217
Cuneda *rex* Britannicus 318
Chebius Britannus Hilarii Pictaviensis *discipulus* 221
Chrysanthus Britanniæ *vicarius* 236
Constantinus *tyrannus* 239
Ejus gesta 240, *& seq.*

D

Diluvium 3, *& epist*

Dis, *etiam* Samothes *dictus primus* Gallorum & Britannorum *rex* 22
Ejus successores usque ad Britonem 22,24
Druides 21
Dolobellus dux Britannicus 65,82
Duvianus *ab* Eleutherio *papâ in* Britanniam *mittitur* 152
Dani *gens* Gothica 323
Iidem qui Daci & Dauciones *ibid.*
Deonotus *rex* Britannicus 318
Dalrieda 320
Diarii 339
Drotnarii *ibid.*

E

ENochia *urbs* 2
Eubages 21
Eleutherius *Papa in* Britanniam *prædicatores mittit*; & *literas.* 152,153
Elvanus *regis* Lucii *legatus ad* Eleutherium *ibid.*
Theono *succedit in episcopatu* Londinensi 157
Edobichus *a* Constantio *victus* 2,8
Emerita *virgo* Britannica *martyrio coronata* 150
Elam Hector *idem qui* Simon Brechus 313
Eboracum *olim primaria* Britanniæ *civitas* 177

F

FAganus *ab* Eleutherio *papâ mittitur in* Britanniam 152
fit Episcopus Eboracensis 153

Ful-

Fulgentius *Rex* Britannicus 17
Pictos *in auxilium asciscit* 291
Occumbit 178
Fraomarius *in* Britanniam *mittitur* 226
Fastidius *scribit ad* Fatalem 251
Fergusius Scotorum *rex* 320,321
Frea Odini *uxor* 336,339
Ei feria sexta dicata 339
Frisones *in* Jutiam *australem a* Godefrido Danorum *rege traducti.* G 344
GOmarus, *quas gentes condidit* 11,12
Ejus filii quomodo distributi 12,13
Idem Germanorum *pater* 14
Et Albionensium 11, *&c.*
Gonorilla Lerii *regis filia* Maglano *duci nupta* 28
Gilquellus Britannarum *rex idem qui* Minocanus 49
Guiderius *rex* Britannicus *idem qui* Tagodumnus ejus gesta 86, *&c.*
Galgaci Caledoniorum *regis oratio &* pugna 128
Georgius Cappadox *martyr* 202
Ejus historia *ibid & seq.*
Gratianus Funarius *regit exercitum* Britannicum 215
Gratianus *Imperator trucidatur* 229
Gratianus Municeps *tyrannus* 239
Gueno & Guavarus *coloniam in* Armoricam *deducunt* 209

Gerontius *se perimit* 248
Gallio Ravennas Britannos *liberat* 254
Germanus Altisiodorensis *in* Britanniam *venit* 257
Ejus gesta 258, *& seq.*
Et adventus secundus 264
Glastonia Iosepho Arimathæo *donata* 147
Glastonienſis *ecclesia ædificata* *ibid.*
Et restaurata 157
Gurthrenion 264
Gothi *in* Britanniâ 268
Gomaro *& Ascane orti* *ibid.*
Gog & Magog 268,269
Geta *rex* Saxonum 335
Getæ & Gothi *una gens* 269
Pictorum, Scotorum, Jutarûm & Danorum *patres* 268
Germani Gomaro *oriundi* 269,270
GraimusScotus Galfrido Guanius *appellatur* 318,319
Hisicio Britonis *pater* 33
Ejus genealogia *ibid.*
Honorius *Imperatores* Britannos *adsui defensionem cohortatur* 245
Iisdem auxilium summittit 253
Helgo *dux* Gothorum 274
Historethus Historini *filius idem qui* Reutha 317
Hotherus Daniæ *rex* 340

I

Iapetus Europæorum & *borealium* Asiaticorum *pater* 5
Iavan Græcorum Iaon & Ion, Italorum Janus Græcos Italosque *condidit* 10
Jonum *in* Asiam *remigratio* 11
Janus *mons, item fluvius in* Margianâ *a* Noachi *vino illic primitùs expresso nominatus* 3
Julii Cæsaris *in* Britannia *gesta* 51, &c.
Julius Frontinus Petilii *successor* Silures *domat* 117
Julius Severùs Cnæo Trebellio *succedit* 142
Jovinus *mittitur in* Britanniam 222
Jovinus *alter tyrannus* 249, 250, 252
Iutæ *gens* Gothica 321
In Britanniam migrant. 268, 323, 330
Juthungi Jutarum *filii* 322
Ingo Odini *filius* 332
Ejus posteri Inglingar *dicti* *ibid.*
Ab eo Rhythmi Scaldrorum *genealogici* Inglingatal *nominati* *ibid.*
Ab eodem Angli *linguâ vernaculâ* Inglings & Ingliſch *appellati* *ibid.*

L

Luddus Britannorum *rex, idem qui* Imanuentius 49, 66, 67
Licinius Priſcus Britanniæ *Prætor* 142
Lollius Urbicus Brigantes *domat* 143
Murum inter Glotam & Bodotriam *extruit* *ibid*

Lucius

Lucius *rex* Britannicus Coeli *filius patri ſuccedit* *ibid.*
Fit Chriſtianus 152
Moritur 158
Lucius *alter* Rhætorum *ac* Bavarorum *apoſtolus* 149, 150
Lucionenſem *eccleſiam extruxit* 206
Lollianus *tyrannus* 185
Lælianus *tyrannus* 188
Livius Gallus *dux* Francorum *in bello* Britannico 196
Lupicinus *in* Britanniam *A* Iuliano *mittitur* 219
Lupus Tricaſſinus Germanum *in* Britanniam *comitatur* 257

M

MAdai Sarmatarum *pater* 89
Moſoch Moſchos *condidit* 9
Mandubratius Trinobantum *Princeps, idem qui* Androgeus 65, 66, 67
Minocanus *rex* Britannicus, *idem qui* Gilquellus 49
Marius *rex* Britannicus Rodericum Pictum *extinguit* 140
Marius *alter tyrannus* 186
Meduinus *regis* Lucii *legatus ad* Eleutherium 152
Mello Rothomagenſis epiſcopus 189
Magnentius *cognomento* Taporus *Imperatorem* Conſtantem *opprimit, ſed* a Conſtantio *debellatus occumbit.* 216

Martinus

Martinus Britanniæ *Vicarius* *ibid.*
Seipsum confodit 217
Maximus *tyrannus* 228
Ejus gesta 229,& *seq*;
Maximus *alter tyrannus* 246,250,252
Murus Adriani 142
Lollii Urbici 143
Severi 177
Carausii 192
Murus Britannorum *cespititius* 253
Item lapideus 255
Marcellus *sive* Marcellinus Trevirorum & Tungrorum *episcopus in* Britannia prædicavit 158
Marcellinus Maximi *frater* 234
Massagetarum *origo & nomenclatio* 272
Muredus *rex* Ultoniæ 315

N

NOachus *vineam in* Margianâ *conseviſſe dictus* 3
Neninus Belini *magni filius* 49.66,67,78
Nennius *alter, historicus* 33
Nenus *fluvius* Northantoniam *alluens, olim* Antona *dictus* 101
Nonius Philippus Britanniæ *Prætor* 183
Nicolaus *martyr* 200
Ninianus *Pictos* Auſtrales *convertit* 252, 292
Normanni *gens* Danica 324

Nellus Nægiallach Hyberniæ *rex* 315

O

OStorius Scapula Britanniæ *Propretor* 92
Octavius *rex* Britannicus 210
Odinus Saxonum, Suevorum & Asæorum *rex* 332,335
Pro deo habitus 336
Ejus gesta 337
Et civilis administratio 338
Quo tempore floruit 340

P

PRasutagus Icenorum *rex* 102,104
Plautius Britanniæ *Propretor* 91
Petronius Turpilianus Suetonio *succedit* 113
Petilius CerealisBolano *succedens* Brigantes *vincit* 117
Perennis *accusante* Britannico *exercitu interficitur* 162
Pertinax Britanniam *rexit* *ibid.*
Posthumus *tyrannus* 185
Pacatianus Britanniæ *Vicarius* 213
Paulus Catena *perquisitor malevolus* 216, 217
Picti *gens* Gothica 277
Picti *in* Britanniam *veniunt* 140, 275
Britannos *infestant* 202,221,236,238,253, 254,258

Pictorum

Pictorum *historia* 275, &c.
Plebeias Niniani *frater* 152
Pelagius Britannus *Hæresiarcha* 238
Palladius Britannorum *causam apud* Celestinum *papam agit.* 257
Ad Scotos *mittitur* 260
Fuit Britannus *ibid.*
Patricius *in* Hyberniam *missus* 261
Picti *Boreales a* Columbâ *ad fidem conversi* 292, 296
Picti *Hybernici dicti* Cruithneac 299
Paludibus *olim abundavit* Britannia 177
Papinianus Eboraci *Prætorium ac Tribunal exercuit ibid.*

R

RIphates Venedicas *gentes condidit* 15
Rhegines, Galli *Cisalpini* 18
Ragana Lerii *regis filia* Hennino *duci nupta* 28
Regni, *unde dicti* 45
Rodericus *rex* Pictorum *in* Britanniam *venit* 140. 288
Prælio victus occumbit ibid
Reutha, Retherus, Rethmaidus *sive* Rethmitus Scotorum *rex* 316, 317
Idem qui Nennio Histborethus *ibid*

S

SEgudus Chersonesi Cimbricæ *Judex primus* 14
Ejus successores. 272
Scæva Cæsaris *miles fortissimus* 78, 79
Suellan, *idem qui* Cassuellanus 49
Suetonius Paulinus Veranio *succedit*, Britannos *superat* 103
Salustius Lucullus Agricolæ *successor occiditur* 139
Seius Saturninus *classis* Britannicæ *Archigubernus* 143
Severus *Imp. in* Britanniam *trajicit*, Mæatas & Caledonios

donios *cædit & murum per transversam insulam ducit.* 176, 177, 178
Moritur Ebroaci 179
Severus Treverensis *Episcopus* 264
Sasones Asiatici Gomaro *orti* 12
Iidem Saxonum Europæorum *progenitores* 326
Saxones *mare infestant* 190
Et tractus Gallicanos 221
Britannos *invadunt* 221, 237, 258.
Eorum nominis ratio, & sedes antiquæ 326, 342
Severus *domesticorum comes in* Britanniam *mittitur* 222
Stilico Britannis *oppressis subvenit* 237
Alaricum *profligat* 338
Scythia Germanica *eadem quæ* Scandia 275
Scoti *gens* Gothica 309
Britannos *infestant* 221, 236, 238, 253 254, 258, 260.
Scotorum *primordia & migrationes* 309 & *seq.*
Suardones *apud* Tacitum, *perperam, pro* Saxonibus 333
Syebi *sive* Syevi Asiatici 12
Syevorum Europæorum *patres* 326, 329
Scephus Saxonum *rex* 333
Stresæus Scephi *tritavus* Japeto *oriundus* 334
Saxones *in* Britanniam *transeunt* 267
Saterus *idem qui* Crodo 336
ei feria septima dicata *ibid*

T

Thiras Thraces & Pannones *condidit* 11
Togarma, *quarum gentium structor* 12, 14
Tubal Iberorum & Hispanorum *pater* 10
Tuisto *sive* Tuisco *rex* Germanorum *primus* 14
Trojani *in* Galliâ 39

Tenevantius *rex* Britannicus 83, 84
Togodumnus *rex* Britannicus, *idem qui* Guiderius, *ejus gesta* 86, *&c.*
Trebellius Maximus Petronio *succedit* 115
Trebellius *alter* Saluſtio *succedit* 142
Theonus, *primus* Londini *epiſcopus* 152
Theonus *alter*, *etiam* Londini *epiſcopus* 348
Theodoſius Fagano *ſuccedit in* Eboracenſi *epiſcopatu* 157
Theodoſius *alter*, *dux inclytus* Britannos *ex imminenti periculo liberavit* 222, 223
Tetricus *tyrannus* 186
Trahernus Coelo *regi ſuccedit* 193
occiditur 209
Thorro *rebellis* 273
Thorro Odini *filius* 336
ei feria quinta dicata *ibid.*
Thyſa Thorronis *uxor* *ibid*
ei feria tertia dicata *ibid.*

U

ULyſſes Galliam *adiiſſe dictus et* Calledoniam 40 *ibid*
Venuſius Brigantum *rex* 100, 101, 115
Veranius Britanniæ *Propretor* 102
Vectius Bolanus Trebellio *ſuccedit* 117
Ulpius Marcellus Britannos *aquilonares profligat* 160
Victorina, *mater* Caſtrorum 185
Victorinus *tyrannus* *ibid.*

Victorinus *alter* Maurus Læliantum *tyrannum occidit* 187
Victorinus *alter* Toloſanus Pictos *ac* Scotos *propulſat* 237
Vites Britannis *permiſſæ* 107
Vandali *in* Britanniâ 188
Vandelbiria *ibid.*
Valentinus *exul res novas molitur & opprimitur* 225
Vortimarus Vortigerni *filius* 26
Vortigernus *ſit* Britanniæ *monarcha* 263
Ejus inceſtæ cum propriâ filiâ nuptiæ 264
Saxones *accerſit.* 266, 267
Vitæ *iidem qui* Jutæ 321
Vitungi *iidem qui* Jùthungi 322
Urſula *virgo* Britannica *martyrio coronata* 318

W

WAlli, *unde dicti* 37, 38
Wodenus *idem qui* Odinus 335, 336
Ei feria quarta dicata *ibid.*

FINIS.

ELENCHUS
ANTIQUITATUM
ALBIONENSIUM

Britannorum, Scotorum, Danorum, Anglo-saxonum, &c. Origines & Gesta usque ad annum 449 quo *Angli* in *Britanniam* immigrârunt explicans.

Unà cum brevi Regum PICTICORUM
CHRONICO.

Per *Danielem Langhornium*, S.T.B.

LONDINI,
Typis *B. G.* impensis *Ben. Took* ad insigne navis in Cœmeterio *Paulino*, 1673.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

Ampliſſimo Nobiliſſimoq; Viro Guilielmo Montacutio

Armigero, Sereniſſimæ *Magnæ Britanniæ* &c. Reginæ *Catharinæ* Attornato Digniſſimo,

Cvm aliorum populorum Antiquitates, Vir Ornatiſſime, ſummâ cum diligentiâ induſtriâque memoriæ traditas animadverterem; cogitare mecum cœpi atque animo revolvere, unde nobis acciderit, quòd Scriptores noſtri geſtis duntaxàt nuperis ac recentioribus intenti exarandis, ſuas a Guilielmo *primo hiſtorias ùt plurimùm exorſi, vetuſtos Gentium noſtrarum* Albionenſium *Conditores aut leviter tantùm ac perfunctoriè delibaverint, aut penitus inſuper habuerint. Mirabar certè quid in nos noſtri Majores deliquerant, quidve mali tantoperè commeruerant, ut adeò nos illorum diſpuderet; Immo verò noſtram ipſorum proterviam vecordiamque potius acriter coarguendam duxi, atque evibran-*

dam esse illam Poetæ querimoniam existimavi ;

Hor. Carm. 4. bil

Vixere fortes ante *Agamemnona*,
Multi, sed omnes illacrymabiles.
Urgentur ignotique longâ.
Nocte, carent quia vate sacro.

Cùmque illorum præclara pro patriâ edita facinora quæ tineis ac blattis colluctantia in libris M. S. S. adservantur, seriò perpenderem, non potui, mihi temperare, quin irrogato tantis viris contemptui ac neglectui vehementer indolerem ; Quippe qui fortitudinis, prudentiæ, ac (post susceptam fidem Christianam) sanctitatis respectu, celebrem inter præstantissimos universi Orbis Heroas locum summo sibi jure vendicent. Quicunque autem ferè authores antiquioribus insulæ nostræ rebus tractandis aliquantulum immorati sunt, relicto aureo Medio, festinantiùs ad extrema transierunt ; dum hi translationem Galfridi Monumethensis *integram cum omni ejusdem interpolatione ac mendosissimâ chronologiâ, nullâ* Romanorum & Anglosaxonicorum *Scriptorum habitâ ratione ambabus ulnis avidiùs amplexantur ; illi contrâ nihil omnino recipientes nisi quod a solis* Romanis & Anglosaxonibus *prodi-*

tum

tum reperiunt totam Galfridi *hiſtoriam acerbiùs reiiciunt, ac principes quos ille oſcitanter inſulæ monarchas facit, ne quidem toparchas eſſe patiuntur; priſcoſque reges cunctos, ipſos etiam* Britonem *ac* Belinum, *quoque illa patriæ decora & lumina* Lucium *atque* Arturium *ex humani generis* Albo *prorſus explodunt. Et meritò ſanè reprehenditur* Monumethenſis, *a* Giraldo Cambrenſi, *quòd citra exemplaris ſui* Armoricani *ſententiam, quædam cerebelli proprii commenta inſueret; & a* Polydoro, *quòd imperatores* Romanos & *Præfectos pro regibus poſucrit, quanquam per totum* Romanæ *in* Albione *dominationis ſpatium haud deeſſent Reges Britannici qui in aliquâ ſaltem ejus parte regnaverint, ùt in hujuſce operis calce liquebit: quorum ille alios ingrato ſilentio præterivit, aliorum verò tempora confudit miſerè ac conturbavit.* Caractacum *penitus &* Galgacum *prætermiſit quos* Scoti *ſuo regum catalogo mox inſeruerunt.* Fulgentium *nullo inter reges loco dignatus,* Severum auguſtum *infercit, eique ſucceſſorem in hoc regno tribuit filium* Baſianum, *abſque ullâ* Argetocoxi *mentione.* Baſſianum *fædo quidem antichroniſmo a* Carauſio *cæſum narrat, quem tamen ante* Diocletiani *imperium haudquaquam emerſiſſe conſtat. Eundem* Carauſium

Gir. Cambr. Deſcrip. Cap. 7. Priſ. Hiſt. Brit. Defenſ. Polyd. in Proœmio lib. 2. Angl. Hiſt.

Carauſium *atque* Alectum *tyrannos*, & Aſclepiodotum *Præfectum*; *ſimili errore*, Coelum *magni* Conſtantini *avum in regno præceſſiſſe ſcribit, quem anno* 262 *cæpiſſe omnes conſentiunt, quo tempore* Galienus *imperavit, ac* Poſthumus & Victorinus *tyranni rerum in* Gallia & Britanniâ *potiti ſunt.* Coeli *hujus ex filiâ* Gallâ *nepotem* Cunedam (Arturii *magni proavum*) *qui* Cambriâ Scotos *expulit, nuſquam memoravit nec* Deonotum S. Urſulæ *patrem inter reges collocavit, pro quibus tamen* Maximum & Gratianum *municipem tyrannos ſubſtituit. At noſtri non eſt inſtituti* Galfridum *ſugillare; quin mediâ potiùs* incedens viâ, *falſis vera ſecernere*, Britannicoſque *ac* Romanos *authores inter ſe conferendo errores Chronologicos emendare*, Nominumque *diſcrepantias quæ in diverſarum gentium hiſtoricis crebrò occurrere ſolent conciliare*, & *quæ in aliquibus deſiderantur ex aliis ſupplere, quàm commodiſſimè potui conatus ſum. Ipſa ubiquè ferè omnium quos citavi Authorum verba qua cumulatior noſtro accederet tractatui authoritas, ſine ullâ vel exiguiſſimâ Phraſeos immutatione exhibui. Regum quoque* Pictorum *ſeriem circa quos vacillare nimiùm viſæ hactenus ſunt hiſtoriæ* Albionenſes, *ex tribus* Joannis Fordoni Scoti chronici *exemplaribus*

plaribus M.S.S. *sedulò collatis deprompsi, quæ in Collegii* Corp. Christ. Cantabrig: *ac Domini* Joannis Cottoni *& Magistri* Ricardi Smithii *bibliothecis instructissimis consului. In supputando quod a creatione ad Diluvium juxta Septuaginta interpretes effluxit spatio, Cl.* Isaaci Vossii *rationes mè secutum esse fateor, quamvis ut sexennio productiorem* Alexandrini *Codicis &* Julii Africani *calculum*, Eupolemo & Philoni *congruentem magis amplectar, annumque mundi* 2262. *Cataclysmo assignem, secundæ cogitationes inclinant.* Africam *Targumistarum* Cyrenaicam *esse censui, quæ si minus placuerit interpretatio, dispiciant eruditi, num totus ille terrarum tractus ab* Ægypto *ad mare* Atlanticum *protensus, sub* Africæ *nomine ibi intelligendus fuerit; in quâ prater* Cyrenaicum Battiadarum *Principatum,* Atlas Hesperusque Promethei *fratres* Iapeto *orti.* Atlantidarum & Hesperidûm *imperia condiderunt; ac demùm* Vandali Iapeto *itidem prognati sub rege* Genserico, *regnum, Targumistarum tempore florentissimum fundârunt; cujus etiam pars haud exigua, nimirum* Tingitana, Hispanicis, *adeòque* Europæis, *Provinciis accensebatur. Quod autem Scioli quidam extranei non Gentem nos, sed Gentium variarum colluviem ac farraginem esse blatebant,*

terant, calumniam tam insulsam ineptam-
que detergere, Populosque cunctos insulam
nostram incolentes, unâ eâdemque, scilicet
Gomeri Iapetidæ *stirpe, satos esse tiende-*
re fategi; qui successivè, Divino ita dispo-
nente Numine, in ultimam hanc Europæ
plagam penetrârunt atque istic coaluerunt,
quod etiam ipsum progenitoris nostri haud
temerè sed divinitus datum præsignificasse
nomen jure credimus; Hebraicum enim
Gomeri *nomen Latini* Finientem *inter-*
pretantur, quippe cui extremi Orbis fines
debebantur. Porro qui nobis illud vertunt
probro, viderint velim, annon de aliis ve-
riùs nationibus idem occinere queant.
Nonne Celtarum, Phocæensium, Roma-
norum, Britonum, Gothorum, Bur-
gundionum & Francorum *soboles sunt* Galli
moderni; nonne Iberorum, Libyum, Phæ-
nicum Romanorum, Gothorum, Vanda-
lorum, Suevorum & Alanorum Hispani;
Græcorum, Lydorum, Trojanorum, He-
netorum, Herulorum, Gothorum, & Lon-
gobardorum Itali; Pæonum *sive* Panno-
num, Herulorum, Rugorum, Turcilingo-
rum, Gepidarum, Longobardorum, Hun-
norum & Avarium Hungari? *Longum esset*
omnes percurrere sed hæc impræsentiarum
quæ obiter dicta sunt sufficiant, unde satis,
opinor, liquidò constabit, gentes alias nihi-

lo

lo magis ſimplices, puras atque impermiſtas eſſe quam noſtrates. Arduam profectò difficilemque me ſuſcepiſſe provinciam, ac periculoſæ plenum opus aleæ, *iſthâc præſertim criticâ quâ nos ætate vivimus. jamduduen habui perſuaſum. Quum itaque patronum undique circumſpicerem cujus ope ac præſidio tutus adverſantium cenſuras valerem eluctari, ad te Egregium Legis Juriſque Decus Atque ornamentum, Inſontiumque Patronum integerrimum, Nobiliſſimorum* Montacutiorum *Baronum Filium Fratremque ornatiſſimum confugere decrevi. Veſter inſigni generis claritati ac ſplendori ſuperadditus pectoris candor, & bonarum literarum amor cultuſque egregius, ſpectata in omnifariâ eruditione præſtantia, atque eximia in me meoſque benignitas, eos pavitanti animos addiderunt, ut veſtro nomini hæc noſtra qualiacunque tentamina nuncupare auderem. Quæ ſi æqui bonique conſulere dignaberis, majus quod volvo opus, uberiore cum alacritate pergam contexere; ac principum noſtrorum omnium ab* Hengilto, *primo* Anglorum *in* Britanniâ *rege, hiſtoriam,* Britannicis, Scoticis, Angloſaxonicis, Hibernicis, *exoticiſque authoribus inter ſe diligenter collatis, uſque ad* Guilielmum *primum fuſiùs pleniùſque concinnare; atque inde ad Sereniſſimæ Domini Noſtri*

ſtri Caroli ſecundi *Majeſtatis tempora perducere conabor. Intereà verò ne ulteriùs moleſtâ noſtrâ prolixitate a veſtris grandioris momenti negotiis diſtinearis, tandem præfationi modum ſtatuens; ut diu te incolumem nobiſque faventem Deus Optimus Maximus cuſtodiat, obnixè precatur.*

Dignationis veſtræ

Obſervantiſſimus

Daniel Langhornius.

In Elenchum Antiquitatum *Albionenſium* à Reverendo doctiſſimoque Viro *Daniele Langhornio S. T. B.* in omni Hiſtoriâ & Antiquitate curioſo conſcriptum.

ANglia *quæ tacitis dudum ſubmerſa tenebris,*
Quæque diu longâ nocte ſepulta fuit,
Quæq; perobſcuri abdiderat caput æmula Nili,
Conſcia ſe veteres non habuiſſe patres;
Immemor atque olim proavitæ gentis & ævi,
Vixque olim illuſtri nomine nota ſibi;
Majorum titulos, priſcæve inſignia formæ
Non potuit texto commemorare peplo;
Quam (*quaſi vipereo nata eſt de ſemine* Cadmi)
Edidit è gremio terra ſoluta ſuo:
Vel, mater proleſque ſui, nulloque creante
Attigerat vitæ limina prima ſuæ:
Jam redit in veterem tandem revoluta figuram,
Induerant formas lætius ora novas.
Impoſitis circum radiis jam ſolis ad inſtar
Exilit è tenebris clarior ipſa ſuis.
Jam videt inſignes longâ de ſtirpe parentes
Et ductum è multis nobile nomen avis,
Ante oculos olim eſt procerum metuenda poteſtas,
Et videt ingenium facta ſtupenda patrum

Tur-

Rursùs ad ingenuos antiquæ lucis honores
Sollicitæ nati restituere manus,
Et (quasi jam in primas natura emiserat auras)
Præstituit genio festa litanda suo.
Irruit, ambabus natumque amplectitur ulnis,
Imprimit & labris oscula grata suis.
Induit & faciles gaudenti pectore vultus,
Et micat abjectis frons inarata rugis.
Quæ longa annorum series consumpserat olim,
Restituis matri fortius ipse tuæ,
Quàm Medea *olim juvenes perhibetur in annos*
Æsona gramineo restituisse foco.
Rem tibi quamque datum est immunem nube tueri,
Nec pateris (major tempore) gesta mori:
Tu poteras populo solus retulisse Britanno
Nomina primævis non bene nota viris:
Te dedit Angligenis, *te jam populisque loquendum,*
Omnibus ingenio gloria parta tuo.
Grata tuum nomen memori servabit in ævo.
Fama, sub extremis non moritura rogis.
Quod peperit talem jam jam crepat Anglia *natum,*
Jactat & ingenium Terra Britanna *tuum,*
Et meritò; sibi cùm major sit gloria, talem
Post tot degeneres se genuisse viros,
Quàm longè clypeos Majorum ostendere pictos
Pandere & ingenuas nobilitatis opes.

E. Hickes *S. T. P.*

In

In Eundem.

NOn benè nota fuit cujus (Nili instar) Origo
Obscuro jacuit sed tumulata situ,
Albion *ecce sedens in Rupibus eminùs Albis*
Sic laudes statuit concelebrare tuas;

Ecce vetustates Langhornius *eruit omnes*
Dicere quas poterit Terra Britanna *suas,*
Nubibus antè diù fuerant quæ condita nigris
Ipso jam Phœbo *clarius ecce micant,*
Tam vivo Britones *depingit & ille colore,*
Jam meritò dicò Gens uti Picta queam;
Incola quis primus fuerit, docet ille, Britannis,
Unde vetus nomen contigit atque suum?
Sint verè ut Minimâ *contenti nocte* Britanni
Ipsius illustris *pagina sola facit.*

Rob. Nevil S. T. B. Colleg. Regal. in Cantabrig. olim Soc. jam verò Rector Eccles. paroch. de *Ansty* in Com. *Hertford.*

In

In eundem.

Discussa est Nox atra; Dies jam candidus ibit.
Fulgent Historiâ Gesta, & Origo Tua
Anglia; Cimmeriæ non umbræ pondere pressa
Fles, at luce tua † Candida terra nites. † Albion.
Dum Genus & proavi jam jam quæruntur, opacis
Dicta queror Tenebris; verba carère Fide.
Filius inque Die patrios inquires in Annos?
Hic licet esse sagax, jam sciat ille patrem.
Non ultra, Toto divisos Orbe Britannos
Audimus; penitus Clarior ulla Foret
Gens? & jam jungi, Te Mystâ (Candide) nostris
Connubio stabili Natio quæque cupit.
Claremus. Propior, Non amplius Ultima Thule,
Dicis abite doli; Jussi abière doli.
Sed, quid Ago? Vicit nostras, superatque Camænas
Res, Minimè ingenio convenit illa meo.
Laude nec exili capiunt encomia Scripta,
Authorem dignè (parcito) laudat opus.
Musa tamen Famæ (quamvis non culta) nocere
Non valuit. Laudem laus mea velle loqui.
Solis defectum Spectamus, at Orbe Coruscо,
Qui videt è multis unus & alter erit.

Gasp. Ward.

In

In Eundem

SI dextrâ obſeſſam miles protexerit urbem,
Et ſua pro patriis moverit arma focis:
Si vitam dederit libertatemque priorem,
Et redeunt populo, gloria, certa ſalus.
Cui dedit optatos victoria læta triumphos,
Et Placidus fuſo victor ab hoſte redit
Cinctus Apollineâ, *victricia Tempora lauru.*
Portat eum niveis currus eburnus equis.
Læta coronatas viſunt Capitolia Pompas.
Atque triumphantis Vox ſonat alma, ducis:
Sed Tibi, quòd patriæ Pugnes pro nomine terræ,
Defendaſque Tuâ regna Britanna *Manu.*
Quòd dederis longè renovata inſignia famæ,
Et redit Angligenis *gloria prima viris.*
Quòd famæ ſenſim peritura vindice pennâ,
Attuleris ſocias non ſine honore manus.
Quòd genus Heroum antiquo de ſemine cretum.
Cernimus, & veterum fortia geſta ducum.
Quòd videam titulos & avitæ laudis honores
Et ſuis nobilibus debita ſigna viris,
Quòd magis immanes jàm profligaveris hoſtes,
Et domito victor tempore major eras.
Tempora quòd primi ignorantia viceris ævi,
Submittaſque tuo ſecula priſca jugo.
Jam magis eximios Tibi decernemus honores,
Et quæ ſunt meritis præmia digna tuis.
Tu mage Cæſareos *viſus meruiſſe triumphos.*
Et merito major jam Tibi palma datur.
Jam manibus plauſuque ferunt ad ſydera nomen,
Et nova victrici jubila voce canunt.

Te

Te dictis celebrent docti, Te consulet omnis
Turba, quasi Genium Te putat esse suum,
Teque magistratus etiam populusque patresque,
Et Te posteritas omnis in ore feret.
Nomen & immensum volat immortale per orbem,
Omnis ubique tuo nomine terra sonat.
Tot titulis illustre caput, tot honoribus auctum
Gloria magnificis aurea portat equis.
Nomen in externis longè celebrabitur oris.
Nesciet extremo tempore fama mori.
Jam sileat veterum scriptis monimenta Quiritum,
Nec crepet Annales garrula Roma suos.
Nec recitet lectos delirans Græcia fastos,
Musaque Grajorum quiquid ineptit anus.
Tu superas Tacitum Latiâ gravitate venustum,
Cederet et Flori lingua diserta tuæ.
Viceris et Crispum nunquam sine laude loquendum,
Et dederit victus Livius ipse manus.
Frustra suspicimus Tranquillum, summa vel ipsi
Laus est, uno Te dum minor esse potest.
Tempora præteriti referas Fælicius ævi.
Carminibus Bardi quàm potuere suis.
Gesta recensitis poteras educere fastis.
Et melius Druidis secla priora suis.
Te solum reliquis merito præstare videmus,
Inter & Historicos eminuisse viros.
Tu decus Historiæ, cunctisque peritior ætas,
Et Qui quæ multi singula solus habes.
Prisca parem haud jactent æqualem postea nullum
Secula postgenitis exhibitura viris.
Solus Præteritis melior majorque futuris.
Ingenui tanquam numinis instar eris.

J. P.

ERRATA.

PAge 2. line 24. lege *vita*. p. 11. l. 28. *Cimares*. p. 17. l. 25. *diuersis*. p. 20. l. 28. *Mem*. p. 21. l. 29. *discessi*. p. 26. l. 13. *egressi*. p. 27. l. 23. *Cuinia*. p. 28. l. 1. post *Heberet* adde, *Generalium*. p. 33. l. 7. *Amigues*. l. 9. *Gelfridianus*. p. 37. l. 13. post *legisse*. adde *videtur*. p. 39. l. 6. *prædictum* p. in margine pro *Cimbr*. l. *Girald. in Cambr*. p. 43. l. *adueni*. p. 46. l. 1. *Cormaricianensium*. l. 15. *Nouantes*. p. 56, 65. *Armatus*. p. 77. l. 12. *Nantilla*. p. 85. l. *perrendarum*. p. 87. l. 3. *Pequnis*, p. 89. l. 21. *decr*. p. 91. l. 16. *Quatio*. p. 94. l. 10. pro *quam*. l. *quæ*. p. 171. l. 7. *Methaventonis*. l. 16. *Carolatum*. l. 25. *Ille*. p. 103. l. 11. *nouissimum*. p. 110. l. 8 *duobus*. p 113. l ult. *Iriuum*. p. 115. in fine *delet laterum*. p. 116. l 26. *Vrselium*. p. 139. l. 21. *contenus*. l. ult. *adulantis*. p. 142. l. 27. *Liuinius*. p. 148. l. 21. *constantinum*. p. 149. l. 5. *Europiamque*. 152. l. 18. *Fegeus* p. 157. l. 12. *donatus*. p. 165. l. 7. *regorest*. l. 18. *vetus*. l. 9. *Coimbrum*. p. 166. l. *Seuerus*. p. 167. l. 5. *pæturis*. l. 20. *Seuerus* p. 168. l. ult. *adjungendum*. p. 179. l. 8. *Saustrouus*. p. 180. l. 2. *eum*. p. 183. l. 3. *y. O*. p. 185. l. 2. *Coelius*. l. 3. 4. *Tenruuensis*. p. 189. l 29. *eum eum*. p 202. l. ult. *tropophorus*. p 203. l. 6 post *limes* adde. *& p* 205. l. 3 *Athanasio*. p. 206. l. 17. *ab* p. 214. l. 18. *Obiit* p. 216. l 11 *flagrans*. l. 16. *sensit* p. 218 26. 27. pro *sirrei* l. *seruum*. p. 230. l. 21. *Dessirus*. p. 231. l. 2. *insinuatos* p. 233. l. 17. *ex*. p. 237. l. 25. *cum magnatis*. l 22. *Pisanum*. p. 252 l 18. *Piscibus*. p. 254. l. *lamentabus*. p. 256. l 13. *formidabile*. p. 264. l. 22. *incurquentem*. P. 274. l. 19. *Nozabi*. p. 280. l. 12. *strauit*. p. 254. l. 3. *Columbi*. 19. *Nemedenses*. p. 324. l. 1. *veterum*. l. 2. *ceus*. p. 331. l. 4. *Tacit*. p. 335. l 9. *Hiperito*. *Sclerissimum*. p. 344. l 4. *pennissem*.

ELENCHUS

Antiquitatum Albionenſium,

Omnium quotquot Britanniam *incoluere Gentium Origines & Primordia complectens.*

IN principio Deus Optimus Maximus Mundum, primoſque generis humani parentes maturâ pubertate vigentes *Adamum* & *Evam* fabricavit. *A. M.* 1 2

Illi anno conditi Orbis primo *Cainum*, ſecundo *Abelem*, alioſque deinde liberos complures, juxta divinam creſcendi ac multiplicandi benedictionem, genuerunt. *Gen. cap.* 5 *ver.* 28.

Cainum anno *Sethi* Nativitatem immediatè 129 præcedente, *Abelem* fratrem trucidâſſe, illa 229

Evæ parientis verba innuunt; Alterum mihi
Geneſ. c. 4. ver. 25. ſemen ſtatuit Deus, pro *Abele* quem *Cainus* interfecit. *Sethus* autē anno mundi centeſimo triceſimo, ut Hebræus Codex habet, aut
130 ducenteſimo triceſimo, ut Septuaginta interpretes &
230 *Joſephus*, natus eſt, qui cæſi fratris vicē dolenti matri ſuppleret. Per id temporis ampla ſatis hominum ſuccreverat copia, à quibus haud immeritò ſibi metuere poterat
Geneſ. c. 4. ver. 14. ſceleſtus fratricida; præſertim cum & ipſe *Abel* (quem uxorem habuiſſe tradidere Hebræi aliique nonnulli) centeſimum (aut ducenteſimum) viceſimum ſeptimum vita annum emenſus haudquaquam improles obiiſſe videatur, (illo nimirum ævo quo jam replendus eſſet terrarum orbis,) cujus fortaſſe liberi paternam necem vindicare anniterentur. Ille igitur juſto Numinis judicio profugus, aſſumptis ſuis ſibi filiis ac nepotibus, ut tum patrata tum patranda impunè ipſi cederent ſcelera, urbem in terrâ *Naidâ* (juxta *Bactrianam*) fundare aggreditur, quam à primogeniti ſui *Enochi* nomine *Enochiam* appellavit. Iſte *Enoch Iradum* genuit, *Iradus Mahujaelem*, *Mahujael Mathuſaelem*, *Mathuſael Lamechum*, *Lamechus* ex *Adâ Jobalem* & *Jubalem*, è *Silla Tubalcainum* & *Naamam*. *Sethus* verò qui in *Abelis* locum (uti dictum eſt) ſucceſſit verus Dei Cultor & Eccleſiæ Hyperaſpiſtes

inſulis & Cherſoneſis plérique omnes interpretantur Theologi. Qui verò vocem Hebræam אִיִּים per Regiones potiùs quàm Inſulas verti debere obſtrepunt, faciunt perinde ac ſi aſſererent totum fere mundum *Japetidis* fuiſſe habitatum; quippe qui rationem omninò nullam idoneam proferunt aut proferre poſſunt cur ſolæ *Japeti*, potiùs quàm *Chami*, *Elami*, *Aſſuris*, *Ludis*, & *Arami* provinciæ, gentium regiones nuncuparentur, cum *Moſis* tempore, Univerſi ex æquo populi, præter *Abramidas*, eâdem Gentiliſmi caligine eſſent obvoluti.

Anno nativitatis *Pelegi*, qui fuit à diluvio juxta codicem Hebraicum centeſimus primus, (juxta Septuaginta interpretes quingenteſimus triceſimus primus) facta eſt terrarum ac regionum diſtributio, & mox emiſſæ cum ducibus coloniæ. *Noachidas*. omnes in Convallem *Schinaaris* confluxiſſe, ſub *Nimbroda Chamidas*, ſub *Joctane Semidas*, ſub *Suphne* quodam *Japetidas*, ibidemque unà immanem illam Turrim ædificare cœpiſſe, atque inde in omnes mundi plagas diſperſos fuiſſe ſomniârunt plurimi. Ecquis verò crediderit *Semum* atque *Japetum*, quorum egregiam pietatem, *Noachi* precibus ac benedictione cohoneſtatam, *Moſes* prædicat, cunctoſq; 101 531

eorum filios uſq; adeò à verâ religione tam citò deſciviſſe, ut hominis Chamigenæ ſuaſu adducti, tam nefario ſeſe molimini immiſcerent? Ad eorum igitur ſententiam accedo, qui *Nimbrodi* & *Chamidis* conatum hunc giganteum aſtruunt, unde ut eorum audaciam ulciſceretur, alioſque ab illiuſmodi cœptis abſterreret, Linguas ita confudit Deus, ut ſingulæ familiæ ſingulas ſortirentur linguas. Cùm autem ab Oriente huc convolâſſe iſtud Examen liqueat, habitatas etiam primò fuiſſe partes orientales patet; erit conſectarium. A montibus itaque *Caucaſiis*, ubi ſubſedit Arca, terraſque circumjectis, petenda eſt omnium gentium origo; cumque tam *Europæorum* quàm borealium *Aſiaticorum* pater agnoſcendus ſit *Japetus*, quis porrò ex ejus filiis gentes *Britannicas* condiderit diſpiciamus. *Madai* in *Mediâ* cum ſuis conſedit, terræque nomen ſuum indidit, cujus filii maximâ ex parte in *Sarmatiam* poſteà migrârunt, ut *Diodorus Siculus* indicat, de *Scytharum* victoriis verba faciens, quos ex provinciis à ſe bello antiquitùs ſubactis colonias deduxiſſe multas ſed duas maximas narrat, alteram ex *Aſſyriis* inter *Paphlagoniam* ac *Pontum* poſitam, ex *Medis* alteram ad *Tanaim*

Diod. lib. 2. cap. 11.

naim fluvium, cujus populum *Sauromatas* appellârunt. Et *Plinius*, Dein *Tanaim* amnem, in ſuit, gemino ore fluentem in colunt *Sarmatæ*, *Medorum*, ut ferunt, ſoboles. Qui vero relictas eorum ſedes occupârunt *Semidæ*, regionis nomen haud immutârunt, ſed cum reſiduis coaleſcentes, *Medi* & ipſi vocati ſint, unde qui *CYRO*, cum *Perſis* adverſus *Babylonios* militârunt, etiam *Madai* à Prophetâ nominantur. Quòd alibi quoque factitatum legimus. Eâdem quippe ratione priſcæ *Gomari*, *Aſcanis* & *Togarmæ* in *Aſiâ* minori ſedes, primorum colonorum nomina apud Prophetas retinent; Sic qui in antiquorum *Syevorum* & *Saſonum* (*Germaniam Ptolemæi* tempore incolentium) Provincias in *Scythiâ* ſucceſſere, eorum quoque nomina ſibi aſcivere, & uſque ad ejuſdem *Ptolemæi* tempora retinuere. *MOSOCh* in *Cappadocia*, ubi olim fuit urbs *Mazaca*, primò ſubſtitit; deinde in *Colchidem* tranſiit, quam ab *Armeniâ* dirimunt montes *Moſchici*, ubi etiam *Moſchi* populi, *HERODOTO* aliiſque memorati; (quos *Plinius Moſchenos* vocat;) unde ejus poſteri in remotiores *Sarmatiæ* partes, ultra *Madai* filios penetrantes, regnum *Meſchicum* ſive *Moſchoviticum*

Plin. lib. 6. cap. 7.

Herod. lib. 3. & 7.

viticum fundârunt. *Tubal* in *Iberiam* ſe contulit, à quo urbs *Thabilaca* in *Albaniâ* vicinâ à *Ptolemæo* poſita appellationem traxiſſe videtur. Ab hoc *Iberos* primò *Thobelos* fuiſſe dictos teſtatur *Joſephus*, quos etiam *Chalybes* vocatos fuiſſe conſtat. Hi poſteà in *Hiſpaniam* trajecerunt, quæ ab iis *Iberia* nominata eſt, ubi nobilis quoque fluvius *Iberus*, & *Chalybes* populi *Bilbilis* fluvii accolæ *Juſtino* memorati.

Joſeph. l. 1. c. 7.

Juſtin. lib. 44.

Javan, qui & *Javon* & *Jovan*, primas poſuit in *Ciliciâ* ſedes, relictoque ibi *Tharſo* filio, qui *Tharſum* civitatem condidit, uſque ad *Ioniam* à ſe denominatam proceſſit; unde annis ſuccedentibus *Græciam* ac deinde maximam *Italiæ* partem replevere illius poſteri. Hic antiquiſſimus eſt *Græcorum Iaon* vel *Ion* & *Italorum Janus*. Sed & *Tharſi* poſteros, *Sewidis Lude* ortis cedentes, ad cognatos demum acceſſiſſe non eſt quòd dubitemus. *Eliſſa Javani* filius in *Peloponneſo* conſedit, ubi urbs *Elis* ipſius nomen præ ſe ferre creditur; *Cethim* primò *Cyprum* inſulam (ubi urbs *Citium*) deinde *Macedoniam* ſibi vendicavit. Ab his duobus fratribus *Græcorum* inſulæ à Prophetis, *Eliſſæ* & *Cethimi* inſulæ nuncupantur. *Dodanim* verò *Rhodum* primò inſulam, deinde *Epirum* (ubi urbs *Dodona*) videtur occupâſſe. Enimverò pulſi ab *Achæis*

Iones

illa ætate fuerint patriarchæ, animadverterint. *Rhiphæi* autem, qui & *Heneti*, *Venedos*, per orientales *Balthici* maris oras disseminatos, condiderunt. Negant certè nonnulli eosdem esse *Cimbros* & *Cimmerios*, quorum rationes cum tenuiores sint quàm quibus respondere operæ pretium fuerit, quid prisci senserint authores ostendere satis habuero. *Possidonius* apud *Strabonem Cimbros* Græcis *Cimmerios* appellatos, ab iisque ad *Mæotim* usq; lacum progressis *Cimmerium* bosporum quasi *Cimbricum* fuisse denominatum, expressè asserit. Et *Diodorus Siculus*, Διαβεβοημένης δὲ τῆς τούτων ἄλκης καὶ ἀγριότητος, φασὶ τινὲς, ἐν τοῖς παλαίοις χρόνοις τὴν Ἀσίαν ἅπασαν καταδρέμονται, ὀνομαζομένους δὲ Κιμμερίους τούτους εἶναι, βραχὺ τοῦ χρόνου τὴν λέξιν φθείροντος ἐν τῇ τῶν καλουμένων Κίμβρων προσηγορίᾳ· pervulgatâ horum fortitudine ac feritate, ipsos esse tradunt qui totam olim *Asiam* incursârunt, appellatos verò fuisse *Cimmerios*, paulòq; immutato per temporis corruptionem nomine *Cimbros* nuncupatos. Et *Stephanus Byzantinus* in voce Ἄβροι. Κίμβροι οὓς τινὲς φασὶ Κιμμερίους, *Cimbri*, inquit, quos quidam *Cimmerios* vocant. Sunt qui recentius esse aiunt *Cimmeriorum* nomen quàm ut inde quippiam de *Gomerica* eorum origine erui possit, idque *Pliniano* hoc freti testimonio, Oppida in adyto

Strab. lib. 7.

Diod. lib. 2. cap. 11.

Plin lib. 6. cap. 6.

Bos-

Plin. lib. 6. cap. 6. Bospori, primò *Hermonassa*, dein *Cepi Milesiorum*, mox *Stratoclea* & *Phanagoria*, & penè desertum *Apaturos*, ultimoque in ostio *Cimmerium* quod antea *Cerberion* vocabatur. Et *Hesychium* citant, in dictionem Κερβέριον, Φασὶ δὲ τοὺς Κιμμερίους Κερβερίους, καὶ τὴν πόλιν οἱ μὲν Κερβερίαν καλοῦσιν; οἱ δὲ Κιμμερίαν, ἄλλοι δὲ Κίμμι; ἔστι δὲ τόπος ἐν Ἅδου Κερβέριος τρικάρηνος; Vocant etiam & *Cimmerios Cerberios*, & urbem alii *Cerberiam*, alii *Cimmeriam* appellant, alii etiam *Cimmi*; est autem *Cerberius* locus triceps in Inferno: atque hinc *Cerberios* primò vocatos autumant. Enimverò qui *Plinii*, *Hesychiique* verba attentiùs expenderint, nihil illinc elici posse dignoscent, nisi quòd post illum *Posidonio* ac *Plutarcho* memoratum profugorum è *Germaniâ Cimbrorum* accessum, *Cerberion* oppidum *Cimmerium* Græcis appellari cæperit, utroque retento nomine, sicut in *Constantinopoli* factum novimus quæ priscum quoq; *Byzantii* nomen unà retinuit; unde à prædicto oppido *Cimmerii* ipsi etiam *Cerberii* erant agnominati. Quin & *Raleighus* noster errâsse *Ral lib. 1. c. 8. sect. 6.* hìc *Plinium* censet, oppidumque *Cerberion* non in adyto Bospori sed in *Campaniâ* situm esse scribit, (ubi *Acheron* fluvius, lacusque *Acherusia* & *Avernus*,) & ab aquis bituminosis ac insalubribus quas intromisso

intromiſſo lacu *Lucrino Auguſtus* expurgavit denominatum quaſi infernale. Cui favent Antiquiores *Homeri* Scholiaſtæ, qui in illo *Homeri* carmine Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε; Ibi verò *Cimmeriorum* hominum populuſque civitaſque, pro Κιμμερίων reponunt Κερβερίων. Et Scholiaſtes in *Ariſtophanis Ranas*, Τίνες δὲ παρ' Ὁμήρῳ γεγόασι, Ἔνθα ϗ Κερβερίων ἀντὶ τῶν Κιμμερίων; Quidam, inquit, apud *Homerum* ſcribunt *Cerberiorum*, pro *Cimmeriorum*: Quo tamen in loco non de *Mæotiis* ſed *Italicis Cimmeriis* loqui poetam eruditi arbitrantur.

Quòd autem *Cimmeriorum* nomen ἀπὸ τῆ Κιμμέρᾳ à nebulâ, & ἀπὸ τῆς χειμῶνος ab hyeme; à nebuloſis ſcilicet gelidiſque ſedibus deducunt Græculi aliquot Grammatici, adeòque *Cemmerios* & *Chîmerios* ſcribunt, id uſitatam Græcorum ſapit vanitatem populorum & locorum appellationes ex ipſorum linguâ petitas obtendentium, quaſi ab iis alii omnes originem traxiſſent. Porrò, qui *Cimbros* à *Cimmeriis* verſos eſſe ſtatuunt, à *Feſto* & *Plutarcho* malè intellectis decepti, à latrociniis nominatos putant. *Cimbri*, inquit *Feſtus*, linguâ Gallicâ latrones dicuntur, & *Plutarchus* Κίμβρους ὀνομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς λῃστάς *Germani*, inquit, latrones *Cimbros* nomi- *Plut. in vitâ Marii.*

nabant. (Hinc obitèr notare haud abs re fuerit, quam *Plutarchus* Germanicam, hanc *Feſtum* Gallicam linguam appellare.) Atqui antiquioribus, latrones latinè & Λησαὶ græcè robuſti milites dicebantur, uti fuſiùs docuit *Sheringhamus*. *Feſtum* verò ipſum & *Plutarchum* linguæ *Cimbricæ* minùs peritòs fefellit vocum *Kimber* & *Kimper* ſimilitudo. *Cimber* enim ſive *Cimmerius* linguâ vernaculâ *Kimber* & *Kimmer* dictus eſt, at *Kimper* (hoc eſt, miles) à *Kemper* corruptum eſt, quod à *Kemp* (latinè campo) derivatur.

E *Germania Cimbri* in *Galliam* atque inde in *Britanniam* miſêre colonias; unde *Galli* crebrò apud veteres Scriptores *Cimbri* audiunt, & à *Joſepho* ac *Zonarâ* expreſsè Γομαῆς *Gomari* (à *Gomaro*) vocantur; & *Ciſalpini Galli* eſſe videntur, qui *Joſepho Aſchanaxi*, Græcis, ut ille ait, *Rhegines*, à nobili forſan urbe *Rhegio*, nominantur; ac *Britanni* à ſeipſis *Kymri* appellantur; fœmina *Britannica Kimraes*, & ipſa lingua *Kimraeg*; atque hinc nata ſunt *Cambriæ* & *Cumbriæ*, *Cambrorum* & *Cumbrorum* nomina. Pro Cimbrica *Britannorum* origine facit *Virgilius* apud *Quintilianum*, *Tullium Cimbrum*, *Thucydidem Britannum* appellans: Itemque *Tacitus*. *Rutilæ*, inquit ille, *Caledoniam*

Quint. l. 8. c. 3.

ntum habitantium comæ, magni artus, *Germanicam* originem aſſeverant. Et, in univerſum æſtimanti, *Gallos* vicinum ſolum occupâſſe credibile eſt. *Galli* verò & *Germani* ut oſtenſum eſt *Cimbrici* fuerunt populi, quanquam procedente tempore ſolis Borealibus *Cimbricæ Cherſoneſi* incolis & *Britannis* noſtris manſit priſtina *Cimbrorum* appellatio. Primi igitur, è *Gallia Britanni* cum aliis quibuſdam è *Germania* adveniſſe, atque interiorem inſulæ partem habitâſſe videntur; ſeque pro indigenis ac aboriginibus jactitârunt, quod & *Cæſari* ac *Diodoro Siculo* perſuaſerunt. Alii hùc poſtea è *Gallia* itidem, prædæ ac belli inferendi causâ trajicientes, maritima incoluerunt, qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellabantur quibus ex civitatibus eò pervenerunt. *Belgæ*, *Atrebates*, *Pariſii*, *Cenomanni*, *Veneti Galliæ*; *Belgas*, *Atrebatios*, *Pariſos*, *Cenimagnos*, & *Venedotos* in *Britanniâ* propagârunt. *Britanni* verò *Gallorum* omnium primi, ut *Beda* ſcribit, de tractu Armoricano advecti Auſtrales ſibi partes inſulæ vindicârunt, magnamque ejus partem incipientes ab auſtro poſſedêrunt, ſuumque toti & genti & inſulæ nomen indidêrunt. At qui reſtabant in *Galliâ*, ad *Morinos* tranſierunt, iiſque permiſti

Tacit. in vitâ Agric.

Cæſar lib. 5. de bello Gall.

Beda l. 1. c. 1.

ſunt, à quibus *Geſſoriacum*, portus *Morinorum* Britannici nomen traxit. Horum *Britannorum* meminit *Plinius*, ùt & *Dionyſius Alexandrinus*, Τῆς ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται, Ἀγχοῦ ϛηλάων, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων, Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμμένον, ἦχι Βορείου Ὠκεανοῦ ψυχρὸς κέχυται ῥόος, ἔνθα Βρετανοὶ, Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν, Cujus extremum quidem ſub angulum incolunt, prope columnas, magnanimorum gens *Iberorum*, juxta longitudinem ad continentem verſa, ubi ſeptentrionalis Oceani fuſus eſt frigidus fluxus, ubi *Britanni*, *Albæque* gentes habitant martiorum *Germanorum*. Hìc voces illas, [ubi *Britanni*] alteras illas voces, [Juxta longitudinem ad continentem verſa,] reſpicere, monuit doctiſſimus *Camdenus*; & *Euſtathius* in hunc locum ſic ſcribit Τῶν δὲ Βρετανῶν τούτων παρώνυμοι αἱ ἀντίπεραν Βρετανίδες νῆσοι, ab his *Britannis* denominatæ ſunt Britannicæ è regione inſulæ.

Plin. lib. 4. cap. 17.

Eâdem *Britannos* cum antiquis *Cimbris* ac *Gallis* uſos fuiſſe linguâ abundè probavit *Camdenus*. *Plinius*, inquit ille, ex *Philemone* tradit, quòd mare mortuum linguâ *Cimbricâ* reddatur *Morimaruſa*; Atqui *Mor* apud *Britannos*, Mare, *Marum*, Mortuum denotat. Qui juniori *Brenno* in *Græcia* militârunt promiſcuè *Cimbri* ac *Galli* appellantur, quibus hujuſmodi equeſtris

Plin. lib. 4.

ſtris pugna in uſu fuit; medium inter ſe dominum bini ſtipabant ſervi, qui mos pugnandi à tribus illis equis *Trimarchia* dicebatur; at *Cambro-Britannis*, Tri, Tres; March, Equus eſt. Qui plura ſuper hâc re ſcire deſiderat, *Camdenum* ipſum conſulat. Similes & bello & pace utriſq; tam *Gallis* quam *Britannis* mores ac conſuetudines à *Cimbris* accepti, & conſimilia ferè ædificia. A *Cimbris* ſive *Cimmeriis*, quorum pars erant *Agathyrſi*, corporum picturâ celebres; *Britannos* ſuam ſe depingendi conſuetudinem traxiſſe, veri eſt omnino ſimillimum. Apud utroſque tam *Gallos* quàm *Britannos* in ſummo honore ac pretio erant *Bardi*, *Eubages*, & *Druides*; è quibus *Bardi* fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitârunt; *Eubages* verò ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ, pandere conabantur; *Druides* autem ingeniis celſiores, ut authoritas *Pythagoræ* decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, queſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt; & deſpectantes humana, pronuntiârunt animas immortales. Floruiſſe tamen magis atque excelluiſſe in *Britanniâ* hæc ſtudia liquet; quò etiam *Gallos* Cæſar dicendi causâ transfretare ſolitos narrat, utpote, ubi reperta primò eſt *Druidûm* diſciplina.

Pauſan. l. 1.

Amm. Marcel. lib. 15.

Cæſar de bello Gallico, lib. 6.

Item

Cæſar l. 6. de bello Gal.

Ditem Galli, patrem generiſque auctorem celebrant, quem in *Galliam* è *Germaniâ* primùm venientibus præfuiſſe eſt probabile. Huic *Samothis* agnomen tribuit, *Gallis*que ac *Britannis* imperâſſe refert *Beroſus Annianus* ejuſque ſucceſſorum ordine recenſet; *Magum* ſcilicèt *Samothii* filium, *Sarronem Magi*, *Druidem Sarronis*, *Bardum Druidis*, *Longonem Bardi*, *Bardum* juniorem *Longonis*, ejuſque fratrem *Lucum*, *Celten Bardi* filium (*Parthenio Nicæo Bretanum* dictum,) *Galateam Celtæ* filiam (*Parthenio Celticen* dictam) *Herculi Lybico* nuptam, *Galaten Herculis* è *Galateâ*, filium (eidem ſcriptori *Celten* dictum) *Narbonem Galatæ*, *Lugdum Narbonis*, *Beliginum Lugdi* filium, *Jaſium Italum*, *Allobrogem Beligii* agnatum, *Romum Allobrogii* filium, *Paridem Romi*, *Lemanem Paridis*, *Olbium Lemanis*, *Galaten* juniorem *Olbii*, *Namnetem Galatæ*, *Rhemum*que *Namnetis* filium. *A Samothe Samotheos* nuncupatos volunt inſulanos noſtròs fictitii hujus *Beroſi* ſectatores & ſub *Luco* rege ſubactas ab *Albione* & *Bergione Neptuni Ægyptii* filiis (*Pomponio Melæ* memoratis) *Britanniam* atque *Hiberniam* narrant, quos in *Saxeto Gallicano* (vulgò *Le Craux* appellato) devictos regnante *Celte* occidit *Hercules*. Dirum exinde atque internecinum

num exortum eſt inter *Samotheos* ac *Albionios* bellum, tantæque utrinque ſtrages editæ ut conſulenti ejus oraculum *Britoni* reſpondens, deſertam hanc vocaret inſulam *Diana*. Hujus nimirum belli (adùſque *Britonis* adventum perdurantis) tempore appulſam huc fuiſſe ſine velis ac remis navim quinquaginta *Diocletiani* regis. *Syriaci* filias, nocturnam maritorum cædem exilio luentes, advehentem, deſumptâ à *Belidibus* fabulâ, quidam finxere nugivenduli; quibuſcum coeuntes (*Samotheorum* filiabus peroſi) *Albionii* Gigantes procreârunt. Ab *Albione* prædicto denominata fertur inſula, quanquam aliis *Albion* quaſi *Alphion* videtur nuncupata, ab *Albedine*, cum Ἀλφὸς Græcè, ſi *Feſto* credimus, latinè *Albus* ſit; Nam *Orpheus* in *Argonauticis* terram hanc χέρσον λευκᾶον, hoc eſt, *Albam* vocat. *Hillus Dionyſii* periegeſin explicans, *Albionis* nomen ab *Allybaun* efformatum cenſet, quo nomine tractum inſulæ ſeptentrionalem appellârunt *Scoti Hibernienſes*, quo etiam pacto ab albedine ſumeret appellationem, nam *Ellan Ban* Scoticè *Albam* inſulam ſignificat, albumque ac gypſeum eſſe terræ hujus ſolum notavit *Fracaſtorius*. Aliis *Albionem* quaſi *Olbionem* dicere placuit a Græcâ voce Ὄλβος fælicitatem

Chron. Sancti Alb.

deno-

denotante, propter eximiam fertilitatem. Quin etiam *Olbiam* in *Gallia*, urbem, aliaſq; ejuſdem nominis in *Sarmatiâ*, *Europæâ*, & *Aſiâ minori*, memorat *Ptolemeus*, quibus olim in locis aliquantiſpèr conſederant *Britannorum* Majores, unde *Olbion* facilè nominari poterat. *Franco* (quem *Franicum* & *Francionem* aliqui vocant) *Hectoris Germanorum* Regis filio, quam unicam habuit filiam rex *Rhemus* deſponſavit, qui patri ſoceroq; in regna ſuccedens latè imperavit, & *Sicambrum* genuit *Polyphemum*, (hoc eſt, famoſum) a *Græcis* agnominatum, *Germanis Wolfheim Sickinger* dictum. *Francum* hunc *Hectoris* filium *Aſtyanactis* fratrem facit, vocatumq; antea *Laodamanta* ſcribit *Amandus Zirixæus*, Tres poſt ſe filios ex uxore *Galateâ* reliquit *Polyphemus*, *Celten Germanorum*, *Illyrium Illyriorum*, *Galaten*, *Gallorum* reges. Poſt *Galatæ* mortem inter duodecim *Toparchas* diviſa eſt *Gallia*, e quibus *Aquitaniam* & *Pictaviam* cum *Armoricæ* parte obtinuit *Groffarius*.

Rex *Albæ* in *Italiâ* *Aſcanius Sylvium Julum* genuiſſe fertur qui *Laviniæ* reginæ neptem duxit uxorem. Illa filium enixa, partûs cruciatibus enecta obiit. Filius (juxta *Nennium*) *Brito* nominatus eſt; (cujus nominis Centaurum memorat *Hyginus*,

ginus, Nymphamq; *Britonam*, (quæ *Britomartis* etiam & *Dictynna* vocabatur) alii ſcriptores Græci prædicant. *Aſcanio* mortuo frater ſucceſſit *Sylvius* poſthumus *Æneæ* ex *Laviniâ* filius, populi ſuffragiis matris gratiâ *Sylvio Julo* prælatus, cui tamen ſummus confertur Pontificatus, qui honos apud *Albanos* regio ſemper habitus eſt proximus. Ille inter venandum errantis filii ſagittâ ictus occubuit, relicto etiam altero filio natu majore, *Juliæ* ſtirpis auctore. *Brito* quindecennis ob inauſpicatam patris cædem *Poſthumi* juſſu exulans, in *Græciam* proficiſcitur, ubi *Heleni* in *Chaoniâ* poſteros multoſq; alios ſanguine Trojano editos, a vicino rege oppreſſos reperit. Horum ille dux factus (adjuncto ſibi *Aſſaraco* matre Trojanâ nato) regem *Pandraſum* duobus præliis victum cepit, unà cum fratre *Antigono* ejuſq; amico *Anacleto*. Captus in has pacis conſentire leges Rex cogitur, ut *Britoni* filiam *Ignogen* nuptui daret, traditâq; trecentarum viginti quatuor navium claſſe, rebus quæcunq; opus erant cunctis affatim inſtructiſſimâ, liberam ei cum *Trojanis* omnibus abſcedendi copiam faceret. Conſultum in inſulâ quâdam *Dianæ* Oraculum, propitium reddidit reſponſum; pergentibuſq; poſt triumphatos piratas

& vaſtatam *Mauritaniam*, obviùs factus ex *Antenoridarum* proſapiâ *Chorinæus*, ſua iis agmina ſociavit. Hinc *Ligeri* fluvii oſtium ſubeuntes in *Galliam* excendêrunt, regiſq; nuntios venatione ipſis interdicentes, cæſo a *Chorinæo Imberto* abegerunt, moxq; ſupervenientem cum exercitu *Groſſarium*, perempto itidem à *Chorinæo Suardo* duce, *Trojani* fortiter profligârunt. *Socio* devicto alii reges *Gallici* auxilio adſunt, editâq; atroci pugnâ, *Trojanos* in caſtra compulerunt; qui noctu ingreſſi, poſitiſq; in nemore propinquo inſidiis, *Gallos* nuperâ victoriâ exultantes adorti, fædiſſimâ ſtrage concîderunt. Cecidit hoc prælio cognatus *Britonis Turnus*, in cujus memoriam ædificata urbs *Turonum* fertur.

Ubi tandem continuè bellando, ſuorum minui, hoſtium contrà augeri numerum perſpiceret, *Britaniam*, derelictâ *Galliâ* petere inſtitutit *Brito*. Advenientem in littore *Totoneſio* proſpicientes *Albionii* gigantes, concurrerunt (uti narrat in ſuâ ad *Warinum* epiſtola *Henricus Huntingdonienſis*) contra ejus naves in mare, & cùm in tantam profunditatem perveniſſent, quod nec in eum progredi nec facilè regredi potuiſſent, ſagittis & baliſtis occiſi ſunt. Peragratis inde quibuſq; provinciis repertos gigantes in cavernas montium

um fugant, inquit *Galfridus Monumc-* *Galfr.*
thenſis. Ea res mirifice iis *Samotheorum* *lib* 1.
omnium amorem conciliavit, Qui a re- *cap* 9.
gibus Gallicis neglectui diù habiti, animis alacribus novos exceperunt hoſpites, *Britonemq*; regem conſalutârunt. In illum portu *Totoneſio*, feſtum Diis diem celebrantem, triginta, duce *Gormagoto*, *Albionii* irruêrunt, multoſq; interemerunt; ſed ipſi demùm a populo circumdati ad unum omnes periere, præter ipſum *Gormagotum* immenſiæ ſtaturæ virum; qui comprehenſus & aſſervatus, ac coram rege poſteà cum *Chorinæo* colluctatus, de rupis excelſæ ſummitate ab eo in mare præcipitatus eſt. Cæteris deinde *Albioniis* brevi penitùs extirpatis, *Brito* ſubditos a ſuo nomine *Britones* vocari juſſit, urbemq; condidit quam *Trojam* novam appellavit, ubi cùm annos circitèr viginti quatuor regnâſſet a filiis ſepultus eſt. *Chorinæo* data eſt *Cornubia*, dicta olim ab ejus nomine *Corina*. Poſt *Britonis* mortem diviſum ita eſt inter ejus filios regnum ut in *Cambriâ Camber* regnaret, in *Albaniâ Albanactus*, ambo maximo natu fratri *Loegriæ* regi *Locrino* ſubjecti. Hunc *Britonem Eli*, pontifici *Iſraelitico* coætaneum fuiſſe volunt *Britani*, ejuſq; præterea Heroas *Mempricium* conſiliarium &

Gerionem augurem celebrant; quos tertiâ mundi ætate huc veniſſe ſcribit *Nennius*. Poſt *Locrinum* regnavit uxor *Guendolena Chorinæi* filia, deinde *Locrini* & *Guendolenæ* filius *Madanus*, *Mempicius Madani*, (*Manlii* fratris cæde infamis,) *Eboracus Mempricii*, (*Britannis Ebrauc*, dictus,) *Brutus* ſeu potius *Brito Eboraci* à ſcuto viridi cognominatus, *Lelius* Bruti, *Rudibratus Lelii*, Bladudus *Rudibratii* & *Lerius* Bladudi. Hic cum tres filias haberet, *Genoxiam*, *Maglano Albaniæ*, *Raganam Hennino Danmoniæ* Principibus, matrimonio junxit. Tertia nomine *Cordella Aganippo* regi Gallico nupſit, pulſumq; a ſororibus patrem in regnum reſtituit atq; illi demùm ſucceſſit; Capta a nepotibus *Morgano Maglani*, *Cunedagio Hennini* filiis, & carceri mancipata victam mærore animam efflavit. Superatum bello civili *Morganum* interfecit, et proinde ſolus regnavit, *Cunedagius*; quem ſecuti ſunt *Rivallo Cunedagii* filius, *Gorguſtus Rivallonis*, ejuſq; frater *Siſillus*, *Jago Gorguſti* filius aut nepos, *Chynimarchus Siſilli*, *Gorbodugus Chinimarchi*, *Porrex* fraterq; *Ferrex Gorbodugi* filii. Fratris inſidias fugiens in *Galliam* abiit *Ferrex*, & cum *Suardi* regis auxiliis rediens fuſo a *Porrece* exercitu occumbit. Victorem (victi longè amantior) ſopitum in tentorio, cum ancillis occupans, in fruſta diſcidit

Quint. l. 8, c. 3.

cidit communis mater *Videnia*. Poſt ejus mortem in quinq; regna diſpertita eſt Britannia, regnantibus, in *Danmoniâ Cloteno*, in *Loegriâ Pyrane*, *in Cambriâ Rudaco*, in *Northumbriâ Eugenio*, & in *Albaniâ Staterio*. Succedens patri *Cloteno* in regno *Danmonienſi Molmutius Dunvallo* regis *Gorguſti* trinepos, extinctis bello *Pyrane*, *Rudaco* & *Staterio*, acceptoq; in deditionem *Eugenio*, *Britanniæ* monarcha evaſit. Filii ejus *Belinus* & *Brennus* (victo *Chenulpho Morinorum* rege celebris) poſt diuturna odia ac diſſidia, *Cornvennæ* matris interventu concordes effecti, regiones plurimas ingentibus *Gallorum* ac *Britannorum* copiis ſtipati incurſârunt. *Veios* confugere, ſtratos ad *Alliam* flumen *Romanos* coegit, ipſamq; captam diripuit *Romam Brennus*. At præſtantiſſimum nacti ducem *Camillum*, (in exilium paulò antè civium invidiâ actum) regreſſi, *Veiis Romani* capitolium obſeſſum inito conflictu liberârunt, & adoctavum ab urbe lapidem hoſtes in viâ *Gabinâ* aſſecuti, ad internecionem uſq; cum ipſo duce *Brenno* deleverunt Hic aurum *Brenno* a *Sulpitio* tribuno numeratum, receptum eſt, non autem totum præmiſſa enim pars fuerat ad *Gallicas* in *Etruriâ* colonias cum aliquot turmis, quæ cognitâ ſociorum clade

Liv. Dec. 1. lib. 5.

ſeſe

Juſtin. lib. 20.

ſeſe *Dionyſio* tyranno adjunxerunt; hanc etiam diu poſtea ex provinciâ *Galliâ* in fiſcum retulit Proprætor *Livius Druſus.* Sueton. in Tib. *Belinus Pannoniam* ſubegit, relictâq; illic *Gallorum* ac *Britannorum* coloniâ, Regnum ſuum fæliciter repetiit, morienſq; filium *Gorguntium* habuit ſucceſſorem. Poſt hunc regnavit filius *Guitelinus*, quo mortuo, Regnum adminiſtravit uxor *Martia* quoad *Siſyillus* filius adoleſceret. *Siſyillo* ſucceſſit filius *Chiomarus* cui frater *Elanius* (ſive *Danius*,) cui filius e *Tanguſtelâ* concubinâ *Morindus.* Ingruentem ille *Morinorum* regem cæſis ferè omnibus ejus militibus profligavit, ipſe poſtmodùm cum monſtro marino congreſſus ab eodem devoratur. Quo mortuo inter quinq; filios in totidem regna diviſa eſt *Britannia.* Hi erant *Gorbonianus*, *Archigallo*, *Elidurus*, *Eugenius* & *Peredurus.* *Gorbonianum* excepit filius *Regino*; *Archigallonem* propter tyrannidem a ſuis pulſum & ab *Eliduro* fratre reſtitutum filius *Morganus*, atq; illum frater *Ennianus* ſecutus eſt. Captus ab *Eugenio* ac *Pereduro* fratribus, idem *Elidurus* poſt ipſorum mortem amiſſum regnum recuperavit, filioq; *Gerontio* reliquit. *Eugenio Edovallus*, *Pereduro Runo*, filii ſucceſſerunt. *Gerontio* ſucceſſit filius *Cadellus*

poſt

post quem regnârunt, *Cadelli* filius *Coelus*, *Coeli Porrex*, *Porrecis Cherinus*, cujus filii *Fulgentius Eldadus* & *Androgeus* paternum inter se regnum partiêrunt. Circa hæc tempora vixit *Brennus* junior qui e *Pannoniâ* cum ingenti exercitu in *Græciam* movens immensas illìc strages edidit. Hunc cum priore *Brenno* confundunt *Joannes Priseus* eques & *Humfredus Luddus*; ac *Polydoro Virgilio* gravitèr succensent, quòd inter cognomines hosce principes centenos denos intercessisse annos affirmet. Quanquam *Josephus Scaliger* in suis ad *Eusebium* Animadversionibus, e *Diodoro Siculo* & *Dionysio Halicarnasseo* inter se collatis probârit, *Senones* duce *Brenno* seniore Alpes *Olympiade* nònagesimâ septimâ transiisse, *Romamq*; primo *Olympiadis* nonagesimæ octavæ anno cepisse, *Pyrgione Athenis Archonte*; quo etiam tempore *Persis Artaxerxem Mnemona*, *Macedonibus Amyntam*, *Siculis Dionysium* seniorem, imperâsse constat; *Appiani* quoque hâc de re fragmentum à *Fulvio Ursino* publicatum citat. Ὅτι Ὀλυμπίων τοῖς Ἕλλησι ζ καὶ ζ γεγενημένων, τῆς γῆς τῶν Κελτῶν οὐκ ἀρκούσης αὐτοῖς διὰ το πλῆθος, ἀνίσταται μοῖρα Κελτῶν τῶν ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ἱκανὴ κατὰ ζήτησιν ἑτέρας γῆς; quòd nonagesimâ septimâ Græcorum Olympiade, cum *Celtarum*

terra

terra ipſorum multitudinem non caperet, exurgit ampla habitantium circa *Rhenum* Celtarum pars ad aliam terram exquirendam; juniorem verò hunc *Brennum* haud ante centeſimam viceſimam quartam Olympiada in *Græciam* irrupiſſe, ſuâque ſibi manu lethum illic Olympiade proximè ſequente conſciviſſe, regnantibus in *Epiro Pyrrho*, in *Syriâ Antiocho Sotêre*, in *Ægypto Ptolomeo Philadelpho*, non minùs eſt compertum. Undè quam immeritò hìc ſuggillatur *Polydorus* facilè quiſpiam judicet. Succeſſorem habuit rex *Androgæus* filium *Urianum*, poſt quem hi reges memorantur, *Eliud Uriani*, *Cledacus Eliudis*, Clotenus Cledaci, *Gorguntius* Cloteni, *Merianus Gorguntii*, *Bladudus Meriani*, Capys Bladudi, *Oenus* Capyis, & *Oeni* filius *Siſyllus*; Hujus inter filios Belgoredum & *Archimallum* dividitur regnum. Secuti exinde ſunt *Archimalli Eldolus*, *Eldoli Redionus*, *Redioni Rodericus*, *Roderici Samilus* cognomento Peniſſel, *Samili* Pyrrhus, ac Pyrrhi filius *Caporius*.

Atqui e recentioribus quàm plurimi univerſos hoſce reges tanquam meras larvas atque pura puta *Annii Viterbienſis* & *Galfridi Monumethenſis* figmenta ac ſomnia ex ipſâ rerum naturâ explodere

fate-

ſategerunt. Quæ nimiùtamen rigoris coargui poterit cenſura, cum apud *Cæſarem* Dis Pater, apud *Parthanium Nicæum Bretannus, Celtice* ac *Celtes* (Diodoro *Galates dictus*,) apud *Appianum Polyphemus* ac *Galatea*, eorumq; filii *Celtes Galates* atq; *Illyrius* occurrant. Sed reges *Arnianos* tueri non inſtituimus, nedum omnes *Galfridanos*; at vero ipſius *Britonis* longè ante *Galfridum* meminit *Nennius*, quem anno octingenteſimo quinquageſimo octavo floruiſſe conſtat; duaſq; de ejus origine recenſuit opiniones, unam vulgatam, quâ pronepos *Æneæ Trojani* conſtituitur, alteram deinde, quâ *Hiſicionis* filius fuiſſe dicebatur; qui quidem *Hiſicio Alanii* filius, qui *Sethebiri*, qui *Ogomuni*, qui *Thôi*, qui *Boibi*, qui *Semeonis*, qui *Mairi*, qui *Elthachi*, qui *Aurthachi*, qui *Ethechi*, qui *Othi*, qui *Abirti*, qui *Rai*, qui *Eſdræ*, qui *Iſrani*, qui *Barihi*, qui *Jonæ*, qui *Jabathi*, qui *Jovani* (ita *Javanum* Græci ſcriptores appellant,) qui *Japeti*, qui *Noachi*, filius extitit. Alios quoq; tres filios *Hiſicioni* tribuit, *Francum Francorum*, *Romanum Romanorum*, *Alemannum Alemannorum Epônymos*. *Hiſicionis* frater *Armeno* quinque habuiſſe filios perhibetur, *Gothum Gothorum*, *Valagothum Valagothorum*, (qui *Jornandi*

sunt *Vagothi*,) *Cebidum* Gepidarum, *Burgundum Burgundionum* & *Langobardum Longobardorum* conditores. *Armenonis* frater *Negno* quatuor filios genuisse fertur, *Vandalum Vandolorum*, *Saxonem Saxonum*, *Bogarum Bogarorum*, (qui nunc *Bojoari* & *Bavari*,) ac *Turgum Turingorum* principes. *Britones* tertiâ mundi ætate huc advenisse testatur idem scriptor, quæ computatio cum Pontificis Hebræi *Eli* tempore ad amussim quadrat, quando Trojanos primò *Britanniam* intrâsse retulit *Monumethensis*. *Anglo-saxonibus* veteribus non incognitum fuisse hunc *Britonem* sive *Brutum* ostendunt desumpta ex codice Saxonico *M. S°*, qui extat in *Collegio Trinitatis*, carmina. Locum jam antè notavit *Whelocus* Academiæ Cantabrigiensis nuper biblothecarius publicus. Of alle for one piman, Đat Heleine pay iclepeð þiy bataille forſt bigan, On Hey man pay þer bifor ðat itleped pay Darðan, Of him com þe goðe Bruigt þ pay ðe fur ſte man, Đat loverð pay in Englanð aſc ich eu telle can. Quæ his carminibus latinè reddidit *Whelocus*;

In coment. ad Bed. hist. Eccle lib. 1.

Hæc unica femina prima ante omnes
Sevit Trojani *semina belli*,

Hanc *Britones* dixere *Helenam*. Sed *Dardanus* ille Excelsus *Bruti* pater extitit unde

unde *Britanni* Heroum, sumpsere genus; fortissimus idem, hunc orbem primus regere & dominarier ausus. Et alibi, Ꝑꝛꝺeꝛ Bꝛuiꝫꝛ hiꝟ oꝛe name he clepeꝺ hiꝺ Bꝛuꝺayne.

Insula dicta fuit Brutannia nomine *Bruti*. *Thaliessinus* item *Bardorum* Coryphæus, et *Merlini*, Britannici poetæ, utì narrat *Joannes Prisæus*, quos ante mille plus minus annos claruisse liquet, suis carminibus *Britannos* Trojanorum reliquias *Brutiq;* nepotes subinde appellant. Et deinceps, *Thaliessinus* quidem in odulâ quam de suis erroribus composuit sic inscriptâ, *Britannicè Hannes Thaliessin*, videlicet errores *Thaliessini*, ait se tandem divertisse ad reliquias *Troiæ*, sub his quidem verbis, Mia deythy myma at Wedillhion Troja. Neq; dubitandum est hoc fuisse opus *Thaliessini*; nam præter innumeros codices vetustissimos qui inscriptionem hujusmodi attestentur nullo reclamante, nullus est recentiorum qui phrasin illius tam antiquam carminisve majestatem hactenus assequi potuit. Et ideò summus ille vates inter Britannos censetur et nominatur. Ad hos accedit *Henricus Huntingdoniensis* cujus verba hic apponam: Nunc a quibus & quo tempore inhabitata fuerit [*Britania*] dicendum est; quod in *Bedâ* non inventum in aliis au-

Pris. hist. Britan. Defens.

Hen. *Hunt. Hist. lib.* 1.

authoribus reperi; ſcripſerunt enim a *Dardano* principium emanâſſe *Brittonum*. Dardanus autem pater fuit *Troii*, *Troius* autem pater *Priami* & *Anchiſæ*, *Anchiſes* pater *Æneæ*, *Æneas* pater *Aſcanii*, *Aſcanius* pater *Sylvii*; *Sylvius* autem cum uxorem duxiſſet, & ea prægnans eſſet, prædixit magus quidam filium unde prægnans erat interfecturum patrem ſuum. Occiſo igitur mago pro vaticinatione illâ, natus eſt filius & vocatus eſt *Bruto*. Poſt multum verò intervallum dum ipſe luderet cum pueris, ictu ſagittæ occidit patrem non induſtriâ ſed caſu. Quamobrem expulſus ab *Italiâ* pervenit in *Galliam*, ibiq; conditâ civitate *Turonorum*, quæ vocatur *Turonis*, invaſit tractum *Armoricanum*. De tractu autem *Armoricano* huc adveniens ſibi partes inſulæ ingentis vindicavit, & ex nomine ſuo *Brittanniam* vocavit. Dicunt autem illi authores quòd quando *Bruto* regnabat in *Brittannia*, *Heli ſacerdos* judicabat *Iſrael*, & *Poſthumus* ſive *Sylvius* filius *Æneæ* regnabat apud Latinos, cujus nepos erat *Bruto*. Hæc *Huntingdonienſis* verba, non unico ſolùm tunc temporis, ſed varii fuiſſe *Brutonem* ſcriptoribus memoratum probant. Idem alibi *Henricus* de ſuperatis a *Cenovaldo* rege *Britonibus* agens ſubjicit; et facta eſt ſuper progeniem *Bru-*

ti plaga inſanabilis in die illâ. Scripta autem fuiſſe hæc ante editam *Galfridi* tranſlationem, tam ex ipſius de ſummitatibus rerum tractatu, quàm ex dictâ *Galfridi* tranſlatione, ad calcem non malè obſervavit *Priſeus*. Tranſlationem dico, cùm hiſtoriæ Britannicæ neutiquam author fuerit, ſed ab antiquiore quodam Britannicè conſcriptam, et ex *Armoricâ* a *Gualtero Caleno Oxonienſi* archidiacono allatam in Latinum ſermonem verterit *Monumethenſis*. Sed et Prototypon Britannicum legiſſe coætaneus *Monumethenſi Giraldus Cambrenſis*, qui in *Galſridum* aeriter invectus, quod ſuæ hiſtoriæ inſeruiſſe, quæ apud *Cambros* non poſſe inveniri fidentèr aſſerit; *Wallia* verò, inquit, non a *Wallone* duce vel *Wandolenâ* reginâ, ſicut fabuloſa *Galfridi Arthuri* mentitur hiſtoria, quia reverâ neutrum eorum apud *Cambros* invenies, ſed a barbaricâ potiùs nuncupatione nomen iſtud inolevit. *Saxones* enim occupato regno *Britannico*, quoniam linguâ ſuâ extraneum quemlibet *Wallum* vocant; & gentes has ſibi extraneas *Wallenſes* vocant, et inde uſque in hodiernum barbarâ nuncupatione, & homines *Wallenſes* et terra *Wallia* vocitatur.

Girald. *Cambr.* *Deſcrip.* *cap.* 7.

Hìc verò cursìm adnotare liceat; cùm ſumma

ſumma olim eſſet *Gallorum* tam fama quàm potentia, quippe qui *Italiam*, *Græciam*, *Germaniam* aliaſque terras fortiter incurſârunt, *Germanos* paritèr ac *Gothos* ab iis tanquam præſtantiſſimis, Extraneos omnes *Gallos* & *Wallos* denominâſſe, à vero non abhorrere; quo etiam pacto Chriſtianos omnes occiduos *Saraceni* ac *Turci* *Francos* hodieque appellitant. At ex illis *Giraldi* verbis [Sicut fabuloſa *Galfridi Arthuri* mentitur hiſtoria,] non adeò amico in *Galfridum* animo eum extitiſſe patet, ut ſi, quæ ille de *Bruto* prodidit certiori veritatis hiſtoricæ fundamento haud niterentur, quàm quæ de indito à *Wallone* aut *Wandolenâ*, *Walliæ* ac *Wallis* nomine comminiſcitur (quæ apud *Cambros*: viz. *Cambricam* ſive *Britannicam* hiſtoriam inveniri negat) tam avidè ea eſſet amplexurus. Ipſe tamen eodem illo capite honorificam *Bruti* mentionem facit *Giraldus*, quem mediantibus avo *Aſcanio* & patre *Sylvio* à *Trojanis* deſcendiſſe, & *Trojanorum* reliquias in hanc inſulam duxiſſe, terræque ac genti nomen poſuiſſe, diſertè ſcribit. Ex his quæ dicta ſunt, ſatis liquebit, *Brutum* haud quaquam fuiſſe merum ingenii *Galfridiani* Commentum; quod & *Ponticus Virunnius*, *Lelandus*, *Priſcus*, *Luddus*, *Poelus*,

Poelus, & *Sheringhamus* confirmant. *Galfridum* verò fidum hiſtoriæ *Britannicæ* interpretem non fuiſſe, ſed plura de ſuo fabulosè inſeruiſſe, veriſque falſa commiſcuiſſe, omninò fatendum eſt; cum *Henricus Huntingdonienſis*, qui pradicatam hiſtoriam in *Abbatiâ Beccenſi* anno Milleſimo centeſimo nono vidit, & ex illâ ſuam ad *Warinum* (ſive *Guarinum*) de *Britonum* regibus Epiſtolam exaravit, aliique rerum *Cambricarum* Scriptores, ab eo aliquoties diſcrepent. De hoc autem poſteà fuſiùs. Sed & teſtantem multa de *Bruto Sigebertum Gemblacenſem* proferre poteram, qui circitèr annos centum ante *Monumethenſem* claruit, niſi quæ ille de antiquis *Britannis* habet, ex ipſo *Galfrido* à recentiore quodam fuiſſe interpolata, viri aliquot præclari cenſuiſſent. *Trojanos* certè poſt captam urbem, longè latèque diſperſos fuiſſe conſtat; quorum aliquos in *Galliam* perveniſſe narrat e *Timagene Ammianus Marcellinus*, unde breviſſimus erat in *Britanniam* trajectus. Bardos quoque in libris eorum antiquis & authenticis, ſuo tempore principum Genealogias, ſed tamen Cambricè ſcriptas habere, eaſdemq; memoritèr tenere à *Roderico* magno uſque ad *B. M.* (id eſt, *Beatum* magnum) & inde

Uſſer. primord Brower. in notis ad Venant. Fortun. Anton. Raſus in Epiſt. Præf. primæ edit. Sigeberti Paris 1512: Amm. Marcel lib 15. Cimbr. Deſcrip cap. 3.

de uſque ad *Sylvium*, *Aſcanium* & *Æneam* affirmet dictus *Giraldus*. Interim nonnulli a victoribus *Græcis* quam a victis *Trojanis Britanniæ* etymologiam petere magis honorificum ducunt, quibus utpote artem nauticam apprimè callentibus, ab antiquiſſimis uſq; temporibus innotuiſſe eam contendunt. *Ulyſſem* celeberrimum *Homeri* erronem, poſt *Ulyſſiponem* in *Hiſpaniâ* extructam, ad ultima *Galliæ* littora evagatum eſſe, ex iſtis *Claudiani* carminibus evincunt.

Claud. *lib.* 1. *in* Ruf.

Eſt locus extremum qua pandit Gallia *littus*,
Oceani prætentus aquis, quo fertur Ulyſſes
Sanguine libato populum moviſſe Silentum, &c.

Inde *Caledoniam* adnavigâſſe narrat *Solinus*, idq; manifeſtum facere, aram Græcis litteris inſcriptam Voto. *Britannos* in pugnâ uti curribus ſcribit *Diodorus Siculus*, veluti antiquos *Græcorum* heroas uſos in bello *Trojano* ferunt. *Græcis* eos literis uſos eſſe teſtatur *Cæſar*; et *Prytaniam*, (unde nomen inſulæ *Cambricum Prydain*) a Græcâ voce Πρυτανεῖς reditus publicos denotante, propter affluentiam, dictam hanc terram vult *Eliotus*. Quæcunq; autem pro *Græcis* cumulantur argumenta,, ea æquè omnia pro *Trojanis* facium

Diod. *lib.* 5. *cap.* 8. Cæſar *lib.* 6. *de Bell Gall.*

fac tum, qui et ipſi *Græcorum* erant coloni, ex inſulâ *Cretâ Teucro* duce in *Phrygiam* profecti, Græciſq; uſi nominibus linguâ ac moribus. *Solini* verò aram non ab ipſo Ulyſſe ſed in Ulyſſis potius honorem poſitam eſſe judicat *Camdenus*. Alii porrò recentius eſſe *Bruti* nomen clâmitant quàm ut illo quo princeps hic regnâſſe creditur ſeculo in uſu eſſet; at verò *Britonem*, ab antiquioribus fuiſſe eum appellatum, ex *Nennio* conſtat: ſed ubi Romani Rerum, utì poeta loquitur, evaſiſſent domini, *Britanni* ut propinquiorem cum iis cognationem ac conſanguinitatem vendicarent, vetuſtius *Britonis* in Latinius *Bruti* nomen commutâſſe videntur.

Quòd autem *Græcorum* aut *Romanorum* nullus (inquit *Sheringamus*) *Bruti* hiſtoriam attexuit, mirandum non eſt; quòd omnia quæ de *Bruto* narrantur paucis a bello *Trojano* interpoſitis annis geſta ſunt, cùm rari adhuc ſcriptores extiterunt. Eâ quidem tempeſtate paucos admodum *Græci* cantores habuêre, qui de *Diis* & *Heroibus* ſuis quædam fabularum tegumentis involuta ſcripſerunt, hiſtoricos nullos. Inter *Romanos* verò hiſtoria multò ſerius emerſit; quum initio ſoli Pontifices defloratione quaſdam &

ſelecta capita de ſuis rebus congeſſerint de rebus exterorum parùm ſolliciti. In tantâ ſcriptorum inopiâ, iniquum eſt, quod nuperi de *Bruti* rebus geſtis *Græcos* et *Romanos* teſtes poſtulent, eorumq; ſuffragia implorent poſt tantos præſertim annorum curſus ambituſq; quibus Antiquorum ſcripta bello, incendio, temporiſq; injuriâ, maximâ ex parte perierunt. De ipſis certè regibus *Albanis* directiùs ad *Romanos* ſpectantibus, quid quæſo præter nuda nomina literis mandatum habemus? Heroum ſuorum qui aut primitùs regna fundârunt, aut fundata egregiè dilatârunt, legibus ornârunt, aut collapſa redintegrârunt, memorias, cunctæ ferè gentes religioſiſſimè côluerunt. Unde, cum *Timæus* negaſſet *Zaleucum* legiſlatorem unquam fuiſſe, et ipſius cives *Locrenſes* eum fuiſſe commemorarent, *Cicero* dicit, his ergo quàm illi magis eſſe credendum. Eſto, quod mendis fabuliſq; non vacent, immò, plurimis ſcatent *Britannorum* de *Bruto* ſequentibuſq; regibus narrationes; at non idcircò temerè projiciendi ſunt et ipſe et vniverſi ipſius ante *Cæſarem* ſucceſſores; quin, cautè potiùs ac modeſtè vera falſis ſecernenda fuerint. Profugos igitur quoſdam *Trojanos* (*Ammiano* memoratos,)

Cicero lib. 2. de leg.

ali-

aliquanto poſt captum *Ilium* tempore in *Galliam* e *Græciâ* advectus, huc trajeciſſe, atq; inter *Britannos* conſediſſe, *Britoniq;* iſtìc regnanti paruiſſe, non video cur inficemur, etiamſi *Galfridi* de eo narrationem haud admiſerimus. Sive autem ille *Trojano*, ſive *Britannicò* aut *Gallico* prognatus eſſet ſanguine, *Sylviine* an *Hiſcionis* filius, parùm refert; quis enim (utì ait de *Aſcanio Livius*) rem tam veterem pro certo affirmet. *Britannorum* monarchiam tenuiſſe dicuntur ejus poſteri uſq; ad *Gorbodugi* mortem, ex quo tempore in varias diſpertita eſt inſula toparchias; ſecundùm illud *Taciti*, olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & ſtudiis trahuntur. Quum enim obtinuiſſet tandem hìc conſuetudo ut defunctorum Principum dominia inter ſeſe herciſcerentur filii; hinc factum eſt ut diſtributam in tot populos gentem *Britannicam Romani* inveniren, quorum e *Ptolemæo* nomina provinciaſq; hìc attexere non pigebit. *Tacit. in vitâ Agric.*

Cornubiam & *Devoniam* habitârunt *Danmonii*, (in quibuſdam exemplaribus *Damnonii*, *Solino Dunmonii*;) in *Coſſinos* (aut rectiùs *Corinos*) & *Oſtidamnios*, (*Oſtæos* atq; *Oſtiones* etiam dictos,) diviſi, quibus *Æſtios Livoniæ* ſive *Oſtiones* *Idem lib. de Germ.*

(linguâ *Britannicæ* propiore uſos ùt *Tacitus* ſcribit) ſatos eſſe, ſub *Belini* nimirum auſpiciis eò progreſſos, credibile eſt. *Dorſetiam Durotriges*; *Somerſetiam*, *Viltoniam*, *Suthantoniam* & *Vectam inſulam Belgæ*. Hos potentiſſimo *Sueſſionum* regi *Divitiaco* ſubditos fuiſſe ſubinnuit, *Cæſar* quem magnæ partis et *Belgicæ* et *Britanniæ* imperium ſuâ etiam memoriâ obtinuiſſe dicit. Illum cum *Divitiaco Heduo* confundit *Ricardus Vitus Baſingſtochius*, dum *Cæſarem* de *Divitiaco Suiſſione* jam mortuo loquinon advertit; quanquam ſucceſſori ejus *Galbæ* ſe *Divitiaci Hedui* copiis adjutum bellum intuliſſe diſerte doceat. Quem utique *Heduum*, de profugientibus in *Britanniam*, *Bellovacorum* principibus verba facientem, repetere ipſos ac retrahere juſiſſet *Cæſar*, ſi tantæ in *Britanniâ* potentiæ authoritatiſq; fuiſſet. *Bercheriam Atrebati*, *Oxonienſem* & *Gloceſtrenſem* comitatus *Dobuni* (*Dioni Caſſio* dicti *Bodunni*, *Buccbingamienſem*, *Bedfordienſem* & *Hartfordienſem Catyeuchlani Dioni Cattuellani*. *Huntingdonienſem*, *Cantabrigienſem* cum inſulâ *Elienſi*, *Suffolcienſem* ac *Norfolcienſem Simeni Tacito* (rectius opinor) *Iceni*, aliis *Igeni* & *Tigeni* appellati. *Eſſexienſem* & *Middelſexienſem Trino-*

Cæſar de bello Gallico lib. 2.

antes ſive *Trinobantes*. *Cantium Cantii*, *Surreiam* & *Suſſexiam Regni*.

Quorum ſanè nomen olim latiùs patuiſſe, & eorum partem *Cantios* extitiſſe, *Regnoſque* à Græcâ voce Ῥήγνυμι dictos libenter ſi per Criticos liceret autumarem; attrito enim, exeſo, atque abſumpto vi fluctuum qui ex *Galliâ* in *Britanniam* & contra ex *Britanniâ* in *Galliam* ducebat *Iſthmo*, inter *Cantii* & *Picardiæ* oras, divulſam à continente fuiſſe inſulam noſtram credidere viri non aſpernandæ eruditionis. At quoniam hanc de *Galliæ* & *Britanniæ* contiguitate diſceptationem alii uberiùs tractârunt, ad alia pergo; hoc tantùm ſuper addito, *Rhegium* in *Calabriâ* Siculo littori oppoſitum pari ratione ab eodem verbo Græco appellationem ſumpſiſſe; ut & *Vitſan* oppidum quod ex adverſo *Picardiæ* littore *Dubrin* in *Cantio* reſpicit a voce *Britannicâ*, *Guith*, ſeparationem vel Diviſionem ſignificante non incongruè nominatum. *Northantoniam*, *Leiceſtriam*, *Rutlandiam*, *Lincolniam*, *Nottinghamiam* & *Derbiam* poſſederunt *Coritani*. *Varvicenſem*, *Vigornienſem*, *Staffordienſem*, *Salopienſem* & *Ceſtrenſem* comitatus *Cornavii*. *Monumethenſem*, *Hereſordienſem*, *Radnorenſem*, *Brecnocenſem* & *Glamorganenſem Silyres*

(*Tacito*

(*Tacito Silures.*) *Carmaridumenſem*, *Penbrochienſem* & *Cardiganenſem Dimetæ* ſive *Demetæ*. *Flintenſem*, *Denbichanum*, *Carnarvonenſem*, *Merionethenſem* & montem *Gomericum Ordovicæ* ſive *Ordovices* qui & *Venedoti*. *Lancaſtrenſem*, *Eboracenſem*, *Dunelmenſem*, *Veſtmariam* & *Cumbriam* Brigantes. (His annumerandi ſunt *Pariſi* qui in *Eboracenſis* parte degebant.) Comitatum *Northumbrienſem*, ac quicquid terrarum inter murum *Pictum*, *Glottam*que & *Bodotriam* (quæ nunc *Britannoduni* & *Edinburgi* freta vocantur) interjacet Ottadini, Selgovæ (*Tacito Horeſti*) Gadeni, Navantes & Damnii incoluerunt. Qui omnes à *Dione Caſſio* uno nomine Mæatæ appellantur, Cimmeriorum utique Mæotarum proles. Reliquam inſulæ partem Caledonii, Cantæ, Logi, Smertæ, Vacomagi, Taizali, Venniconnes ſive Vernicones; Epidii, Cerones, Carnonacæ, Carini & Cornabyi habitârunt. Tanta autem erat Caledoniorum fama, ut ſub eorum nomine populos hoſce omnes *Tacitus* aliique Scriptores Romani complecterentur. Ubi autem tetris ſtragibus à Romanis debilitati, in unum cum Pictis regnum populumque ſeptem priores gentes coaluiſſent; reſiduæ quinque quibus naturâ munitior, ſcilicèt montana & aſ-

pera,

pera, aditu & paragratu difficilis inter dorſum *Albaniæ* (Scotis *Drum Albin*) & mare Deucaledonium poſita regio obtigerat, diſtinctam per ſe rempublicam conſtituerunt; âtque Attiſcoti dicti ſunt, à vocibus *Britanicis*, *Uch y Scot*, id eſt, Ultra vel Supra Scotos Ultonienſes; (ùt Attadini vel Ottadini juxta *Camdenum* ab *Uch Tin* ultra vel ſupra *Tinam* fluvium) niſi Attacotos cum *Ammiano Marcellino* dicere, nomenque a *Cimmeriis* Attacis (quorum *Plinius* meminit) deducere malimus. In notitiâ Imperii, Atecotti juniores Gallicani & Atecotti Honoriani ſeniores inter palatina intra *Galliam* auxilia recenſentur, & intra *Italiam* Atecotti Honoriani juniores. Nam Barbaros in commilitium undecunque aſcivit imperator *Honorius*. De his loquitur in Epiſtolâ octogeſimâ tertiâ ad *Oceanum Hieronymus*. Ubi enim in vetere Editione Baſilienſi anni 1497, legebatur; [Scotorum & Atticorum ritu, ac de republicâ *Platonis*, promiſcuas uxores, communes liberos habeant:] pro [Atticorum,] quædam exemplaria [Atticotorum] habuiſſe, *Marianus Victorius* monuit; quæ omninò pro genuinâ lectione eſt habenda, inquit reverendiſſimus *Uſſerius*. Neque aliud ſentiendum de conſimili

Uſſer. de prim. Brit. eccl.

mili ejuſdem *Hieronymi* loco, in libro adverſus *Jovinianum* ſecundo. Quid loquar de cæteris nationibus; cùm ipſe adoleſcentulus in *Galliâ* viderim, Scotos (ita enim habent libri editi) gentem Britannicam humanis veſci carnibus. Pro Scotis enim aliàs Attiſcotos fuiſſe lectum, *Henricus Gravius*; in aliis verò *M.S.S.* Cattitos Cattacottos & Attigottos annotavit *Camdenus*: uterque verò non alios quàm *Ammiani Marcellini* Attacotos hic accipiendos eſſe conjicit. Ex hoc eodem *Hieronymi* adversùs *Jovinianum* libro, in *Chryſoſtomi* ſermonem de Pentecoſte complura à vetere Latino interprete infulta eſſe, non poteſt negari. Quum igitur ibi legatur; ante hoc [autem quoties] in *Britanniâ* humanis veſcebantur carnibus; nunc jejuniis reficiunt animam ſuam. Ut [Attequoti] vox minùs intellecta, Correctorum temeritate in [autem quoties] etiam hic degeneraverit, Conjectura eſt quæ probabilitatis ſpeciem non careat. In alio quoque loco ubi eoſdem intelligit *Hieronymus*, *Eraſmus* Azotos perperàm poſuiſſe monuit *Camdenus*. Hi poſteà Scotis permiſti in eorum nomen evanuerunt.

Hos aluit populos inſularum præſtantiſſima *Britanniâ*, à *Britannis Gallicis* aut

aut à *Britone* rege juxta antiquiores, vel a Brith, quaſi Brith Inis, Colorata inſula juxta recentiores appellata, cujus circuitus octies decies centenis triginta ſex millibus paſſuum conſtare perhibetur.

Caporio regi (de quo antèa) filius ſucceſſiſſe proditur *Gilquellus* quem *Minocanum Nennius* vocat, cujus filius *Belinus* (*Heli Gâlfrido* perperàm pro *Beli* dictus,) a rerum geſtarum magnitudine agnomen *Magni* adeptus, diù regnavit. Tres ille filios genuit, quibus etiamnùm vivens, ubi ſe conſeneſcere videret, regna conceſſit; Trinobantum *Imanuentio*, qui *Luddi*, hoc eſt *Ravi*, agnomen habuit, (ſæpe enim a coloribus agnomina ſumere Britannis tam priſcis quam recentioribus moris fuit) Catyeuchlanorum *Caſſuellano*, quem *Suellin* appellat *Dion Caſſius*; et Cantiorum *Nenvio*, cujus filii fuiſſe videntur *Cyngetorix*, *Carvilius*, *Taximagulus* et *Segonax*. *Belinum* & *Luddum* ante *Cæſaris* adventum obiiſſe ſibi perſuaſit *Galfridus Monumethenſis*, ut integram geſti adverſus *Cæſarem* belli laudem *Caſſuellano* deferret, eumque qui illo tempore claruit *Belinum*, non regem aut patrem *Caſſuellani* fuiſſe agnoſcit, ſed principem duntaxàt militiæ ejus, cujus conſilio totum regnum tractabatur. Et Galfr. lib. 1 cap. 23.

Luddi eum filium ac *Cassuellani* fratrem tam in primo historiarum libro, quàm in epistolâ ad *Guarinum* facit *Henricus Huntingdoniensis*; quâ etiam in epistolâ, postquàm tres *Luddo* superfuisse filios retulisset *Cassibellanum*, *Belinum* & *Androgeum*; mox sui oblitus, alium *Androgei* fratrem profert *Theomantium*. Enimverò belli Cæsariani tempore et vixisse et regnâsse *Belinum* expressè asseverat *Nennius*, et *Imanuentii* tanquam recèns intersecti *Cæsar* in secundâ suâ expeditione meminit. *Belinum* quoq; et regem præclarum et *Luddi* ac *Cassuellani* patrem, atq; *Androgeum* ac (*Theomantium* aut rectiùs) *Tenevantium Cassuellani* non fratres sed ex *Luddo* fratre nepotes, extitisse Cambrici omnes consentiunt Genealogi. Qui e Britannis sub imperio regis *Divitiaci* fuisse memorantur, Suessionum per hæc tempora jugum excusserant, jamq; adeundâ insulâ cunctis præter mercatores Extraneis interdictum est publicitus; Gallisque vicem rependens omnes Tyrrheni maris insulas occupavit rex *Belinus* ut *Nennius* scribit; per mare Tyrrhenum forteàn mare Turonum intelligens, qui Turones maritimæ Armoricorum oræ partem aliquam in ditione sua aliquando habuisse videantur. Sin

mi, us

minùs, quid ſibi per hoc Tyrrhenum mare velint Britannici ſcriptores, qui *Brutum* ex herculeo freto ad mare Tyrrhenum perveniſſe ſcribunt, nullâ planè conjecturâ aſſequi poſſum. Venetis tamen adverſùs Romanos exorati a mercatoribus Britanni ſuppetias tulerunt, quo in bello magnum eos armatarum navium feciſſe diſpendium *Seldenus* non malè conjicit, ita ut idoneæ in ſui defenſionem inſtruendæ poſteà claſſi prorſùs impares eſſent. Neq; enim patriæ aditu extraneos prohibuiſſe; neq; quòd non militaris in mari claſſis parata eſſet fortitèr pro patriâ dimicare, culpari omninò à *Gildâ* potuerant; ſi præter coriaceas illas, ſalignas, vimineaſque quibus uti demùm ſolis, paſſi ſunt Romani victores, nullæ iis aliæ unquam ſuppetiſſent naves. Iam verò ad Romanorum ingreſſum perventum eſt; adeòque quæ ſequuntur ex luculentis probatiſſimiſque authoribus hauriemus.

Seld. mare Clauſ. lib 2. cap 2.

Anno Urbis Conditæ ſexcenteſimo nonageſimò octavo qui fuit Olympiadis Centeſimæ octogeſimæ primæ ſecundus, & ante Chriſtum natum quinquageſimus quintus, *Pompeio* & *Craſſo* ſecundò *Coſs*: *Caius Julius Cæſar* e *Galliâ* in *Britanniam* proficiſci contendit, exiguâ jam par-

Anno ante Chriſtum natum 55.

te, ùt ipſe ſcribit, æſtatis reliquâ, quòd ſubminiſtrata inde hoſtibus auxilia intelligebat; & ſi tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno ſibi uſui fore arbitratur, ſi modo inſulam adiiſſet, & genus hominum perſpexiſſet, loca, portus, aditus cognoviſſet, quæ omnia ferè *Gallis* erant incognita.

Cæſar de bell. Gall. lib. 4.

Neque enim temerè præter mercatores adiit ad illos quiſquam; neque iis ipſis quicquam, præter oram maritimam, atque eas regiones, quæ ſunt contra *Galliam*, notum fuit. Itaq; convocatis ad ſe undiq; mercatoribus, neque quanta eſſet inſulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, neque quem uſum belli haberent, aut quibus inſtitutis uterentur, neq; qui eſſent ad majorum navium multitudinem idonei portus reperire poterat. Ad hæc cognoſcenda, priùs quàm periculum faceret idoneum eſſe arbitratus, *C. Voluſenum* cum navi longâ præmitit. Huic mandat ut exploratis omnibus rebus, ad ſe quàm primùm revertatur. Ipſe, cum omnibus copiis in *Morinos* proficiſcitur, quòd indè erat breviſſimus in *Britanniam* trajectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus, &, quam ſuperiore æſtate ad *Veneticum* bellum fecerat claſſem, jubet convenire.

Interim

Interim, cognito ejus conſilio, & per mercatores perlato ad *Britannos*, a compluribus inſulæ civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obſides dare, atque imperio populi *Romani* obtemperare. Quibus auditis, liberalitèr pollicitus, hortatuſq; ut in eâ ſententiâ permanerent, eos domum remiſit; &, cum his unâ *Comium*, quem ipſe *Atrebatibus* ſuperatis, regem ibi conſtituerat, cujus & virtutem et conſilium probat, & quem ſibi fidelem eſſe arbitrabatur, cujuſq; auctoritas in his regionibus magna habebatur, mittit. Huic imperat; quas poſſit adeat civitates: horteturque ut populi *Romani* fidem ſequantur, ſeq; celeritèr eò venturum nuntiet. *Voluſenus*, perſpectis regionibus, quantum ei facultatis dari potuit, qui navi egredi, ac ſe *Britannis* committere non auderet, quinto die ad *Cæſarem* revertitur, quæque ibi perſpexiſſet, renuntiat.

Dum in his locis *Cæſar* navium parandarum cauſâ moratur, magnâ ex parte *Morinorum* legati ad eum venerunt, qui ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſarent, quòd homines barbari, & *Romanæ* conſuetudinis imperiti, bellum populo *Romano* feciſſent, ſeq; ea, quæ imperâſſet

perâſſet, facturos pollicerentur. Hæc ſibi ſatis opportunè accidiſſe arbitratus; quod neque poſt tergum hoſtem relinquere volebat; neque belli gerendi, propter anni tempus, facultatem habebat: neque has tantularum rerum occupationes ſibi *Britanniæ* anteponendas judicabat; magnum his numerum obſidum imperat. Quibus adductis, eos in fidem recepit, navibus circitèr octoginta onerariis coactis, contractiſq; quot ſatis eſſe ad duas legiones tranſportandas exiſtimabat. Quicquid præterea navium longarum habebat, quæſtori, legatis præfectiſque diſtribuit. Huc accedebant octodecim onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur quo minus in eundem portum perveniſſe poſſent. Has equitibus diſtribuit; reliquum exercitum *Q. Titurio Sabino*, & *L. Aurunculeio Cottæ*, legatis in *Menapios*, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, deducendum dedit. *P. Sulpicium Rufum* legatum, cum eo præſidio, quod ſatis eſſe arbitrabatur, portum tenere juſſit. His conſtitutis rebus, nactus idonèam ad navigandum tempeſtatem, tertiâ ferè vigiliâ ſolvit, equiteſque in ulteriorem portum progredi, & naves conſcendere,

ac

ac ſe ſequi, juſſit; ab quibus cum paulo tardius eſſet adminiſtratum, ipſe horâ circitèr diei quartâ cum primis navibus *Britanniam* attigit; atq; ibi in omnibus collibus expoſitas hoſtium copias armatus conſpexit. Cujus loci hæc erat natura, atque ita montibus anguſtis mare continebatur, uti ex locis ſuperioribus in littus telum adigi poſſet. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naves eò convenirent, ad horam nonam in anchoris expectavit. Interim legatis, tribuniſq; militum convocatis, & quæ ex *Volu ſeno* cognoviſſet, &, quæ fieri vellet, oſtendit; monuitq; ut rei militaris ratio, maximèq; ut res maritimæ poſtularent, utq, celerem atq; inſtabilem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res ab iis adminiſtrarentur. His dimiſſis, & ventum, & æſtum uno tempore nactus ſecundum, dato ſigno, & ſublatis anchoris, circitèr millia paſſuum octo ab eo loco progreſſus, apertò ac plano littore naves conſtituit. At *Britanni*, conſilio *Romanorum* cognito, præmiſſo equitatu, & eſſedariis, quo plerunq; genere in prœliis uti conſueverunt, reliquis copiis ſubſecuti, Cæſarianos navibus egreſſi prohibebant. Erat ob has cauſas ſumma difficultas, quòd naves propter

ter magnitudinem, niſi in alto, conſtitui non poterant. Militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno, & gravi onere armorum preſſis, ſimul & de navibus deſiliendum & in fluctibus conſiſtendum & cum hoſtibus erat pugnandum; cum illi aut ex arido, aut paululùm in aquam progreſſi, omnibus membris expediti, notiſſimis locis audacter tela conjicerent, & equos aſſuefactos incitarent. Quibus rebus *Romani* perterriti, atque hujus omnino generis pugnæ imperiti, non omnes eâdem alacritate, ac ſtudio quo in pedeſtribus uti præliis conſueverant, utebantur. Quod ubi *Cæſar* animadvertit, naves longas, quarum et ſpecies erat *Britannis* inuſitatior, & modus ad uſum expeditior, paululum removeri ab onerariis navibus; & remis incitari & ad latus apertum hoſtium conſtitui, atque inde fundis, tormentis, ſagittis, hoſtes propelli ac ſubmoveri juſſit; quæ res magno uſui ſuis fuit.

Nam et navium figurâ, & remorum motu et inuſitato genere tormentorum permoti *Britanni* conſtiterunt; ac paulum pedem retulerunt. At *Cæſaris* militibus cunctantibus maximè propter altitudinem maris; qui decimæ legionis aquilam ferebat, conteſtatus Deos, ut ea res legi-

oni

oni felicitèr eveniret ; Deſilite inquit milites niſi vultis aquilam hoſtibus prodere. Ego certè meum Reipublicæ atq; Imperatori officium præſtitero. Hoc cùm magnâ voce dixiſſet, ſe ex navi projecit, atq; in hoſtes aquilam ferre cæpit. Tum *Romani* cohortati inter ſe, ne tantum dedecus admitteretur, vniverſi ex navi deſilierunt. Hos item alii ex primis, proximi navibus, cùm conſpexiſſent, ſubſecuti, hoſtibus appropinquârunt. Pugnatum eſt ab utriſq; acriter : *Romani* tamen, quòd neq; ordines ſervare, neque firmitèr inſiſtere, neq; ſigna ſubſequi, poterant, atq; alius aliâ ex navi quibuſcunq; ſignis occurrerat, ſe aggregabat ; magnopere perturbabantur. Hoſtes verò, notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos ſigulares ex navi egredientes conſpexerant. incitatis equis, impeditos adoriebantur plures paucos circumſiſtebant, alii ab latere aperto in univerſos tela conjiciebant. Quod cùm animadverſiſſet *Cæſar*, ſcaphas longarum navium, item ſpeculatoria navigia militibus compleri juſſit ; &, quos laborantes conſpexerat, iis ſubſidia ſummittebat: *Romani*, ſimulatq; in arido conſiſterunt, ſuis omnibus conſecutis, in hoſtes impetum fecerunt, atque eos in fugam dederunt ; neque longiùs perſequi potuerunt, quòd

equites cūrſum tenere atque inſulam capere non potuerant, hoc unum ad priſtinam fortunam *Cæſari* deſuit. Hoſtes prælio ſuperati, ſimulatq; ſe ex fugâ recepe-runt, ſtatim ad *Cæſarem* legatos de pace miſerunt; obſides daturos, quæque imperaſſet, ſeſe facturos polliciti ſunt. Unà cum his legatis *Comius Atrebas* venit, quem ſuprà demonſtraveram a *Cæſare* in *Britanniam* præmiſſum. Hunc illi e navi egreſſum, cùm ad eos Imperatoris mandata perferret, comprehenderant, atque in vincula conjecerant.

Tunc, facto prælio remiſſerunt; & in petendâ pace, ejus rei culpam in multitudinem contulerunt; & propter imprudentiam, ut ignoſceretur petiverunt. *Cæſar*, queſtus, quod, cùm ultro, in continentem legatis miſſis, pacem a ſe petiſſent, bellum ſine cauſâ intuliſſent, ignoſcere imprudentiæ, dixit: obſideſque imperavit, quorum illi partem ſtatim dederunt partem, ex longi nquioribus locis accerſitam, paucis poſt diebus ſeſe daturos dixerunt. Interea ſuos in agros remigrare juſſerunt; principeſque undique convenere: & ſe, civitateſque ſuas *Cæſari* commendârunt. His rebus pace firmatâ, poſt dieam quartum quàm eſt in *Britanniam* ventum, naves octodecim de quibus ſupra demonſtratum

ſtratum eſt, quæ equites ſuſtulerant, ex ſuperiori portu leni vento ſolverunt. Quæ cum appropinquarent *Britanniæ*, & ex caſtris viderentur, tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt, ut nulla earum curſum tenere poſſet, Sed aliæ eòdem, unde erant profectæ, referrentur, aliæ ad inferiorem partem inſulæ, quæ eſt propius ſolis occaſum, magno ſui cum periculo dejicerentur. Quæ tamen, anchoris jactis, cum fluctibus complerentur, neceſſariò, ad ſeptimam noctem in altum provectæ, Continentem petiverunt. Eâdem nocte accidit, ut eſſet Luna plena: quæ maritimos in Oceano efficere conſuevit: *Romaniſque* id erat incognitum. Ita uno tempore & longas naves, quibus *Cæſar* exercitum tranſportandum curaverat, quaſque in aridum ſubduxerat, æſtus complebat: & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempeſtas affligebat: neq; ulla *Romanis* facultas aut adminiſtrandi, aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquæ cum eſſent, funibus anchoris, reliquiſque armamentis amiſſis, ad navigandum inutiles, magna, id quod neceſſe erat accidere, totius exercitûs perturbatio facta eſt. Neque enim naves erant aliæ, quibus reportari poſſent: & omnia deerant, quæ ad reficiendas eas uſui ſunt: &, quod omnibus conſtabat,

hyemare in *Gallia* oportere, frumentum his in locis in hyemem proviſum non erat: quibus rebus cognitis, principes *Britanniæ*, qui poſt prælium ad ea, quæ juſſerat *Cæſar*, facienda convenerant, inter ſe collocuti; cùm equites, & naves, & frumentum *Romanis* deeſſe inteligerent: & paucitatem militum ex caſtrorum exiguitate cognoſcerent; quæ hoc erant etiam anguſtiora, quod ſine impedimentis *Cæſar* legiones tranſportaverat, optimum factu eſſe duxerunt, rebellione factâ, frumento, commeatuque *Romanos* prohibere, & rem in hyemem producere: quòd his ſuperatis, aut reditu intercluſis, neminem poſtea belli inferendi cauſâ in *Britanniam* tranſiiturum confidebant. Itaq; rurſus conjuratione factâ, paulatim ex caſtris diſcedere, ac ſuos clàm ex agris deducere cæpperunt. At *Cæſar* etſi nondum eorum conſilia cognoverat, tamen & ex eventu navium ſuarum, & ex eo, quòd obſides dare intermiſerant, fore id, quod accidit, ſuſpicabatur. Itaq; ad omnes caſus ſubſidia comparabat. Nam et frumentum ex agris in caſtra quotidie conferebat: & quæ graviſſimè afflictæ erant naves, earum materiâ, atq; ære ad reliquas reficiendas utebatur, &, quæ ad eas res erant uſui, ex continenti comportari jubebat. Itaq; cum

cum id ſummo ſtudio a militibus adminiſtraretur, duodecim navibus amiſſis, reliquis ut navigari commodè poſſet, effecit. Dum ea geruntur, legione, ex conſuetudine, unâ frumentatum miſſâ, quæ appellabatur Septima, neq; ullâ ad id tempus belli ſuſpicione interpoſitâ, cùm pars hominum in agris remaneret, pars etiam in caſtra ventitaret, ii, qui pro portis caſtrorum in ſtatione erant, *Cæſari* renuntiarunt, pulverem majorem, quàm conſuetudo ferrer, in eâ parte videri, quam in partem quà legio iter feciſſet. *Cæſar*, id, quod erat, ſuſpicatus, aliquid novi a *Britannis* initum conſilii, cohortes, quæ in ſtationibus erant, ſecum in eam partem Proficiſci, duas ex reliquis in ſtationem ſuccedere, reliquas armari, & confeſtim ſe ſubſequi juſſit. Cùm paulo longius a caſtris proceſſiſſet, ſuos ab hoſtibus premi, atq; ægrè ſuſtinere & confertâ legione ex omnibus partibus tela conjici animadvertit. Nam quòd omni ex reliquis partibus demeſſo frumento, una pars erat reliqua; ſuſpicati *Britanni Romanos* eò eſſe venturos, noctu in ſylvis delituerant. Tum diſperſos depoſitis armis in metendo occupatos ſubitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverant; ſimul equitatu, atq; eſſedis circundederant. Genus hoc

eſt

eſt ex eſſedis pugnæ: Primò, per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atq; ipſo terrore equorum, & ſtrepitu rotarum, ordines plerunq; perturbant; & cum ſe inter equitum turmas inſinuavere, & ex eſſedis deſiliunt, et pedites præliantur. Aurigæ interim paulùm e prælio excedunt, ita ſe collocant, ut, ſi illi a multitudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in prælii præſtant: ac tantum uſu quotidiano, & exercitatione efficiunt, ut in declivi, ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & brevi moderari, ac flectere & per temonem percurrere, & in jugo inſiſtere, et inde ſe in currus citiſſimè recipere conſueverint. Quibus rebus, perturbatis *Romanis* novitate pugnæ, tempore opportuniſſimo *Cæſar* auxilium tulit. Namq; ejus adventu hoſtes conſtiterunt, *Romani* ex timore ſe receperunt. Quo facto, ad laceſſendum hoſtem et committendum prælium, alienum eſſe tempus arbitratus, ſuo ſe loco continuit; & brevi tempore intermiſſo, in caſtra legiones reduxit. Dum hæc geruntur, noſtris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui diſceſſerunt. Secutæ ſunt continuos dies complures tempeſtates: quæ et *Romanos* in caſtris continerent

tinerent, & *Britannos* a pugnâ prohiberent. Interim *Britanni* nuntios in omnes partes dimiſerunt: paucitatemq; *Romanorum* ſuis prædicarunt, & quanta prædæ faciendæ, atq; in perpetuum ſui liberandi facultas daretur, ſi *Romanos* caſtris expuliſſent, demonſtraverunt. His diebus celeriter magnâ multitudine peditatûs equitatûſque coactâ, ad caſtra venerunt. *Cæſar* etſi idem, quod ſuperioribus diebus acciderat, fore videbat, ut ſi eſſent hoſtes pulſi, celeritate periculum effugerent; tamen, nactus equites circiter triginta quos *Comius Atrebas*, de quo antè dictum eſt, ſecum tranſportaverat, legione in acie pro caſtris conſtituit. Commiſſo prælio diutius *Romanorum* impetum *Britanni* ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto ſpatio ſecuti, quantum curſu, & viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt: deinde omnibus longè, lateq; ædificiis incenſis, ſe in caſtra recepérunt. Eodem die legati ab hoſtibus miſſi, ad *Cæſarem* de pace venerunt. His *Cæſar* numerum obſidum, quem antea imperaverat, duplicavit: eoſque in Continentem adduci juſſit: quòd propinquâ die Æquinoctii, infirmis navibus hyemi navigationem ſubeundam non exiſtimabat. Ipſe idoneam tempeſtatem nactus, paulo poſt me-

mediam noctem naves ſolvit; quæ omnes incolumes ad Continentem pervenerunt. Ex his onerariæ undecim eoſdem portus, quos reliquæ, capere non potuerunt, ſed paulo infrà delatæ ſunt. Quibus ex navibus cum eſſent expoſiti milites circitèr trecenti, atque in caſtra contenderent, *Morini* quos *Cæſar*, in *Britanniam* proficiſcens, pacatos reliquerat, ſpe prædæ adducti, primò non ita magno ſuorum numero circumſteterunt: ac ſi ſeſe interfici nollent, arma ponere juſſerunt. Cùm illi, orbe facto, ſeſe defenderent, celeriter ad clamorem, hominum circitèr millia ſex convenerunt: quâ re nuntiatâ, *Cæſar* omnem ex caſtris equitatum ſuis auxilio miſit. Interim *Romani* milites impetum hoſtium ſuſtinuerunt: atq; ampliùs horis quatuor fortiſſimè pugnaverunt & paucis vulneribus acceptis, complures ex iis occiderunt. Poſtea verò quàm *Cæſaris* equitatus in conſpectum venit, hoſtes, abjectis armis, terga verterunt, magnuſq; eorum numerus eſt occiſus. *Cæſar* poſtero die *T. Labienum* legatum cum iis legionibus quas ex *Britanniâ* reduxerat, in *Morinos* qui rebellionem fecerant, miſit. Qui cùm propter ſiccitates paludum, quo ſe reciperent, non haberent, quo perfugio ſuperiore anno fuerant uſi; omnes fere in poteſtatem *Labieni* venerunt.

runt. At *Q. Titurius* & *L. Cotta*, legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vaſtatis, frumentis ſucciſis, ædificiiſq; incenſis, quòd *Menapii omnes* ſe in denſiſſimas ſylvas abdiderant, ad *Cæſarem* ſe receperunt. *Cæſar* in *Belgis* omnium legionum hyberna conſtituit Eo duæ omnino civitates ex *Britanniâ* obſides miſerunt; reliquæ neglexerunt. His rebus geſtis, ex literis *Cæſaris* dierum viginti Supplicatio a Senatu decreta eſt. Hactenus *Cæſar* de priore ſuâ in inſulam expeditione.

Britannis in hoc bello ducem fuiſſe *Dolabellum* tradit *Nennius*, quem regis *Belini* Proconſulem & ipſe & *Henricus Huntingdonienſis* appellant. Hunc in *Dorobellum* oppidum mirâ quâdam metamorphôſi convertit *Galfridus*, qui etiam præter *Caſſuellanum* & *Belinum*, tres reges ſubditos *Crederum* (*Scotis Ederum* dictum) *Albaniæ*, *Guitellum Venedotiæ*, *Britaelem Demetiæ*, unà cum *Nennio*, *Androgeo* & *Tenevantio* huic bello interfuiſſe fabulatur. Hinc aliqui *Dorobellum* oppidum pro Dolâ vel Delâ in *Cantio* accipientes, *Cæſarem* ibi appulſum eſſe opinati ſunt, quanquam in oſtium *Tamiſis* veniſſe expreſſe teſtatur *Nennius*. Subitaneam *Cæſaris*, haud expectatis obſidibus, diſceſſionem *Pompeiani* tanquàm fugam

Galfr. lib. 1. cap. 23.

ei exprobrârunt, unde illud *Lucani Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.* Idem ſanè *Britannos* ſenſiſſe etiam inde liquet, quòd duas ſolas civitates miſiſſe obſides, reliqas neglexiſſe ipſe fateatur. Hinc feſta eos triumphalia ludoſq; in *Trinobantum* urbe militares celebraſſe narrat hiſtoria *Britannica.* Niſi potiùs *Belino* Regi circa hoc temporis (ut videtur) defuncto ita parentâſſe filios crediderimus, ducta *A Trojanis* conſuetudine, quos *Hectori* & *Anchiſæ* mortuis eodem modo juſta perſolviſſe docet *Virgilius.* Utùt ſe res habuit, *Hireldam Caſſuellani*, *Evelinum Androgei*, juxta *Monumethenſem*, nepotes, juxta *Huntingdonienſem* filios, contendere in palæſtrâ contigit, ortiſque inter luctandum jurgiis, *Hireldam Evelinus* obtruncavit. Quem ubi ad dandas occiſo pœnas, dedi ſibi poſtularet *Caſſuellanus*, tueretur autem *Androgeus*, ſecuri nimiùm de *Cæſare* principes ad arma devenêre. *Caſſuellani* partibus acceſſiſſe videtur *Nennius*, *Luddo Androgei* patri jam anteà infenſus quòd *Trinobantum* urbem, quam *Troinovantum*, quaſi, *Trojam* novam, vocatam mavult hiſtoria *Britannica*, cùm nobiliſſimis eam muris cinxiſſet, nec non et turribus miâ arte fabricatis, de nomine quoq; ſuo *Caerlud*, id eſt, civitatem *Lud*

Virgil Ænid. lib. 5.

Galfrid. lib. 1. cap. 10.

di, dici juſſit, unde poſtea inter hoſce fratres contentio orta; gravitèr ferente *Nennio*, illum nomen *Troiæ* in patriâ ſuâ velle delere. Attamen de nobliſſimis *Britannicarum* illo tempore urbium muris, ac turribus mirâ arte fabricatis, altiſſimum apud *Romanos* Scriptores eſt ſilentium; a quibus longè diverſa, aut etiam planè contraria inveniuntur prodita. *Luddum* & *Androgeum* (ſive *Androgorium* ut è *Suetonio Eutropius* & eum ſecutus *Beda* nuncupant, aliæ quædam civitates adjuvabant,) *Caſſuellani* ambitionem veritæ; qui proſpero tamen belli ſucceſſu uſus fratrem interfecit, ac nepotem in *Galliam* ad *Cæſarem*, Commendatâ Senioribus Civitate, profugere coegit. Hunc, *Mandubratium*, patruumq; *Caſſivellaunum* appellat *Cæſar*, *Britanni Caſwalhan*. *Iuddus* annis undecim regnâſſe dicitur. *Digladiantes* inter ſe *Britannos*, iterùm *Romani*, *Domitio Claudioq;* Conſulibus, adoriuntur. Hujus quoq; ſecundæ expeditionis hiſtoriam ſic ipſe *Cæſar* pertexuit.

Lalio in Continente cum tribus legionibus, & equitum millibus duobus relicto, ut portus tueretur, & rei frumentariæ provideret, quæq; in *Galliâ* gererentur cognoſceret, & conſilium pro tempore, & pro re caperet; ipſe cum legionibus quinque, *Cæſar de bell. Gall. l. 5.*

&